BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4 N
36

14.7.G.18

HIERONYMI
PONTANI
FOROCORNELIENSIS
PHILOSOPHI
DE
IMMORTALITATE
ANIMAE
EX SENTENTIA ARISTOTELIS
LIBRI SEPTEM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



233

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE. CIϽ IϽ XCVII

Ex Typographia Gulielmi Facciotti.

ILLVSTR. ET REVER. D. D.

IVLIO ANTONIO SANCTORIO

S. R. E.

EPISCOPO PRÆNESTINO,

CARDINALI

SANCTAE SEVERINAE,

SVMMO PAENITENTIARIO.

OPVS de immortalitate animæ a Hieronymo Pontano Forocorneliẽſi Philoſopho multis ab hinc annis Tuis auſpiciis cœptũ, ac Tuo nomini dedicatum, nunc demum Tuo patrocinio, Tuaq. ſingulari humanitate, Cardinalis

ampliſsime, qua ſemper bonas ar
tes, earumque ſtudioſos es proſe-
cutus, in lucem prodit. Cum
enim diſputationem hanc diutius
ab eo elaboratam, atque ad men
tem Ariſtotelis [cuius doctrinam
quinquaginta & amplius annis in
Bononienſi, & Romano Gymna-
ſiis profeſſus fuerat] examinatã,
quorundam id efflagitantium de
ſiderio, Chriſtianæ inſuper uerita
tis augmento, ac propugnationi,
conſcribere, atque conſcriptam
edere, typisq. mandare cõſtituiſ-
ſet, inter multos Chriſtianæ Rei-
publicæ proceres Te unum, & iure
quidem merito delegit, cui præ-
ſtans adeo, ac religioſo Principe
dignum

dignum opus dedicaret. Cui enim
unquam decentius, quam Tibi id
obſequii munus præſtare potuiſſet?
cuius patrocinio ſe antea fuiſſe mu
nitũ; cuius auctoritate ſua monu-
menta in poſterũ tutanda fore co-
gnoſceret. Duplici igitur, & grati
animi, & tutelæ nomine Tibi hic
liber inſcribitur, grati animi inquã:
non modo enim Tuæ munificen-
tiæ, atque humanitati, qua eum es
proſecutus, ex quo in familiarium
tuorũ numerum (in quo poſtmo-
dum cõtinuato uitæ curſu ſemper
manſit) illum aſciuiſti, ſed ſingula-
ri etiam Tui animi magnitudini,
qua eũ ſemper honeſtaſti, ac maio-
ribus in dies honoribus cumulan-

dum cẽſuiſti, ſummopere ſe deuin ctũ fatebatur. Pro quibus in ſe collatis beneficiis cũ pares gratias rependere nõ ualeret hoc ſaltem ſui erga te ſtudii pignus ſe daturũ pollicebatur, ut ſcilicet ſuorum monumentorum inſcriptione quantum tibi deberet homines cognoſceret. Atque utinam factum fuiſſet, ut iis ſublatis impedimentis (quibus diro mortaliũ malo litteratorũ hominum ingenia a ſuorum ſtudiorum curſu detorquentur) ipſe ante uitæ exitum diſputationẽ hanc, & quam plura alia in Ariſtotelem commentaria cõſcripta edidiſſet: Vberiore enim, atque ualentiore dicendi ui ſui animi affectum Tibi

indi-

indicaſſet, & multa fortaſſe in hoc opere, alioquin perfecto, haberentur ornamēta, quibus tanquā parēte orbatū carere mirum non eſſet. Tutelæ etiā nomine Tibi hic liber dicatur; cui enim religionis cauſa tutius commendari poteſt, quā uiro Religioſiſsimo? Cui immortalitas animorum defendenda magis cōmitti, quam illi, cui ab incunabulis ſuſceptum inſtitutum ſemper fuit ueritati ſtudere, Chriſtianam, atque Catholicam Religionem ſartam tectam cuſtodire cuſtoditam, augere, & propugnare? Cui datum eſt a tot ſummis Pontificibus una cū Illuſtriſsimis Cardinalibus S. Inquiſitionis Collegiis

Tuis

Tuis Chriſtianæ Reipublicæ cōnſulere, ne quid ab hæreſi detrimēti capiat; deuiantes a ueritate ad bene ſentiēdi normam reducere, perditorum, atque impudentiū hæreticorum caninos dentes retūdere, ac demū Chriſti ouile ab huiuſcemodi labe purgare. Hoc inquam opus Tuis, ut dixi auſpiciis cœptū Tuo nomini dedicatum; Tuo etiam beneficio, Tua largitione e tenebris erutum eſt: nō modo enim Tuo ære excudi iuſſiſti, ſed doctrinam ab obtrectatorū maledicētiis uindicaſti; cū enim falſo exiſtimarent aliqui illam errōneā eſſe, quia intellectus unitatem ad mentem Ariſtotelis uideretur aſtruere, Tu

ope-

operam dediſti,ut omnibus liquido appareret ex ea unitatem intellectus deſtrui,pluralitatẽ uero probari:numquam enim eam Ariſtoteles diſertis uerbis,ut auctor dicit, pronunciauit,ſed potius pluralitatem. Quod ſi ex principiis quibuſdam philoſophiæ Ariſtotelis unitas intellectus, uideatur ſequi; nempe ex eo quod mundus numquam inceperit eſſe, ac numquã deſiturus ſit,ex eo etiam quod infinitum actu non detur; mirum non erit. nam ex falſis principiis falſa ut plurimum concluſio ſequi ſolet. falſa enim ſunt hæc principia, quod mundus non inceperit eſſe, & quod finem habiturus

tion ſit: quæ cum fidei Chriſtianæ repugnent, aliena eſſe a uera philoſophia neceſſe eſt. uerum namque uero non eſt contrarium, & uera philoſophia contra Theologiam non eſt, quamuis illam non aſſequatur. Non minus etiam curaſti, ut opus a mendis expurgatum, omnibus abſolueretur numeris. quapropter magis Tibi, quam auctori debendum eſſe dixerim: auctor enim operi eſſe, Tu bene eſſe dediſti; ille, ut legeretur, operam præſtitit, Tu ut ab omnibus legeretur; ille, præter publicã utilitatem, laudis etiam dulcedine fortaſſe illectus fuit; Tu ſolo ueritatis ſtudio ductus onus hoc ſuſci-

ſcipiendum curaſti. Diſcant nunc ceteri eos ſibi deligere patronos, qui non fortunas, neque caduca corporis ornamenta, ſed animi dotes in ſuis clientibus requirant. Diſcãt Principes eos habere clientes, quibus etiam poſt mortem beneficia conferre, quosq. tamquã æterno æuo uiuentes claris redditis eorum monumentis etiam in poſterum honeſtare poſsint. Tu uero, Cardinalis ampliſsime, Reipublicæ Chriſtianæ, bonis omnibus, ac litterariæ rei diutius Te incolumem ſerua. De retributione bonorum operum, quã tibi Deus Optimus Maximus poſt præſentis uitæ ſtatum in cælo cumulatiſ-

ſime

ſime largietur, lætus interim, at-
que hilaris. Romæ. Ex ædibus
Tuis. Kal. Octobris.
CIↃIↃXCVII.

Illuſtr.^mæ atque Reuer.^mæ D. T.

Deuinctiſsimus,

Iulius Cæſar Galla Padulanus,
in Romano Gymnaſio Logicæ
ordinarius profeſſor.

INDEX RERVM
NOTABILIVM
QVAE IN OPERE CONTINENTVR.

A

ABORTIONES vocantur corruptiones in utero intra quadrageſimum diem. 297
Actio corporea non poteſt fieri ſine inſtrumento corporeo. 68
Actus duplex. 115
Alexander Aphrodiſ. auctor mortalitatis animæ in Peripathetica ſchola. 7
Alexander Aphrodiſ. tempo. Antonini Imperat. quingentis circiter annis poſt Ariſt. floruit. 2
Alexander Aphrodiſ. tantæ auctoritatis, ut nemo exiſtimaretur Peripateticus niſi Alexandreus. 2
Alexander Hereticorum morem ſequutus. 15
Alexander putauit intellectum agentem eſſe Deum. 170
Anima noſtra eſt indiuiſibilis. 21
Animæ operationes non ſunt corporales. 22
Anima noſtra neque eſt corpus, neque uirtus in corpore. 22
Anima mundi non habet magnitudinem. 26
Anima intellectualis eſt indiuiſibilis. 26
Anima intellectualis eſt immaterialis. 26
Anima mouet ſe ipſam ex ſententia Platonis. 26
Anima ſenſitiua per ſe non mouetur. 26
Anima ſenſitiua mouetur per accidens ad motum ſubiecti. 26
Animæ omnes non poſſunt eſſe ante corpus. 44
Anima rationalis non pendet a temperatura corporis. 57
Animus ſecundum naturam imperat corpori. 64
Anima intellectiua ſola eſt locus ſpecierum. 70
Anima ſeparata a corpore magis perficitur. 86
Anima intellectiua neque per ſe, neque per accidens mouetur. 95
Anima rationalis eſt forma naturalis. 104
Anima intellectiua mobilis eſt quo ad operationes. 104
Animæ alium ſtatum poſt mortem Ariſt. in Ethicis affirmauit. 241
Anima intellectiua dat eſſe homini quatenus homo eſt. 262
Anima intellectiua eſt forma informans hominis, non aſſiſtens. 274
Anima ſenſitiua generica quo tem-

pore innaſcatur. 305

Anima ſenſitiua ſpecifica quo tempore acquiratur. 306

Anima intellectiua quomodo adueniat nobis ex Ariſt. 308

Anima intellectiua per creationem nobis aduenit a Deo. 310

Anima intellectiua unde accedat uariæ ſententiæ. 310. & 311

Anima intellectiua a Deo creatur, & creando infunditur. 312

Ariſt præſtantiſſimus uir, & naturæ interpr. s. 1

Ariſt fuit prudentior Theophraſto, & Eudemo cum numquam unitatem diſertis uerbis pronuntiauerit. 4

Ariſt clariſſimis uerbis pronuntiauit, & efficaciſſimis rationibus demonſtrauit animæ immortalitatem. 8

Ariſtot. in Ethicis cum communi uulgarium opinione, & cum religione ſui temporis conſenſit. 11

Ariſt. non dubitanter ſed affirmanter poſuit immortalitatem animæ noſtræ. 20

Ariſt. modeſtiæ cauſa de immortalitatæ animæ locutus eſt dubitanter. 28

Ariſt. irriſit Religionem ſui temporis. 239

Archades duo quorũ alter occiſus alteri in ſomnijs apparuit. 205

Athenis inſamis domus in qua ſimulacrum horridi ſenis aſpiciebatur. 205

Auicenna putauit intellectum agentem eſſe intelligentiam infra orbem lunæ. 170

B

Beatitudo ſuperat omne præmiũ eſſentiale uirtutis. 98

Beatitudinem non poſſumus conſequi niſi in alia uita. 98

Bellum duplex. 100

Beſſarion Cardinalis Nicænus putauit Phyſica ratione non poſſe conuinci tenentes unitatem intellectus. 4. & 212

Brutum nullum eſt capax uirtutis moralis. 60

C

Cauſſa immortalitatis eſt non eſſe mixtum cum corpore. 51

Cerebrum concurrit ad operationes ſenſitiuas contemperando ſpiritus ipſis inſeruientes. 142

Concilij Lateranenſis decreta, de recta philoſophandi ratione. 4

Cognitio præſtantiſſima res eſt, & maxime expetenda. 89

Cognitio animæ noſtræ poſt mortem eſt ei naturalis. 128

Confutatio Platonis de productione animarum. 168

Coniunctio animæ cum corpore eſt accidens ſeparabile. 266

Commune eſt omniũ bonorum quod poſſumus ipſis abuti, præter quã uirtutis. 272

Conceptus quid. 279

Corruptiones in utero ante ſeptimũ diem effluxiones uocantur. 297

Cor primo generatur. 298

Cor medium corporis ſitum obtinet & quomodo. 300

Creatio non fuit cognita Ariſt. 160

Crea-

Creatio non eſt motus neque muta- tio. 161

D

Differentiæ intellectus poſſibilis ſunt contemplatiuum, & practicum. 34
Duo principia operandi in Brutis temperatura, & aſſuetudo. 56
Duplex præmium uirtutis, & duplex pœna uitij. 97
Duplex ſtatus intellectus, 126
Duplex modus intelligendi animæ noſtræ. 128
Duplex ſententia de intellectu agente. 170
Duas animas in homine poſuit Ariſtoteles. 244
Duplex forma, informans, & aſſiſtens. 253

E

Entelechia eſt inſeparabilis ab eo cuius eſt entelechia. 10.11
Empedocles & Epicurus putarunt animam noſtram eſſe mortalẽ. 2
Empedocles putauit intelligere, & ſapere fieri per organum corporeum. 35
Erus Armenius a mortuis reſurrexit. 205

F

Formæ quæ ſumuntur in definitione aliæ ſeparantur aliæ non ſeparantur. 12
Formæ immateriales ſunt totæ in toto corpore, & totæ in qualibet parte corporis. 50
Formę immateriales non naſcuntur naſcente corpore nec intereunte intereunte. 50
Forma mixta cum corpore afficitur affectione corporis. 51
Forma corporea pendet a temperatura corporis. 52
Forma quæ habet operationem propriam eſt ſeparabilis. 130
Formæ immateriales ſunt immobiles ex ſe & ex accidente. 136
Forma ſeminis per facultatem inditam a generante incipit efformare corpus. 297
Fortis debet ſe exponere morti. 90
Fortis multum conſequitur dum exercet actum fortitudinis. 90
Fortior eſt qui extra ſpẽ ſe exponit morti, quam qui bene ſperans. 90
Fortem virum non dedecet mortem moleſte ferre. 91
Fortis quis ſit. 100

G

Galenus fatetur ſe ignorare ſubſtantiam animæ noſtræ. 144
Galeni error circa cordis originem. 303
Genito Corde conſtituitur Cerebrum. 304
Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Niſſenus & Iuſtinus Philoſophus & martir putarũt Ariſ. potuiſſe animam mortalem. 2
Gregorius Nazianzenus B. Hyeronimi præceptor cognomento Theologus. 2

H

Homo per intellectũ eſt homo. 41
Homines negantes intellectus immortalitatem non ſunt appellandi homines ſed animalia natu

ræ humanæ ualde infeſta. 41
Homo naturaliter appetit eſſe & per petuo eſſe. 87
Homo naturaliter appetit fœlicitatem. 88
Homo in dei uiſione beatiſſimum ap petitum conſequi poteſt. 88
Homo beatitudinem in hac uita aſſe qui non poteſt. 88
Homo animal ſociabile. 210. & 272
Homo per contemplationem maxime accedit Deum. 271
Homo diffinitur per duas formas. 273
Homini ſoli incertum eſt tempus pariendi. 297
Hyppocratis ſententia de principatu, & origine cordis. 303

I

INtellectus & anima intellectiua idem ſunt apud Ariſt. 13
Intellectus humanus permanet diſſoluto compoſito. 17
Intellectus humanus terminat generationem. 17
Intellectus eſt ſubſtantia. 27
Intellectus non corrumpitur a contrario. 27
Intellectus non corrumpitur ratione ſubiecti. 27
Intellectus non. indiget organo ſed virtute vtente organo. 30
Intellectus nullam partem corporis continet ſicut actus. 31
Intelligentiæ non ſunt actus corporis organici. 32
Intellectus eſt aliud genus animæ. 33.
Intellectus ſeparantur ab alijs poten tijs tanquam perpetuum a corruptibili. 33
Intellectus non ſeparatur ab alijs partibus animæ loco & ſubiecto. 33
Intellectus eſt in corpore indiuiſibiliter reliquæ autem potentiæ di uiſibiliter. 31
Intelligere & ſapere nec in animam ſenſitiuam nec in phantaſiam referri poſſunt. 36
Intellectus obtegitur ad leſionē corporis non leditur. 36. & 149
Intellectus non eſt mixtus cum corpore. 37
Intellectus ſeparatur. 37
Intellectus agens non eſt ſuſceptiuus ſpeciei. 37
Intellectus agens eſt pars animæ noſtræ. 37
Intellectus eſt intelligibilis ſicut intelligibilia propriæ dicta. 39
Idem eſt intelligibile & intellectus in immaterialibus. 39
Intellectus eſt potentia ſine materia. 40
Idem eſt animam eſſe ante corpus extrinſecus aduenire. 44
Intellectio & uolutio non fiunt per organum. 45
Intellectus intelligit omnia. 54
Intellectus & uoluntas habent in ap petitum ſenſitiuum imperium regium & ciuile. 61
Intellectus non intelligeret uniuerſalia ſi haberet organū corporeū. 70
Intellectus perficitur ab excellenti obiecto. 72
Intellectus in intelligendo non utitur toto corpore neque certa corporis parte. 74
Intellectus utitur uirtute utente corpore. 74
Intellectus non corrumpitur neque

per ſe neque per accidens. 85
Intellectus practicus, & uoluntas principiũ motus in homine. 109
Intellectus humanus non intelligit ſine phantaſmate. 114
Intellectus uel eſt imaginatio uel non ſine imaginatione. 127
Intellectus magis uiget cum corpus minus uiget. 138
Intellectus non fatigatur ſed phantaſia. 150
Intellectus non utitur toto corpore tanquam organo. 151
Intellectus non habet organum ſicut ſenſus interiores. 155
Intellectus agens ſe habet ſicut lumen. 175
Intellectus agens non eſt forma intellectus poſſibilis. 176
Intellectus agentis actio, non eſt ſimpliciter eius ſubſtantia, ſed in relatione ad intelligibilia. 179
Intellectus agens quare poſitus fuit ab Ariſto. 180
Intellectus agens non eſt quid extrinſecum ab anima noſtra. 180
Intellectus agens non eſt habitus principiorum. 182
Intellectus agens & potentia realiter non differunt ſed ratione tantum. 188
Intellectus agens non agit primo in poſſibilẽ ſed in phantaſmata. 189
Infinitũ actu non datur, nec in quantitate continua, nec diſcreta, nec in ſenſibilibus, nec in ſpiritualibus. 201
Intellectus in omnibus hominibus eſt eiuſdem perfectionis eſſentialis. 223
Intelligentiæ ſunt formæ informantes cælum ex Ariſtotele. 256
Intellectus non eſt forma aſſiſtens homini. 257
Inter naturale, & præter naturam non datur medium. 129

L

Ligamenta & oſſa ſunt expertia animæ ſenſitiuæ. 229
Lucretius opinatus eſt animã hominis eſſe mortalem cum corpore. 2

M

Martires proprie fortes appellari poſſunt. 99
Materia eſt origo corruptionis. 21
Materia eſt diuiſibilis ratione quantitatis. 21
Materia eſt cauſa multiplicationis indiuiduorum. 199
Mẽs humana eſt expers materiæ. 21
Mens humana nec eſt corpus nec uirtus in corpore. 21
Mens ſola extrinſecus accedit & ſola diuina eſt. 44
Mors & reſurrectio Chriſti immortalitatem animorum, multiplicem eorum numerum ac creationem oſtendunt. 1
Mortalitatis animæ noſtræ ſententia fuit Alexandri propria non Ariſtotelis. 15
Motiones materiæ ſũt neceſſariæ. 53
Mors omnium maxime terribilis 90
Motus ſolis corporibus per ſe conuenit. 95
Motus non poteſt tribui animæ niſi ex accidenti. 95
Moueri per accidens a ſe ipſis conuenit ſolis corrruptibilibus. 95
Molles carne apti mente. 289
Moto corpore mouentur omnia quæ ſunt in corpore. 103

Motis

Motis orbibus non mouentur intelligentiæ. 103
Motus ignis in concauo lunæ eſt contra naturam. 129
Mundus eſt unicus quia conſtat ex tota materia ſua. 198
Multitudo per accidens infinita non datur. 102

N

Natura non tranſit ab extremo in extremũ niſi per media. 92
Natura nobis duo inſtrumenta tribuit corpori manum animæ uero mentem. 137
Neceſſitas quæ prouenit ex materia eſt neceſſitas ſimpliciter. 53
Nulla anima cum ſemine traduci poteſt. 44. & 278
Nulla datur forma aſſiſtens quæ non informet. 254

O

Obiectum uoluntatis eſt bonum honeſtum. 60
Oculus mentis incipit acute cernere cum primum oculus corporis deflorefcit. 139
Omnis ſenſus debet carere omni ſenſibili quod eſt aptus ſentire. 54
Omne quod intelligit eſt ſeparabile a materia. 78
Omne quod caret fine caret principio. 158
Omnia pendet a Deo non ſolum in genere cauſæ finalis, ſed etiam efficientis ex Ariſt. 166
Omnis forma eſt natura. 255
Operatio intellectus non fit organo corporeo. 69
Operatio ſequitur naturam facultatis operantis. 69
Operationes ſenſitiuæ inſtrumentaliter ſunt in corde ſed manifeſtantis in Cerebro. 142
Operatio intellectus per accidens læditur ad læſionem corporis. 147
Operatio intellectus pendet a corpore obiectiuæ non ſubiectiuæ. 148
Operatio pendet ab eſſentia. 255
Organum corporeum non recipit niſi ſpecies ſingulares. 71
Origenis error de creatione animarum. 169

P

Plato poſuit omnem animam immortalem. 213
Plato poſuit animam mundi habere magnitudinem. 267
Phantaſmata illuſtrata ab intellectu agente producunt in intellectu poſſibili ſpeciem intelligibilẽ. 74
Phantaſia & appetitus principium motus in brutis. 109
Phantaſia eſt tamquam liber intellectus. 141
Phantaſia rationalis quæ ſit, & quomodo ab Ariſt. appellatur. 143
Philoſophi ſtudium eſt animam quã maxime poteſt a corporis commercio ſegregare. 87
Philoſophus naturalis ſolo lumine naturali non poteſt cognoſcere Creationem. 164
Potentia uniuerſalis & particularis materiæ primæ idem ſunt. 120
Poſt mortem non reminiſcimur. 159
Ponens differentiam inter duo debet ambo cognoſcere ualet in illis quæ ſunt eiuſdem generis. 248
Potentia animæ prior continetur in poſteriore tãquã trigonũ in Tetragono, quomodo intelligatur. 250
Præſtantiores milites qui minus

fortes

ſortes. 92
Primus motor potius eſt in circulo quam in medio. 141

Q

Qualitates primæ elementorũ non ſunt eorum formæ ſubſtantiales. 14
Quæſtio de immortalitate animæ ab Ariſt. propoſita. 25
Quæ ſunt ſecundum naturam, ſemper, uel ut plurimũ fiunt ut nata ſunt fieri, 65
Quod recipitur in alio ſecundum naturam recipientis recipitur. 70
Quomodo mors hominis ſit corruptio ſubſtantialis. 233

R

Ratio naturalis non diſcordat a fide licet ad eã nõ pertingat. 4
Ratio ſuperior eſt temperamento naturali. 57
Ratio Platonis pro immortalitate animæ eſt dialectica. 96
Reſponſio ab Ariſt. obiter facta ad quæſtionem de immortalitate animæ. 33.& 34
Receptum recipitur ſecundum naturam recipientis. 77
Reſponſio ad rationes Galeni contra immortalitatem. 145
Reſurrectio non ſequitur ex unitate intellectus. 230

S

Sapiens dominatur aſtris. 58
Scientia quæ eſt de non ſubiecto eſt exactior ea quæ eſt de ſubiecto. 23
Scientia quæ eſt ex paucioribus, eſt exactior ea quæ eſt ex pluribus. 24
Scientia propter quid eſt, eſt exactior ſcientia quod. 24
Scientia Methaphyſica obtinet tres gradus exactionis. 24
Scientia de anima obtinet duos gradus exactionis. 24
Scientia potius acquiritur per quietem, quam per motum. 299
Scoti ſententia de immortalitate animæ. 7.& 20
Senſus neceſſario mutatur mutatione corporei temperamenti. 53
Separatio intellectus a corpore eſt intellectui uiolenta. 132
Senſus interiores corrumpuntur ab excellenti obiecto. 151
Simonides a mortuo admonitus ne nauigaret. 205
Species uniuerſales non poſſunt recipi in organo corporeo. 73
Species intelligibilis recipitur in intellectu ſine phantaſmate. 74
Species ſenſibilis ut recipitur in organo ita recipitur in ſenſu. 75
Spes melioris uitæ nihil detrahit de fortitudine. 99

T

Tactus ſimilem caliditatem uel frigiditatem non ſenſit. 54
Theophraſtus & Eudemus authores unitatis intellectus. 4

V

Vegetatiua circa ſeptimum diẽ innaſcitur. 298
Ventriculi Cerebri quomodo diſpoſiti. 142
Veritatem ſanctum eſt amicis in honore anteponere. 286
Veteres philoſophi putarunt animã eſſe unum elementum: 22
Virtus mentis ſeparata eſt a compoſito. 11
Virtus duplex intellectiua & moralis:

lis. 56
Virtus moralis eſt habitus electiuus in mediocritate poſitus. 59
Virtus moralis non fit natura. 56
Virtus motiua duplex. 77
Vita eſt eſſentia uiuentium. 112
Vna ſubſtantia numero finitæ uirtutis non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis. 218
Vnica tantum anima eſt in homine, quæ ſubit uicem aliarum. 243

INDEX AVCTORVM QVI IN OPERE CITANTVR.

Alexander Aphrodiſæus.
Alexander Achillinus.
Antonius Bernardus Mirandulanus Epiſcopus Caſertan.
Ariſtoteles.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Sueſſanus.
Auerroes.
Auicenna.
S. Baſilius Magnus.
Beſſarion Cardinalis Nicænus.
Concilium Lateranenſe nouiſſimum ſub Leone X.
Eudemus.
Galenus.
Gaſpar Cardinalis Contarenus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Niſſenus.
Gregorius Ariminenſis.
S. Hieronymus.
Hippocrates.
Ioannes Grammaticus cognomento Philoponus.
Ioannes de Ianduno.
S. Irenæus.
S. Iuſtinus Philoſophus & martyr.
Ludouicus Buccaferreus.
M.T. Cicero.
Marcus Antonius Genua.
Marcus Antonius Zimara.
Origenes.
Petrus Pomponacius.
Plato.
Plotinus.
Plinius Iunior.
Realdus Columbus.
Scotus.
Simon Porcius.
Simplicius.
Theophraſtus.
Themiſtius.
S. Thomas.
Thomas Card. Caietanus.
Vergilius.

CAPITVM TOTIVS OPERIS.

INDEX CAPITVM PRIMI LIBRI.

CAPVT Primum.

EXPONIT Auctor ſuum propoſitum, ſcilicet, Cæptam fuiſſe ab eo hanc diſputationem, ut quibuſdam id expoſtulantibus ſatisfaceret, & ut Ariſto. ſententiam pro immortalitate animæ demonſtraret. Facile enim habito Ariſto. teſtimonio de immortalitate, reliquis de alio animæ ſtatu poſt mortem lumine fidei ducti imbecilles homines acquieſcent.

CAPVT Secundum.

Proponit ordinem ſeptem quæſtionum, ad mentem Ariſtotelis explicandarum; prima eſt utrum Anima humana ſit mortalis, uel immortalis; ſecunda, utrum ſi eſt immortalis, ſit æterna ex parte poſt tantum, an uero ex parte poſt, & ex parte ante; tertia, utrum ſi eſt undequaque æterna intellectus agens ſit pars animæ noſtræ, uel non, & ſi ſit pars animæ noſtræ, utrum agens, & potentia realiter differant, uel ratione tantum; quarta, ſi realiter non differunt, & agens eſt pars animæ noſtræ, utrum hic intellectus potentia, qui eſt idem re cum agente unus ſit numero, uel multiplicatus ad numerum hominum; quinta, utrum intellectus potentia ſit forma aſſiſtens homini, uel forma informans hominem; ſexta, ſi eſt forma informans, utrum anima intellectiua, & ſenſitiua ſint una anima, & una forma informans hominem, uel due formæ re, & genere diſtinctæ; nempe una corruptibilis, & alia incorruptibilis; ſeptima, quando, quomodo, & unde nobis aduenıat anima intellectiua.

CAPVT Tertium.

Profitetur Auctor ſe in hac diſputatione eſſe Chriſtianum Philoſophum, & obſeruaturum præcepta tradita docentibus philoſophiam a Concilio Lateranenſi ſub Leone Decimo.

CAPVT Quartum.

Diuidit opiniones de immortalitate animæ ex ſententia Ariſt. in tres ſectas. Prima eſt Theophraſti, & cæterorum quamplurium, quod ſit immortalis. Secunda eſt Alexandri Aphrodiſei, & eius auctoritate deceptorum, quod ſit immortalis. Tertia eſt Scoti, quod anceps fuerit Ariſtoteles, utrum ſit mortalis, uel immortalis, ad immortalitatem tamen uideatur potius declinaſſe. Se uero oſtenſurum Auctor promittit firmam fuiſſe Ariſto. ſententiam pro immortalitate, ac proinde diſputationem agreſſurum, in qua primum argumenta pro immortalitate adducet; ſecundo uero contra eam facientia diluet.

CAPVT Quintum.

A debilioribus argumentis immortalitatem probare agreditur, ac primo ab auctoritatibus Ariſtotelis ex logica, & ethicha decerptis.

CAPVT Sextum.

Affert alia pro immortalitate argumenta probabiliora ducta ex quam plurimis locis Ariſto. in Metaphiſica, & ex quibuſdam atteſtationibus Alexandri Aphrodiſei in expoſitione illorum locorum, ſi tamen illa commentaria Aphrodiſei ſint, ut probabiliter coniectari poteſt.

CAPVT Septimum.

Affert reſponſiones aduerſariorum partim dicentium Ariſtotelem in his locis loqui de intellectu agente, qui non eſt intellectus humanus, ſed diuinus partim etiam alia in medium afferentium, atque has eorum reſponſiones falſas protinus, & uanas eſſe oſtendit.

CAPVT Octauum.

Proponit loca ex primo libro de anima deſumpta pro animæ immortalitate, & reſponſiones Aphrodiſei, & Simonis Porcij ad quaedam ex adductis locis oppugnat.

CAPVT Nonum.

Auctoritates ex ſecundo de Anima affert, & reſponſionem Pomponacij mortalitatem aſtruentis ad undecimum textum eiuſdem libri, nec nō Aphrodiſei ad 21. explodit.

CAPVT Decimum.

Affert alias ex tertio de anima deſumptas Auctoritates, & locum ex ſecundo de generatione animalium expendit, nec non expoſitionem illius loci Aphrodiſeo tributam falſam eſſe demonſtrat.

INDEX CAPITVM SECVNDI LIBRI.

CAPVT Primum.

AGREDITVR oſtendere, demonſtratiuis rationibus Ariſtotelē in tertio libro de anima eius immortalitatem probaſſe, ac primum declarat, quomodo dicendo intellectum eſſe immixtum idem dicit, quod eſſe immortalem; deinde uero oſtendit Ariſtotelem duabus rationibus hanc concluſionem demonſtraſſe una ex eo, quod intellectus eſt immutabilis, ergo immixtus. Altera uero, quod non utitur organo, probat uero priorem conſequentiam; quia ſi eſſet mixtus cum corpore mutaretur mutatione corporis, & ſic fieret calidus, aut frigidus; quare non omnia intelligeret, & animi mores neceſſario ſequerentur corporis temperaturā, ad quod plura ſequuntur incommoda, nempe uirtutes morales non dari influxus ſiderum uitari non poſſe, & reliqua.

CAPVT Secundum.

Proſequitur enumerare incomoda, quæ ſequuntur, ſi animi mores neceſſario ſequantur corporis temperaturam, nempe quod homo non eſſet liber, ſed neceſſario bonus, aut malus, quod nemo eſſet temperans, nec poſſet quis in legitimos appetitus cohercere.

CAPVT Tertium.

Recitat eorum ſententiam, qui aſſerunt non ſequi ex imperio intellectus ſupra ſenſum intellectum eſſe immixtum, tum quia hoc dominium competat intellectui non quatenus immixtus, ſed quatenus talis forma; tum quia in plurimis uideatur ſenſum intellectui dominari, atque horum ſententiam, & rationes confutat.

CAPVT Quartum.

Exponit alteram demonſtrationem pro immortalitate animæ ex priua

tione organi deſumptam: nam cum intellectus non utatur organo, neceſſe eſt, ut ſit immixtus, probat, tum conſequentem, tum antecedentem, atque Pomponacij, & Aphrodiſei reſponſiones ad hanc rationem confutat.

CAPVT Quintum.

Affert alias rationes ex natura animæ deſumptas pro immortalitate, nempe, quod intellectus, cum intelligat ſuapte natura intelligibilis eſt, quod anima noſtra ſit libera; ergo non educta e potentia materiæ. Epilogat demonſtrationes pro immortalitate ſuperius factas, atque omnia in earum confirmationem adducta.

INDEX CAPITVM TERTII LIBRI.

CAPVT Primum.

ALIORVM *rationes expendit pro immortalitate animæ adductas ex ſententia Ariſtotelis, quarum alias uim non habere ad concludendam illam de neceſſitate, alias uero uim accipere a prædictis rationibus oſtendit.*

CAPVT Secundum.

Examinat uulgatam illam rationem a Platone in Fædro pro immortalitate animæ allatam, atque eam inſufficientem eſſe demonſtrat; quemadmodum etiam rationes Ciceronis in 1. lib. Tuſculanæ. quæſtionum, quas non phiſicas, ſed dialecticas eſſe dicit.

CAPVT Tertium.

Affert alias rationes apud Chriſtianos philoſophos minime probabiles, ſed neceſſarias, nempe ex diuina reuelatione, & articulis fidei deſumptas; affert quoque rationem a Diuina iuſtitia, quæ exigit, ut boni remunerentur, mali autem puniantur, quod fieri non poterit, niſi anima ſit immortalis, atque Pomponacij reſponſionem ad hoc argumentum oppugnat, ubi nonnulla etiam de fortitudine diſſerit.

INDEX CAPITVM QVARTI LIBRI.

CAPVT Primum.

RESPONDET argumentis ex auctoritate Ariſtotelis ab aduerſarijs pro mortalitate adductis.

CAPVT Secundum.

Proponit ſe allaturum quattuor Aphrodiſei rationes pro mortalitate, atque ſingulis reſponſorum, ac primo affert primã, nempe anima eſt entelechia corporis: ergo inſeparabilis a corpore, cuius argumenti ſolutionẽ, tum a Philopono, tum a Zimara adductam perpendit, ac reſpuit.

CAPVT Tertium.

Affert aliam quorundam reſponſionem dicentium actum informantem eſſe inſeparabilem, non autem aſſiſtentem cuiuſmodi eſt anima intellectiua, quam etiam reſponſionem confutat, & aliam ad mentem Ariſtotelis in medium affert, quam ueluti erroneam, & a catholicã ueritate alienam etiam reijcit, alia adducta, quæ pia eſt, & ex ueritate retinenda.

CAPVT Quartum.

Recitat tres alias Alexandri rationes pro mortalitate, quarum una eſt, quod anima rationalis ſit per ſe immobilis; ergo mortalis, cum non poſſit e corpore alium in locum tranſmigrare, altera eſt, ſi rationalis eſſet incorruptibilis eſſet re diuerſa a ſenſitiua: quare duæ formæ re diuerſæ eſſent in homine, & ſic unus homo eſſet duo animalia, non unum animal tertia eſt, quod anima rationalis nullam habet operationẽ a corpore ſeparatam: ergo non eſt ſeparabilis. quarum rationum duabus primis breuiter pro tempore reſpondet, cum late ſe infra reſponſurum polliceatur; ultimæ uero agreditur ſatisfacere, ac primum Philoponi Simplicij, ac Genuæ reſponſiones confutat.

CAPVT Quintum.

Affert reſponſionem ad prædictum Alexandri argumentum ex ſancto Thoma; nempe animam non habere operationem ſeparabilem pro præſentis uitæ ſtatu, habere autem aliam operationem in alio uitæ ſtatu

poſt

poſt mortem, & hanc eſſe ueram reſponſionem aſſerit: aliter tamen reſpondere Ariſtotelem ex doctrina ſuis principijs congrua demonſtrat.

CAPVT Sextum.

Alias rationes contra immortalitatem a Pomponacio adductas recitat, atque ſoluit.

CAPVT Septimum.

Examinat rationes Simonis Porcij pro mortalitate, & eas falſas eſſe demonſtrat.

CAPVT Octauum.

Profert duo alia argumenta ad mortalitatem ſacientia, quæ ab Auerroe recitantur, unum eſt cogitatiua utitur organo rationalis eſt cogitatiua; ergo rationalis utitur organo, ergo mortalis, altera eſt rationalis eſt propria hominis cogitatiua eſt propria hominis; ergo cogitatiua eſt rationalis, quorum utrumque falſum eſſe demonſtrat: affert præterea dubitationes a Galeno motas in libro, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, & eas ſoluit.

CAPVT Nonum.

Proponit tres alias rationes, ex quibus conantur aliqui probare animam rationalem eſſe organicam, & conſequenter mortalem; nempe ex eo, quod ſit actus corporis organici, quod impediatur impedimento corporis, & læſione lædatur, & quod in actione fatigetur, quibus omnibus reſpondet; nempe animam rationalem eſſe actum corporis organici, ſed immaterialem, quod non lædatur ratione ſubiecti, ſed obiecti, & quod non fatigetur anima rationalis, ſed phantaſia, qua utitur in intelligendo anima rationalis. demonſtrat inſuper animam rationalem non uti toto corpore tamquam organo, ut perperam exiſtimauit Aprodiſeus.

CAPVT Decimum.

Oſtendit Ariſtotelem non modo probaſſe intellectum, non habere organum, quale habent ſenſus exteriores, ſed etiam quale habent ſenſus interiores, ac tandem quæſtionis propoſitæ de immortalitate animæ epilogum facit.

INDEX CAPITVM QVINTI LIBRI.

CAPVT Primum.

AGREDITVR ſecundam quæſtionem, utrum anima rationalis ſit ex omni parte æterna, & docet illam eſſe undequaque perpetuã ex mente Ariſtotelis tamen, tum quia omne immortale eſt ingentum, tũ etiam, quia eius operatio non pendet a corpore, & corpori extrinſecus accedit.

CAPVT Secundum.

Docet animam intellectiuam ex Ariſto. non habuiſſe initium: quia ſi habuiſſet per creationem habuiſſet, quam Ariſtotelem non cognouiſſe multis rationibus demonſtrat.

CAPVT Tertium.

Oſtendit Ariſtotelem lumine naturali non potuiſſe cognoſcere creationem, tum quia naturali lumine non poteſt cognoſci, niſi ordinaria potentia Dei agentis per ſecundas cauſas tum etiam ex definitione materiæ, quæ eſt principium omnium quæ fiunt. Soluit præterea duas obiectiones unã quomodo, ſi anima ſit ab æterno Deus ſit omnium cauſſa efficiens, alteram quomodo ex 12. Metaphiſ. t 6. forma ſimul eſt cum eo cuius eſt forma.

CAPVT Quartum.

Declarat falſam eſſe hanc Ariſtotelis doctrinam, quod anima ſit undique æterna, cum ueritas catholica contrarium doceat ſemper a Deo fuiſſe creando infuſam, & infundendo creatam, ac proinde falſam quoque in hoc eſſe Platonis ſententiam, nec non etiam Origenis á Platone decepti.

CAPVT Quintum.

Agreditur explicare tertiam queſtionem de intellectu agente, utrum ſit pars animæ noſtræ, uel aliquid ab ea diuerſum, atque circa illam uariæ ſentientium opiniones enumerat: exponit deinde Ariſtotelis ſententiam in tex. 17. tertij de anima, ut propoſitam quæſtionem melius dilucidare poſſit.

CAPVT Sextum.

Explicat naturam intellectus agentis ex textu 19. tertij libri de Anima, atque declarat, quomodo ſubſtantia intellectus agentis ſit eius actio.

CAPVT Septimum.

Ex dictis multa colligit argumenta contra Aphrodiſeum, & ceteros, qui ponunt intellectum agentem eſſe, quid extrinſecum ab anima noſtra, atque eorum ſententiam excludit, qui dicunt intellectum agentem eſſe habitum principiorum.

CAPVT Octauum.

Examinat ſententiam eorum, qui putant intellectum agentem eſſe partem animæ noſtræ, & primo confutat ſententiam Themiſtij, & eum ſequētium Antonij Bernardi, & Bucca ferrei, qui putarunt animam noſtram conſtare ex intellectu agente, & potentia tamquam ex duabus partibus re diuerſis, deinde concludit intellectum agentem eſſe partem animæ noſtræ quæ realiter idem eſt, cum intellectu potentia ratione autem ab eo differt.

CAPVT Nonum.

Soluit argumentum, quod ab aliquo contra hanc ſententiā afferri poſſet, quod idem re non poſſit eſſe agens, & patiens, & aliquibus Aphrodiſei, & Achillini argumentis reſpondet, quibus intellectum agentem eſſe Deum probare contendebant.

INDEX CAPITVM SEXTI LIBRI.

CAPVT Primum.

AGGREDITVR *quæſtionem in ordine quartam de unitate intellectus, atque ordinem quem in ea pertractanda obſeruabit, proponit; deinde huius ſententiæ Auctores, atque ante ſigna nos e nomine recenſet quorum tria argumenta pro unitate proponit, quæ tamen contra nos, qui ex ueritate pluralitatem tenemus nullam uim habere demonſtrat.*

CAPVT Secundum.

Affert quartum argumentum pro unitate ex cauſſa materiali, & finali multiplicationis numericæ, quarum neutra poteſt intellectus naturæ conuenire, atque eiuſdem argumenti ueram, & germanam ſolutionem affert.

CAPVT Tertium.

Ponit quintum argumentum ex eo, quod, ſi intellectus eſſet numero multiplicatus daretur infinitum in actu, deinde excludit falſas aliquorũ reſponſiones ponentium infinitum in actu dari poſſe in quantitate diſcreta & in rebus ſpiritualibus, atque in iis, quæ nullum inter ſe ordinem eſſentialem habent, excludit quoque ſententiam Sueſſani falſo S. Thomæ tribuẽtis reſponſionem algazelis; nempe quod detur multitudo per accidens infinita, ac tandem oſtendit nullam contra nos habere uim hoc argumentum, cum nos mundum incepiſſe ſupponamus, ac proinde negemus ſequi infinitum in actu, affert poſt modum duas alias pro unitate rationes, quas ſequenti capitulo ſoluet.

CAPVT Quartum.

Reſpondet rationibus nuper adductis, ac primo reſpondet illi, quæ ex eo quod alius animæ ſtatus poſt mortem apud Ariſtotelem non detur intellectus unitatem probare uidebatur, non modo enim Ariſtoteles in Ethicis alium animæ ſtatum teſtatur; ſed quamplurium etiam Ethicorum teſtimoniis comprobari apertum eſt.

CAPVT Quintum.

Oſtendit rationem deſumptam a præmio bonorum, & pœna malorum eſſe optimam rationem ad probandum alium animæ ſtatum, reſpondet præterea rationi ſuperius adductæ, quod anima nullam habeat operationem a corpore ſeparatam, atque reddit cauſſam: quare de alio animæ ſtatu Ariſto. in Metaphiſicis non tractauerit.

CAPVT Sextum.

Soluit argumentum, quo neceſſe eſſet, aut animam moueri per ſe de uno in alium locum poſt mortem, aut dari tranſmigrationem animarum de corpore in corpus, niſi unica in omnibus hominibus foret: ſoluit præterea alind Auerrois argumentum, & uulgatam Themiſtii rationem, quod ſi

b *unicus*

unicus non eſſet in hominibus intellectus non eſſent omnibus eadem axiomata, nec communes notiones, neque diſcipuli a præceptoribus doceri poſſent, quibus omnibus rationibus non ſolum ratione phiſica, ſed etiam ex principijs Ariſtotelis poſſe ſatisfieri aſſerit, cum reliquis rationibus contra unitatem phiſica ratione, & ſaluis Ariſtotelis principijs non poſſe ſatisfieri Beſſarion Cardinalis *exiſtimet, quam* Beſſarionis *ſententiam Auctor reijcit non enim eſſe impoſſibilē pluralitatē intellectuū apud Ariſtotelem, ſed alium uitæ ſtatū ſalua pluralitate conuenientius dici poteſt.*

CAPVT Septimum.

Agreditur rationes, quibus conuincuntur unitatis aſſertores contra ſententiam Beſſarionis, *qui putauit tenentes unitatem intellectus, nondū potuiſſe phiſicis rationibus conuinci, ac primo affert rationem ex tertio Metaphiſico. tex. 13. ubi inquit Ariſt. non eſſe unam omnium hominum formam: quia, ſi ſic eſſet omnes homines eſſent unus homo, atque Achillini, &* Buccaferrei *reſponſionem confutat, & rationem Ariſt. efficaciter demonſtrat.*

CAPVT Octauum.

Affert ſecundum argumentum contra unitatem deſumptum ex 2. Metaphiſico. tex. 45. nempe quod ens, & unum idem ſunt, & quorum eſt ſubſtantia una, unum numero ſunt, quare cum homines plures numero ſint eorum non poteſt eſſe una ſubſtantia: cuius argumēti aliquot ſolutiones ponit, ac tandem inſolubile remanere argumentum concludit.

CAPVT Nonum.

Ponit tertium argumentum ex Ariſt. 12. Metaphiſi. 35. ubi probat non eſſe plures primos cælos: quia non ſunt plures primi motores: ergo a pari cum ſint plures homines, neceſſe eſt plures eſſe eorum formas probat conſequentiam, & aliquot reſponſiones affert ad argumentum.

CAPVT Decimum.

Agreditur ponere reſponſiones, quibus ſoluuntur rationes S. Thomæ contra unitatem ab Aſſertoribus eius ſententiæ, & primo ponit reſponſiones ad tria argumenta, nempe intellectus eſt forma corporis humani: ergo multiplicata ad numerū corporum, negatur conſequentia: quia eſt forma corporis humani in ſpeciē, non in numero. Amplius eadem eſt pro-

 portio

portio huius animæ ad hoc corpus, quæ eſt anima humanæ in ſpecie ad corpus humanum in ſpecie negatur aſſumptum. Tertio ab eodem habet aliquid eſſe,& unitatem: ergo homines, qui ab intellectu habent eſſe numericum ab eodem habent unitatem numericam negatur ab illis, qui falſo aſtruunt unitatem hominem habere ab intellectu eſſe numericum, cum concedatur ab eo habere tantum eſſe ſpecificum.

CAPVT Vndecimum.

Affert aliud argumentũ contra unitatẽ, quia ſi eſſet una anima intellectiua in omnibus hominibus; moueretur dum accederet ab uno indiuiduo, quẽ prius informauerat in aliũ, quẽ nunc informaret: hoc tamen eodem argumento urgeri nos, qui pluralitatem ponimus demonſtrat, cum anima noſtra in morte a corpore in alium uitæ ſtatum recedat; cum etiam anima noſtra accedat multis corporis partibusque in uegetando creſcunt, & a multis recedat, quæ ab ipſa prius informabantur, quod ſi his argumentis nos, qui pluralitatem tuemur ſatis facimus dicentes animam rationalem, quamuis modo ſit in hoc modo in illo loco non moueri, cum non illa, ſed corpus mutationem ſuſcipiat eadem etiam reſponſione fautores unitatis uti poſſe oſtendit. explicat præterea propoſitionem illam uulgatam motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, atque ſoluit argumentũ, quod affertur nempe, ſi intellectus eſſet unus, tunc idem eſſet in extremis & non in medio, quod eſt impoſſibile.

CAPVT Duodecimum.

Reſpondet quinque alijs argumentis adductis contra unitatẽ, & primo ad id, quod dicitur, ſi unitas intellectus daretur; daretur quoq; ex Ariſtotele reſurrectio, cum ſit eadẽ materia rurſus ab eadẽ anima informata, negatur eſſe eandẽ numero, animã quæ iterum informat, cum phantaſia, quæ ante informabat, corrupta ſit, & eadẽ numero non reſtituatur, ſecundo ad id, quod dicitur, ſi intellectus eſſet unus, tunc ſcire eſſet reminiſci, negatur conſequentia: quamuis enim remaneat intellectus non remanet phantaſia, quod declarauit Ariſto. dicens: Non reminiſcimur autẽ: quia hoc quidem impaſſibile eſt; paſſiuus uero intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit. *appellat uero phantaſiam paſſiuum intellectum. Tertio ad id quod dicitur idem eſſe, & perpetuum id quod intelligitur, ſi unus ſit intellectus, negatur ſimiliter conſequentia, cum non ſit eadem phantaſia. Quarto, cum dicitur: ſi unus eſt intellectus in omnibus hominibus tu eſſes per eſſe mei, & ego per eſſe tui. negatur conſequentia, cum homo non conſtituatur in eſſe ultimo per intellectum, ſed*

per phantaſiam. Quinto, cum dicitur, ſi intellectus ſit unus, homo non quatenus homo, ſed quatenus animal erit mortalis, quãuis hoc argumentum potius contra immortalitatem, quam contra unitatem faciat tamen reſpondetur hominem eſſe mortalem, quatenus in eo corrumpitur phantaſia, qua homo conſtituitur in eſſe numerico, quamuis per intellectum conſtituatur in eſſe hominis, prout homo.

CAPVT Decimum tertium.

Soluit argumentum ſumptum ex Ariſt. 4. Metaphiſico. tex. 9. ubi inquit duo contradictoria non poſſe eſſe ſimul uera, quod ſi unicus ſit intellectus in omnibus hominibus, tunc duo contradictoria erunt ſimul uera nam duo homines contradictorias habebunt opiniones, & uterque eorum ſecundum unum communem intellectum opinabitur ſuam opinionem eſſe ueram: ergo idem intellectus ſimul opinabitur aliquid eſſe, & non eſſe reſpondet, negando conſequentiam: quia ad intellectionem non modo concurrit intellectus, ſed etiam phantaſia, prout intellectus in phantaſmatibus intelligit, quæ phantaſia eſt ad numerum hominum multiplicata.

CAPVT Decimum quartum.

Oſtendit hanc ſententiam de unitate, quamuis uideatur tueri poſſe, multis tamen incommodis urgeri, quæ non modo nobis fidei lumine illuſtratis neceſſario concludere uidebuntur: ſed etiam ex ſententia Ariſtotelis poſita immortalitate neceſſario concludent, & primo affert argumentum deſumptum ab operatione: quia ſi intellectus eſſet immortalis, & eſſet unus in omnibus hominibus poſita, quod omnes homines interirent, quod eſt poſſibile, cum non ſit neceſſarium non, eſſe tunc hic intellectus perpetuo remaneret ocius amiſſo adæquato ſuo corpore, quod eſt inconueniens.

CAPVT Decimum quintum.

Affert tria alia argumenta contra unitatem, unum eſt, quod, ſi intellectus ſit unus, tunc non daretur alius ſtatus animæ extra corpus: ergo homo non conſequeretur naturalem beatitudinem, ad quam naturaliter eſt ordinatus cum illam in hac uita cum corpore conſequi non poſſit: alterũ eſt ſumptum a Diuina iuſtitia: quia tunc non daretur alius animæ ſtatus, & multa bona remanerent inremunerata, & multa mala impunita. Tertium eſt deſumptum ex Ariſt. 12. Metaphiſic. tex. 17. ubi inquit aliquam cauſſam formalem remanere poſt id, cuius eſt forma, ut intellectus, ex quo

ſequitur

ſequitur intellectum eſſe multiplicatum ad numerum hominum: quia, ſi eſſet unus, tunc non remaneret poſt ſuum ſubiectum cum ſpecies humana ſit æterna, ex quibus omnibus colligitur Ariſtotelem immortalitatem animæ poſuiße; unitatem uero nõ modo non cõfirmaſſe apertis uerbis, ſed neque de pluralitate animarum dubitaſſe, ut patet ex quam plurimis locis ethicæ, & politicæ philoſophiæ; ita ut bene ſenſiße uideantur Sueſſanus, & Gaſpar Cardinalis Contarenus, qui dixerunt Ariſtotelem non de immortalitate dubitaße, ſed de alio animæ ſtatu poſt mortem. Circa unitatem uero prudentiorem fuiße Ariſtotelem cõſtat, qui nihil certi affirmauit, quam Theophraſtum, aut Eudemum; quamuis Ariſtotelem, ſi ſibi ipſi cõſtare uelimus pluralitatem intellectuum poſuiſſe dicendum ſit.

CAPVT Decimumſextum.

Oſtendit Ariſtotelem 1. Ethico. cap. 11. (ubi dixit poſterorum, & amicorum fortunas ad defunctos pertinere) affirmaße quod detur alius animæ ſtatus poſt mortem, & hoc ne admitteret incommoda, quæ ex oppoſita ſententia ſequerentur incommoda autem ſunt, quod uirtutes morales omnes perirent, & unuſquiſque uacaret uoluptatibus non timens alium ſtatum poſt præſentem uitam, quod omnis erga Deum pietas auferretur, cum nihil ab eo poſt mortem expectetur boni, uel mali; & quod Diuina iuſtitia periret, cum multi probi in hac uita mala patiantur, & multi mali bonis fruantur. Tandem concludit ſe ita determinaſſe hanc quæſtionem de unitate intellectus, nempe, quod Ariſt. numquam unitatem aperte pronunciauit; immo magis pluralitatem, ad quam pertinere dicit dubitationem ab Ariſt. motam primo de Anima tex. 12. ſcilicet an anima habeat opus proprium, quod poſſit exercere ſine corpore, & quod non de immortalitate animæ, ſed de alio eius ſtatu poſt mortem dubiam habuit ſententiam Ariſtoteles.

INDEX CAPITVM SEPTIMI LIBRI.

CAPVT Primum.

PROPONIT *duas alias quæſtiones examinandas, una eſt, utrũ in uno homine ſint duæ animæ, una ſcilicet ſenſitiua, & altera intellectiua, uel una tantũ ſcilicet intellectiua; altera uero, utrũ anima humana ſit forma informans, uel aſſiſtens, & primo aggreditur primam, in qua duas dicit eſſe ſententias, unam eorum, qui putant unicam in homine eſſe animam, qui rurſus diuiduntur, aliqui enim putant unicam in homine eſſe*

animam,

animam, ſed mortalem, ut Alexander, & eius ſectatores; aliqui uero immortalem, ut ſanctus Thomas, & quam plures alij. Alteram uero eorum, qui putant duas in homine eſſe animas, cuius ſententiæ ſunt Plato, Theophraſtus, Themiſtius, Philoponus, Simplicius, & Auerroes. Hanc quoque fuiſſe Ariſtotelis ſententiam ex multis locis, & argumentationibus demonſtrat, & aliquot S. Thomæ, & aliorum reſponſiones ad prædicta argumenta affert.

CAPVT Secundum.

Agreditur ponere rationes S. Thomæ contra hanc ſententiam, & primo ponit primam; nempe ſi eſſent in homine duæ animæ, una ſenſitiua, & altera intellectiua, tunc non poſſemus ponere differentiam inter ſingulare, & uniuerſale: quia ponens differentiam inter diuerſa, debet eſſe unũ, ad quam rationem reſpondet dicens, tunc illud, quod ponit differentiam inter diuerſa debere eſſe unum, cum illa diuerſa ſunt eiuſdem generis; prout ſunt ſenſibilia inter ſe; non autem, cum ſunt diuerſi generis, ut ſunt ſenſibilia, & intelligibilia; ponit etiam alterum argumentum S. Thomæ; nempe ſi in homine eſſent duæ animæ; tunc homo non erit unum ſimpliciter, quam conſequentiam tripliciter probat; primo, quia unitas ſimpliciter eſt ab unitate formæ: ſecundo, quia ab eodem habet aliquid eſſe, & unitatem: tertio, quia quæ denominantur a diuerſis non ſunt unum ſimpliciter.

CAPVT Tertium.

Soluit prædictum argumentum, ſi in homine eſſent duæ animæ, tunc homo non eſſet unum ſimpliciter, & negat conſequentiam: quia ita in homine ſunt duæ animæ, ut una in aliam referatur: reſpondet uero probationibus conſequentiæ; & primo primæ probationi, quod unitas ſit ab unitate formæ reſpondet, duplicem eſſe in homine unitatem numericam, & ſpecificam; & proinde duas formas ſecundæ ſimiliter reſpondet duplex eſſe in homine reperiri; numericum, & ſpecificum, & proinde duplicem formam. Tertiæ uero reſprndet ea, quæ demoninantur a diuerſis formis non eſſe unum, ſi illæ formæ ita ſint diuerſæ, ut una in aliam non referatur; reſpondet præterea rationi ſumptæ ex octauo Metaphiſic. nec non rationi ſumptæ ex 2. de Anima tex. 31. ubi inquit Ariſtotelem loqui de facultatibus animæ, quæ ſunt eiuſdem generis, quas dicit contineri inferiores in ſuperioribus, ſicut trigonum in tetragono, non autem de facultatibus diuerſi generis, cuiuſmodi ſunt ſenſitiua, & intellectiua: ſoluit præterea argumentum, quo dicitur, ſi in homine ſint duæ animæ: tunc ani-

ma ra-

ma rationalis adueniret enti in actu; nam adueniret corpori habenti animam ſenſitiuam: quare accidens eſſet, reſpondet animam rationalem aduenire eodem inſtanti, quo aduenit Ebrioni ſenſitiua numerica: quare nō aduenit enti in actu, ſed adhuc in potentia. Hanc tamen ſententiā Ariſtotelis falſam eſſe oſtendit, cū ueritati Chriſtianæ repugnet: quia tenendū eſt unicam eſſe in homine animā rationalem reliquas potentia continentem.

CAPVT Quartum.

Poſtquam determinauit ex ſententia Ariſt. duas eſſe in homine animas re, & genere ſeiunctas, nunc proponit aliam quæſtionem, ſcilicet, utrum anima ſenſitiua, quæ eſt cogitatiua propria hominis, aut intellectiua det eſſe homini, & primo Gandauenſis Auerroem ſequti opinionē; recenſet, qui data diſtinctione de forma aſſiſtente, & informante, inquit, intellectū eſſe hominis formam aſſiſtentē, cogitatiuam uero informantem, quam etiā dicit fuiſſe ſententiam Simplicij, & aliorum Græcorum, atque omnium fere, qui ex Ariſt. immortalitatem animæ defenderunt.

CAPVT Quintum.

Vt determinet propoſitam quæſtionem duas concluſiones ponit unam, quod non datur aliqua forma aſſiſtens, ſed omnis forma informet, alteram uero, quod intellectus non ſit forma aſſiſtens; ſed informans: priorem concluſionem probat quinque argumētis primum argumentum eſt, quod forma in Metaphiſica definitur, per quod quid erat eſſe: ergo omnis forma dat eſſe. ſecundum eſt omnis forma eſt natura: ergo omnis forma dat eſſe: quia omnis natura dat eſſe, cum ſit principium intrinſecum. Tertium eſt implicat dicere aliquid eſſe principium operationum, & non dare eſſe: quia omnis operatio pendet ab eſſe quartum eſt omnis ſubſtantia, aut eſt compoſitum, aut materia, & forma quæ ſunt principia compoſiti: ergo nulla eſt forma, quæ non det eſſe. quintum eſt, ſi darentur formæ aſſiſtentes eſſent intelligentiæ, ſed intelligentiæ ſunt formæ informantes orbes non aſſiſtentes illis ex ſententia Ariſt. ut manifeſte probatur, & etiam Sanctus Thomas tenuit ſecundo contra gentes cap. 70. ergo.

CAPVT Sextum.

Probat ex quamplurimis locis Ariſtotelis in 2. de Anima tex. 8. & 24. 25. & 26. necnon 36. & 37. & 12. Metaphiſ. tex. 13. & 7. Metaph. tex. 30. Animam intellectiuam dare eſſe, quod etiam decem alijs argumentis probat, & aliquos doctores citat, qui copioſe hoc idem demonſtrāt.

CAPVT Septimum.

Agreditur ſoluere rationes, quibus nituntur, qui animam intellectiuam dicunt eſſe formam aſſiſtentem non informantem.

CAPVT Octauum.

Soluit aliud argumentum ex auctoritate Ariſt. 10. Ethico. cap. 7. ubi tribuit homini duplicem operationem unam humanam, quatenus eſt homo alteram uero diuinam, quatenus in eo eſt, quid diuinum, & hæc eſt contemplatio: ergo intellectus non eſt forma hominis, quatenus homo. Reſpondet uero hoc ab Ariſt. non fuiſſe abſolute dictum, ſcilicet, quod contemplatio non competat homini, & ſit, quid diuinum, ſed fuiſſe dictum comparatiue ad actionem, quæ magis propria uidetur eſſe hominis.

CAPVT Nonum.

Affert ultimum argumentum illorum, qui putant intellectum tantum aſſiſtere, argumentum uero eſt, quod ſi intellectus informaret, ſicut cogitatiua, tunc in diffinitione hominis oporteret ſumere duas differentias, cum tamen uideamus hominem definiri tantum per rationale ad hoc reſpondet eſſe neceſſarium hominem definiri per duas differentias, cum habeat duplicem formam informantem, quas duas differentias ſignificat rationale, quamuis ſit una uox: rationale enim dicit intellectiuum coniunctum cum ſenſitiuo proprio hominis.

CAPVT Decimum.

Agreditur ultimam quæſtionem, nempe quo tempore, quomodo, & unde nobis adueniat anima intellectiua, & quorundam opinionem recenſet, qui poſuerunt nullam animam fœtui aduenire, dum eſt in utero, quam ueluti falſam confutat, & aliquot obiectiones ſoluit, quæ pro hac ſententia facere uidebantur.

CAPVT Vndecimum.

Recenſet alteram ſententiam eorum, qui putarunt omnem animam ſimul cum ſemine traduci, atque eam ſeptem argumentis oppugnat: primo quod anima ſit actus corporis organici, ſemen autem non eſt organicum: ſecundo, quod ſi hoc eſſet uerum, tunc generatio eſſet ſola ſeminis deciſio, quod eſt abſurdum: tertio, oua, & ſemina eſſent animata: quarto, omnes

reliquæ

reliquæ tranſmutationes, quæ fiunt in ſemine ad generationem eſſent inutiles: quinto, generatio ſequeretur non præcederet formam: ſexto, in quacunque humani ſeminis deciſione anima intellectiua decideret, quod eſt abſurdiſſimum: ſeptimo, quod hæc ſententia manifeſte Ariſt. aduerſatur in 2. de generatione animal. cap. 3. ex quo loco etiam colligit falſam eſſe Philoponi ſententiam in expoſitione 2. de generat. animal. quod anima uegetatiua cum ſemine traducatur, & aliqua exponit Ariſt. loca in 2. de generatio. animal. cap. 3. ex quibus uidebatur confirmari poſſe prædicta ſententia, aliam quoque opinionem ibidem tenuiſſe Philoponum demonſtrat; nempe, quod omnes animæ eodem tempore accedant, quam falſam eſſe, & non modo Ariſt. & rationi, ſed etiam ſuo Auctori aduerſari probat.

CAPVT Duodecimum.

Recitat aliam ſententiam eorum, qui putarunt Animam intellectiuam non ſtatim poſt generationem aduenire, ſed temporis progreſſu, cum homo uſum rationis incipit habere, quam ſententiam fuiſſe quorundam Auerroiſtarum, & Antonij Bernardi Mirandulani præceptoris ſui, inquit, illamque ueluti falſam, & alienam non ſolum a ueritate, ſed etiam ab Ariſtotele confutat.

CAPVT Decimum tertium.

Poſt multas recitatas ſententias tandem determinat, quo tempore anima intellectiua corpori adueniat, & inquit aduenire, cum fuerit acquiſita ſenſitiua ſpecifica poſt ſenſitiuam genericã, & poſt uegetatiuam, quod probat rationibus ex Ariſt. teſtimonio deſumptis in 2. de gene. anim. c. 3. proponit inſuper tres alias difficultates enucleandas, una eſt, quo tempore acquiratur anima ſenſitiua generica, altera eſt quo tempore acquiratur ſenſitiua ſpecifica, tertia eſt utrum ſenſitiua ſpecifica, & indiuidualis eodem tempore educantur.

CAPVT Decimum quartum.

Elucidat primam difficultatem, nempe quo tempore anima ſenſitiua generica acquiratur, & inquit, hoc certo ſciri non poſſe, ſed per coniecturam hoc tamen ordine animas acquiri; nempe primo uegetatiuam, deinde uero ſenſitiuam genericam poſt ſenſitiuam ſpecificam, quo tempore corpus perfecte organizatum eſt. Animam uero uegetatiuam ſeptimo die acquiri ex auctoritate Ariſt. 7. de hiſto. animal. cap. 3. poſt eam uero ſenſitiuam

uam genericam educi; at uero ante ſeptimum diem in meſtruum agere, & efformare corpus facultatem ſeminis a generante inditam.

CAPVT Decimum quintum.

Oſtendit uegetatiuam acquiri ſeptimo die, uel paulo poſt, eo enim tempore fœtus incipit nutriri genito iam corde, a quo uena umbilicalis, & reliquæ omnes uenæ originem habent. Cor autem primo generari, & efformari, nec non eſſe principium uenarum omnium ex plurimis locis Ariſtotelis demonſtrat, quod etiam ſe uidiſſe in diſſectione meſtrui fœtus facta a Realdo Columbo in Romano Gymnaſio teſtatur.

CAPVT Decimum ſextum.

Proſequitur multis alijs auctoritatibus Ariſt. probare, quod cor primo generetur, & ſit principium omnium uenarum, quam ſententiam Ariſtotelem ratione, & experientia comprobaſſe teſtatur; ita ut Galenus male exiſtimauerit in libro de formatione fœtus, epar priuſquam cor generari, & eſſe uenarum principium, & perperam ſuam ſententiam mutauerit, quam de prioritate originis cordis in libro de ſemine habuit, ac tandē Hyppocratem in libro de corde ad ſententiam Ariſt. acceſſiſſe oſtendit.

CAPVT Decimum ſeptimum.

Oſtendit generato corde generari cerebrum, ut contemperet nimiam cordis caliditatem; at uero poſt cerebri generationem innaſci animam ſenſitiuam genericam, quo autem tempore incertum eſſe, ſed coniectura ſumpta a tempore, quo mouetur fœtus (motus enim ſupponit ſenſum, & phantaſiam) dicendum eſſe, ut ex Ariſt. colligitur 7. de hiſtor. animal. cap. 3. quod maribus circa quadrageſimum diem, feminis uero circa nonageſimum anima ſenſitiua innaſcatur.

CAPVT Decimum octauum.

Reſpondet ſecundæ difficultati, ſcilicet, quo tempore adueniat ſenſitiua ſpecifica poſt genericam, & inquit, quod quamuis hoc ſit difficile cognoſcere: nulla enim apparet deliberatiuæ phantaſiæ operatio, ex qua id poſſit iudicari; tamen, cum poſt acquiſitionem animæ uegetatiuæ uſque ad acquiſitionem ſenſitiuæ genericæ in maſculis intercedat tempus 30. dierum, & amplius in feminis uero 82. coniectandum eſt in acquiſitione ſenſitiuæ ſpecificæ, quæ multo perfectior eſt ſenſitiua generica non minus

nus temporis intercedere; ita ut maſculis non ante tertium menſem, feminis uero non ante quartum; ſed circiter quintum menſem accedat, qua accedente ſtatim accedit ſenſitiua numerica ex ſententia Ariſt. necnon etiam eodem temporis inſtanti intellectiua.

CAPVT Decimum nonum.

Exponit quæſtionem ſecundo loco propoſitam: nempe quomodo nobis adueniat anima intellectiua, & primo proponit ſententiam Aphrodiſei, & reliquorum, qui putarunt animam rationalem eſſe mortalem dicentiū animam intellectiuam aduenire nobis per generationem, & educi de potentia materiæ, & eam confutat: ſecundo uero recitat ſententiam Ariſtotelis dicentis, animam intellectiuam aduenire fœtui, ſtatim cum aduenit ſenſitiua ſpecifica, & aduenire extrinſecus, in quo dicit eum conuenire cum noſtris Theologis, uerum alio, atque diuerſo modo: Ariſtoteles enim putauit extrinſecus aduenire, cum ante eſſet. Theologi autem extrinſecus aduenire per creationem, & creando infundi, ſicut & infundendo creari. Ariſtotelem quoque non probaſſe propterea ſententiam Pytagoricorum, nec Plotini, nec eorum qui putarunt animam intellectiuā acquiri per aſſiſtentiam oſtendit.

CAPVT Vigeſimum.

Abſoluit ultimam quæſtionem; unde adueniat anima intellectiua, & primo reijcit ſententiam Platonis, ad quam uidetur acceſſiſſe Virgilius, quod proueniat ab anima Mundi: ſecundo, reijcit ſententiam Calippi, & Eudoxi dicentium, quod proueniat a ſtellis, ad quam ſententiam etiā uidetur aliquando acceſſiſſe Plato: tertio, ponit ſententiam, quam aliquis Ariſtoteli tribueret iuxta unitatis figmentum: nempe, quod anima, quæ tota eſt in matre, & in tota ſpecie humana, accedat etiam ad informandū fœtum, quam etiam confutat; ſublato enim falſo fundamento unitatis corruit, & ipſa, ac tandem ueram ſententiam ponit noſtrorum Theologorum dicentium animam intellectiuam a Deo immediate prouenire per creationem, quam Philoſophi minime cognouerunt, cum ſit opus infinitæ potentiæ, atque epilogo facto omnium quæſtionum, quas diſputauit operi manum ultimam imponit.

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS

LIBER I.

Caput I.

DVM ſuperioribus annis in Romana Academia aureum illum, nec ſane minus difficilem librum Ariſtotelis tertium de Anima interpretarer, poſt explanationem eorum, quæ de poſſibili, deq. agente intellectu præclare (ut ſolet omnia) dixerat ille, diuino uir ingenio; eam tantopere ab omnibus deſideratam de humanæ mentis immortalitate diſputationem ſum aggreſſus. cumq. perdifficilem, ac perobſcurã quæſtionem, in qua ſemper, maxima tum ueterum, tum recentiorum Philoſophorum diſſenſione, non minima mortalium pernicie, certatum eſt, explicare, & pro uiribus explicatam, multis poſtulantibus, & plane efflagitantibus, in lucem edere conſtituiſſem: nunc tandem, fauente Deo, præſtare uiſum fuit. Non inutilem, neque indignã Philoſopho Chriſtiano operam. Nam, ubi Ariſtotelis, præſtantiſſimi uiri, & naturæ interpretis, teſtimonio, ac rationibus, non dialecticis, & communibus, quibus plerique uſi ſunt, ſed naturalibus, & proprijs, ex ui & natura animæ noſtræ ductis, quorundam hominum, de immortalitate ipſius dubitantium, imbecillitati, & incredulitati opem tulerimus, fieri facile poterit, ut ijs, quæ ad alium uitæ ſtatum, atque ad animæ originem pertinẽt, & reliquis omnibus, quæ naturali tandẽ lumine ductus non cognouit Ariſtoteles, ipſi, fide ducti, certiſſime credant, &

 aſſen-

aſſentiantur. Quamuis ueritas ipſa, ut poſt multos antiquio res, doctrina, & pietate inſignes, præſertim Sanctos Ambroſium, & Auguſtinum recte, & ſapiẽter dicebat Ioannes Scotus, & uerbis, & re ipſa illa omnia nobis patefecerit: nam & Redemptoris noſtri mors ſalutaris, ac maxime uitalis, & admirabilis in uitam immortalem reditus, quorum utrumque nobis ſancta, & pia mater Eccleſia quotãnis in memoriã reuocat, præter cetera, quæ a nobis aſſidue meditãda, pioque, ac grato animo recolenda ſunt, non modo animorũ noſtrorum immortalitatem, originemq. ab uno Deo, rerum omnium Creatore, per creationem procedentem, multipliceq. eorum numerum, aliam poſt corporis interitum condicionem, & aliam actionem, ſed etiam futuram rurſus cum corpore coniunctionem, & ultimam, ac omnino perfectam eorundem felicitatem nobis luce clarius indicant; quatenus lumen fidei perſpicienda ſuppeditat ea, quæ creduntur. Non inconſonum tamen erit, ſi illis, quæ fides docet, etiam naturalis ratio conſentire demonſtretur.

4. Sent. diſtinct. 43. quæſt 2. in fine.

Caput II.

QVoniam ſola hæc quæſtio de immortalitate animæ non poteſt perfecte ex ſententia Ariſtotelis explicari, niſi & aliæ, quas ipſa quodammodo ſecum trahit, & ſecum coniunctas habet, ſimul explicentur, iccirco non unam tantum, ſed plures, ac ſaltem ſeptem quæſtiones a nobis ſuo ordine tractandas proponimus: quarum prima erit: Vtrum ne anima intellectualis, quæ (ut ſuo loco, dum uerba Ariſtotelis interpretaremur, demonſtrauimus, & infra quoque attingemus) ex intellectu poſſibili, & agente conſtat, cum ex ſentẽtia Ariſtotelis, tum ex ipſa ratione naturali ſit immortalis: an uero interitu corporis ipſa quoque intereat, ſic, ut in morte nullus fiat diſceſſus animæ a corpore, ſed una anima & corpus occidant, ſicut Empedocles, Epicurei, & ipſos ſecutus Lucretius, ac alij quidam ueteres Philoſophi ſenſerunt, & inter Peripateticos loquentes, ſeu potius ex ſenten-

tia Ariſtotelis ſe loqui profitentes Alexander Aphrodiſeus, & alij eius auctoritate decepti. nam, licet Alexander Imperatore Antonino quingentos circiter annos poſt Ariſtotelem floruerit, quia tamen eo tempore doctrina Ariſtotelis fere exſtincta, ſtudio, & diligentia eiuſdem cœpit reuiuiſcere, tantam ſibi inter Peripateticos, & alios Ariſtotelis interpretes idem Alexander auctoritatem uindicauit, ut nemo exiſtimaretur Peripateticus, qui idem non eſſet Alexandreus. quo factum eſt, ut, qui ſententias Ariſtotelis Alexandri ſententia metiebantur, eandem fuiſſe ſententiam Ariſtotelis exiſtimauerint: in quibus præter ceteros fuit unus ſanctitate uitæ, & litterarum gloria inſignis Sanctus Gregorius Nazianzenus, Beati Hieronymi præceptor, qui Theologi cognomen merito obtinuit: fuit etiam Gregorius Nyſſenus: fuit & Iuſtinus, Philoſophus, & martyr.

Alexādrū fuiſſe his tēporibus, legitur in libro de fato, quē ſcribit ad Seuerum, & Antoninū Imperatores.

Quod nemo Peripateticus, niſi Alexandreus, refert Auerroes 3. de Anima cō. 14.

Nazian. de Theologia orat. 1.

Nyſenus dicit hoc de Ariſt. lib. de Anima, & reſurr. pag. 6. non tamen eū recēſet nomine, ſed deſcribit his uerbis, is, qui poſt Platonem Philoſophus fuit, &c.

Iuſtinus in oratione parænet.

Quod ſi immortalem, & corpori ſuperſtitem ſentiat Ariſtoteles eſſe animam, quemadmodum ſentire ipſum demonſtrabimus, & quemadmodum ratio naturalis ex ui, & natura ipſius animæ ducta demonſtrat, ſuccedit alia quæſtio, An ſenſerit Ariſtoteles, ipſam eſſe undique æternam, & omnino anteceſſiſſe corpus; an uero, incepiſſe eſſe cum corpore, quēadmodum re uera incipit per creationem. quare in hac ſecunda quæſtione, æque ac in prima, non de ueritate, quæ nō eſt dubia; ſed, quid exiſtimauerit Ariſtoteles, nobis futura eſt diſputatio. Verum, quoniam ea, quæ ab Ariſtotele de immortalitate animæ dicuntur ab ijs, qui eam negarunt, & ſtudent ſententiæ ſuæ fautorem habere Ariſtotelem ad intellectum agentem, uel uiolentiſſime detorquentur, quem falſo, & longe a ſententia Ariſtotelis dicunt eſſe ſeparatum ab anima noſtra, iccirco de natura intellectus agentis a nobis tertio loco diſputandum, & uidēdum eſt: An ſit aliquid ab anima ſeiunctum, ut Alexander Aphrodiſeus, & plerique alij exiſtimarunt; an uero ſit pars, ſeu potentia eiuſdem animæ; &, ſi pars uel potentia, an differat re ab intellectu poſſibili, an ratione tantum. At uero, quia uidetur Ariſtoteles ita immortalitatem animæ noſtræ affirmare, ut ea, quæ

alibi aliquando tradit,& argumenta, quæ ex uerbis eius trahuntur,multiplicem eius numerum dubium reddant, ſic, ut multi præſtantes Peripatetici,in quibus non ſolũ fuit Auerroes,ſed Theophraſtus,& Eudæmus, Ariſtotelis auditores, necnon Themiſtius etiam, in ea ſint hæreſi, ut exiſtiment, immortalitatem animæ non poſſe integram remanere, uel potius non uideri ſibi Ariſtotelem(qui tamen animę immortalitatem, ſecluſa unitate ipſius, uel multitudine, demonſtrauit)poſſe ſibi conſtare in tuenda ea,quam demonſtrauit, immortalitate,ſiue in ſoluendis argumentis, & explicandis dubitationibus contra ipſos allatis, ſi ſingulis hominibus ſinguli intellectus tribuantur: diſputandum erit quarto loco,An unicum tantum intellectum finxerit Ariſtoteles cum omnibus hominibus communicatum: An uero ſinguli homines ſingulos intellectus ſibi proprios habeant, quemadmodum re uera habent, & quemadmodum aliquando ſatis clare uiſus eſt poſuiſſe & credidiſſe Ariſtoteles, qui tamen unitatem diſertis uerbis numquam pronuntiauit. qua in re (quidquid ſenſerit) prudentior tamen fuit, quam Theophraſtus,Eudęmus,& poſteri,qui unitatẽ aperte affirmarũt.

Quod ſi unicus fingatur intellectus,conſiderandum erit, an illa unitas ratione naturali probari poſſit, quandoquidẽ illam a ueritate diſcordare non eſt ambigendum; & an rectum ſit iudicium Beſſarionis, Cardinalis Niceni, uiri doctiſſimi, dicentis, eos, qui unicum poſuerunt intellectum, nondum phyſicis rationibus conuinci potuiſſe.

Præterea,cum duplex uideatur eſſe Endelechia,ſiue duplex actus; alter quidem,qui informat,& dat eſſe, ſiue perficit eſſentiam eius, cuius eſt actus; alter uero, quem dicunt aſſiſtere,& operationes tantum perficere; cum multi, & illi quidem egregij Peripatetici exiſtiment,ſi intellectus noſter ſit immortalis,aſſiſtere dumtaxat, & perficere tantum operationes, non autem eſſentiam corporis humani: iccirco, conſtituta immortalitate intellectus,quæremus quincto loco,An ſenſerit Ariſtoteles intellectum ſolum aſſiſtere,& ſolas operationes,an uero eſſentiam hominis perficere, quemadmo-

Theophraſtum,& Eudæmũ Ariſtot. auditores,receſſet Strato.

Item de Theophraſto, Diogenes Laertius lib. v.

Themiſtiũ id ſenſiſſe, ex ipſomet conſtat 3. de An cap. 33.

Idẽ refert cap. 39. in eadem opinione fuiſſe Theophraſtum.

Beſſarion 3. lib. contra calumniat. Platonis.

admodum re uera, etiam ex ſententia Ariſtotelis,perficit. Deinde, ſi intellectus ſit immaterialis, ſitq. immortalis, cũ omnes aliæ facultates animæ ſint materiales, & mortales, materiale uero,& immateriale non uideantur eidem formæ conuenire poſſe, & eandem ſubſtantiam conſtituere: dubitatur ſexto loco, Vtrum ſenſerit Ariſtoteles, quod in ſingulo homine ſingulæ ſint animæ, ut eſt ueritas, quæ diuerſos gradus,& facultates diuerſas habeant; alias quidem materiales,& mortales; alias uero immateriales, & immortales. An uero exiſtimauerit, quod duæ ſint animæ in ſingulo corpore humano,re ſeiunctæ, altera quidem ſenſitiua, propria hominis,diuerſa ſpecie a ſenſitiua brutorum, quam Ariſtoteles phantaſiam deliberatiuam, atque etiam rationalem, quod ſit apta rationi parere, ſolet appellare, quæ gerat uicem altricis; & illa quidem materialis; altera uero intellectiua,immaterialis,& immortalis. Ariſtot. 1. Ethicorũ, cap.ult.

Poſtremo, ne aliquid, quod ad hanc diſputationem pertineat,intactum relinquatur,quæremus,quo tempore,quomodo,& unde nobis aduenint anima intellectiua. Quæ quidem quæſtio licet ardua ſit,&,teſte eodem Ariſtotele ſecundo de gener. animalium cap. 3. difficilem habeat explicationem,& illam quidem pertinentem tum ad Philoſophos, & Medicos,tum etiam ad Theologos,conabimur tamen ipſam pro uiribus declarare,ſimulq. ordinem generationis, & formationis humani fetus exponere.

Caput III.

HAec ſunt, quæ a nobis ſunt tractanda, & diligenter ex ſententia Ariſtotelis excutienda, quia Ariſtotelem,& doctrinam eius profitemur, & iam ultra quinquaginta annos publice profeſſi ſumus. ita tamen ea tractabimus,ut,dum Peripateticum Philoſophum agimus,Philoſophi Chriſtiani perſonam non deponamus. quare, ne ſententiæ Ariſtotelis,propter ſummam admirabilis hominis auctoritatem,alicui occaſionem præbeant aberrandi a fide,& ueritate

ritate nobis diuinitus patefacta, ſeruabimus præceptũ alias a nobis, iuxta doctrinam Sacroſancti Concilij Lateranenſis ſub Leone X. Pont. Max. celebrati traditum, dum ſupra de recta philoſophandi ratione, rogatu Reginaldi Poli, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis præſtantiſſimi, ageremus; ut ſcilicet, quæ ſententiæ Ariſtotelis ueræ ſint, & quæ falſæ, indicemus, rationesque, quibus falſæ illæ innituntur, diluamus, & cauſſas erroris aperiamus. Et, quoniam ratio naturalis non diſcordat a fide, neque fidei aduerſatur, licet ad eam, cum ipſa ſit alterius ordinis, (ut recte dicunt Theologi noſtri) non pertingat, ueritas enim ueritati non aduerſatur: iccirco in explanatione quæſtionum propoſitarum non dicemus nos, quod aliqui ſolent dicere, hoc quidem ex ſententia Ariſtotelis, illud uero ex fide uerum eſſe: ſed potius, quod diſcordat a fide, ſic ut fidei omnino aduerſetur, & contradicat, diſcordare a ueritate, ſimulq. a uera ratione naturali: &, quia ſenſus, & humana ratio, ſenſibus innixa, quorum utroque nitebatur Ariſtoteles, quæue ſunt inſtrumenta Philoſophi naturalis, a ueritate interdum aberrant, aut ſaltem ad eam minus proxime accedunt: iccirco contendemus, plus credendum eſſe diuinæ ueritati, quam humanæ rationi, ex ſenſibus nonnumquam fallacibus deſumptæ; atque interim monebimus, quam maximas immortali Deo a nobis agendas, & habendas eſſe gratias, qui illarum rerum notitiam, quæ intelligentiæ a ſenſibus profectæ uim, & facultatem effugiebant, quam ue tanto ingenio, quantum admirantur omnes, præditus Ariſtoteles aſſequi non potuit, ipſe nobis ſua benignitate impertiuerit.

Caput IIII.

SEd, ut ad quæſtiones propoſitas redeamus, & primo quidem ad primam de immortalitate animæ, quid de illa ſcilicet ſenſerit Ariſtoteles, diuerſi diuerſimode reſpondent: omnes tamen ſententiæ in tres ſectas referri poſſunt, quarum una, quæ, duce Theophraſto, præcipuo Ariſtotelis

diſci-

diſcipulo, plures quidẽ, & illos in omni ætate egregios fautores habuit, intellectum noſtrum eſſe immortalem, & hanc fuiſſe Ariſtotelis ſententiam contendit: Altera uero, quæ, licet priores Philoſophos habuerit fautores; in doctrina tamen Ariſtotelis, & in ſchola Peripatetica auctorem, & principem habuit Alexandrum Aphrodiſeum, mortalem illum eſſe, affirmat: Tertia uero ſecta tamquam media eorum eſt, qui non omnino adhærentes Alexandro, eius tamen auctoritate decepti, & eius argumẽtis confuſi dicunt, Ariſtotelis ſententiam in hac re fuiſſe dubiam, & ancipitem, ita, ut non magis uideatur immortalitati, quam mortalitati fauere, ſed aliquando magis ad immortalitatem, interdũ uero ad mortalitatem, ut res ipſa, & diuerſæ occaſiones poſtulabant, declinaſſe: & in hac ſententia fuit Ioannes Scotus 43. diſtinct. 4. quæſt. 2. ad quem uiſus eſt aliquando proxime accedere Auguſtinus Sueſſanus, licet cum Scoto, qui putauit immortalitatem non poſſe ratione naturali demonſtrari, non conſentiat. ille enim in libello ſuo contra Pomponatium, ipſum uanitatis, & ſuperſtitionis arguebat, quod eam quæſtionem ex ſententia Ariſtotelis tractaret, de qua dicebat Ariſtotelem nihil certi, nihil conſtituti habuiſſe. ipſe enim (quod pace eius dixerim) ex ſuo ingenio ingenium Ariſtotelis metiebatur: ſed accuſat Pomponatium, quod dixerit, animam intellectualem ex ſententia Ariſtotelis eſſe mortalem; propterea quod dicit, ab Ariſtotele nihil certi, nihil conſtituti ea de re haberi, neque Ariſtotelem in hoc quæſito ſibi conſtare: & tamen ipſe aſſerit, Pomponatium a ſententia Ariſtotelis longe recedere, dum animã ex ſententia ipſius mortalem eſſe contendit. Sed, quoniam hanc mediam ſectam confutabimus, cum Ariſtotelis hac de re ſententiam, non uagam, & errantem, ſed firmam, certam, & ſtabilem fuiſſe oſtendemus, idcirco ipſam de immortalitate diſputationem aggrediamur, quam in duas diuidemus partes. In priore enim, quæ pro immortalitate faciunt, afferemus: in ſecunda uero, quæ contra illam uidentur facere, diluemus.

Quod uero ad priorem partem attinet, ut cõſtitutum ſit,

quid

quid cum Ariſtotele ſentiamus, atque omnino, quid ſentien dum ſit, hanc concluſionem demonſtrandam proponimus. Ariſtotelem ſcilicet clariſſimis, & diſertiſſimis uerbis pronuntiaſſe, & efficaciſſimis rationibus demonſtraſſe immortalitatem animæ noſtræ, eandemq. ualidiſſimis, & manifeſtiſſimis rationibus naturalibus, & illis quidem proprijs demõſtrari poſſe, ſic ut, qui eam negauerit, neceſſario cogatur illas extorquere, &, ſi uerba Ariſtotelis, quæ infra afferemus, & illa quidem clariſſima, tueri uelit, aliena a natura hominis, eiq. ualde repugnantia confiteri.

Verum, quia concluſio noſtra duo proponit, nempe Ariſtotelis uerba, teſtantia immortalitatem, & rationes ipſam demonſtrantes: nos primum recenſebimus uerba, & locos diuerſos Ariſtotelis indicabimus, ubi hanc immortalitatem aſſerit. Deinde rationes, quibus ipſam demonſtrat, & quæ a natura rei ductæ ipſam demonſtrare poſſunt, afferemus. Non reticebimus etiam alias rationes, ab alijs in hanc ſententiam adductas, &, quantum ponderis habeant, conſiderabimus. Simul etiam, cum uerba Ariſtotelis, & rationes pro immortalitate facientes adducemus, quid reſpondeant mortalitatis fautores, exponemus, & reſponſiones ipſorum redarguemus. In altera uero huius diſputationis parte, ea, quæ ipſi pro mortalitate in medium afferunt, &, quæ uidentur afferri poſſe, ſaltem potiora diluemus.

Caput V.

QVod igitur ad priorem diſputationis partem attinet, in qua primum a nobis recenſenda ſunt uerba Ariſtotelis immortalitatem teſtantia, a leuioribus quodammodo incipientes, ſeruabimus ordinem ſaltem doctrinæ, quem habent inter ſe libri Ariſtotelis, ex quibus ipſa proferuntur. Ariſtoteles igitur in extremo priore libro Priorum Analyticorum, cum doceret reduplicatiuam particulam addendã eſſe extremo, non medio, inter alia uſus eſt hoc exemplo; Homo corruptibilis quatenus ſenſibilis, ubi innuit, hominẽ

1. Pri. ſec. 3. cap. 1.

non eſſe corruptibilem, quatenus homo, uel quatenus rationalis, ex quo ſequitur, animam rationalem, per quam eſt homo, non eſſe corruptibilem, ſed ſenſitiuam, per quam eſt ſenſitiuus, ſiue animalis. Idem Ariſtoteles primo Magnorum Moralium fere in principio, cum dixiſſet non pertinere ad ciuilem loqui de idæa boni, quamquam fortaſſis uera eſſet, & uideret quemquam poſſe ſibi pro Platone obijcere, hoc per ſe bono, quod eſt, Idæa utendum eſſe, tamquam principio, progrediendo ab eo ad ſingula, hanc obiectionem redarguit Ariſtoteles, quia, tametſi eſſet hoc uerum principium, non tamen eſt proprium ciuilis diſciplinæ; at in unaquaque demonſtranda proprijs principijs eſſe utendum admonebat. nam, licet uera accipiantur, ſi tamen non ſint propria, non demonſtrant. quod etiam primo Analyticorum demonſtrauerat; ibiq. Briſonis quadraturam redarguebat, ea præſertim ratione, quod, licet ſit ex ueris, & immediatis, non tamen eſt ex proprijs: & ideo primo Elenchorum cap. 11. dicebat, quadraturam Briſonis eſſe contentioſam, quia eſt ex communibus: & in definitione ſcientiæ poſita primo Poſteriorum appellauit ſcientiam illam Sophiſticam, quæ non eſt per cauſſam propriam, quod etiam ex eiuſdem uerbis in textu 41. illius libri ſcriptis licet intelligere: immo hac differentia præſertim diſtinguitur demonſtratio a ſyllogiſmo dialectico, quod ille non eſt ex proprijs, ſed ex communibus, licet poſſit eſſe ex ueris, & neceſſarijs. nam plerique loci dialectici ſunt ueri, & neceſſarij, non tamẽ demonſtrant, quia demonſtratio non poteſt eſſe, niſi ex ueris, & illis quidem proprijs. Ariſtoteles igitur, (ut reuertamur, unde digreſſi ſumus) loco ex principio fere Magnorum Moralium citato, quem librum multis argumentis conſtat eſſe Ariſtotelis, uolens id oſtendere, nempe principijs proprijs ſemper in demonſtratione eſſe utendum, ducit exemplum ab immortalitate animæ, in quo, quod ad propoſitum noſtrum attinet, ſupponit eſſe ueram hanc propoſitionem, animam eſſe immortalem, ſed illã non eſſe proprium, & accommodatum principium ad demonſtrandum triangulum habere

Ariſt. 1. Magn. Moral. cap. 1.

1. Poſter. cap. 9.

bere tres angulos æquales duobus rectis. hæc autem ſunt uerba Ariſtotelis: *Abſurdum enim ſit uolenti oſtendere triangulum duobus rectis æquales habere angulos, ſumere principium huiuſmodi, anima immortalis eſt, nec enim hoc proprium: oportet ſiquidem principium ſuum eſſe eiuſdem rei, de qua agitur, atque coniunctum, nunc uero abſque hoc, quod anima ſit immortalis, demonſtrabit quis, duobus rectis æquales habere triangulum; itidem & de bonis eſt inſpicere alia citra ideam boni: proinde proprium non eſt huius per ſe boni principiū.*

Afferet præterea aliquis pro immortalitate uulgatum illum locum, qui eſt apud Ariſtotelem primo Moralium Nichomachiorum cap. 11. ubi, quærens, An fortunæ poſteriorum ad defunctos pertineant? tandem hæc uerba protulit: *Videntur igitur tam proſperitates, quam aduerſitates amicorum aliquid defunctis afferre, tale autem, ac tantum, ut nec felices facere non felices, nec quidquam tale efficere ualeant.* Hæc igitur uerba uidentur nō ſolum ſupponere immortalitatem, ſed & multiplicem numerum, ſimulq. & alium ſtatum animæ, in quo degat ſeparata a corpore. In hanc eandem ſententiam de immortalitate alia eiuſdem uerba in eodem opere libro 10. cap. 7. ſcripta attulit Antonius Mirandulanus, Caſertæ Epiſcopus, Philoſophorum ætatis noſtræ princeps, quem honoris cauſſa nómino. ibi enim, cum de perfecta felicitate, quæ in contemplatione poſita eſt, loqueretur Ariſtoteles, dixit: *Hæc perfecta ſane felicitas eſt hominis, ubi uitæ longitudinem perfectam eſt nacta. nihil enim eorum, quæ ſunt felicitatis, imperfectum eſt.* Et, quia potuiſſet quis quærere, An hæc felicitas contemplatiua ſit propria hominis, qualis eſt actiua? ſubiungit: *Talis autem uita ſuperat hominis naturam. non enim, quatenus eſt homo, ita uiuet*, ſcilicet uita contemplatiua, *ſed quatenus diuinum quippiam in eo eſt.* uita enim contemplatiua maxime, & proprie cōuenit Deo, deinde ſubſtantijs alijs ſeparatis, & ideo non conuenit huiuſmodi, niſi quatenus diuinam naturam participat, ipſam ſcilicet mentem. Poſtea ſubdit Ariſtoteles: *Quantum autem id præſtat compoſito*, ſcilicet mens, *tantum eius operatio diſtat ab operatione, quam ex alia uirtute exſiſtit. ſi igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem reſpiciamus, ſic uita, quæ ex intellectu traducitur, diuina etiam ipſa eſt.* Ibi igitur dicit, intellectum eſſe diuinum,

eiuſq. operationem longe aliarum uirtutum operationibus præſtare,& diuinam eſſe. ſed,cum operationes aliarum uirtutum ad animam,quæ interit,pertineant,nempe ad appetitum ſenſitiuum, ſequitur, ut inferebat ipſe Mirandulanus, contemplationem eſſe illius animæ,quæ non interit, & maxime cum dicat ipſam eſſe diuinam: quod poſtea cap. 8. clarius ſignificauit Ariſtoteles, his uerbis: *Quin etiam prudentia cum morum uirtute coniuncta eſt, atque hæc cum prudentia: ſiquidem prudentiæ principium ex uirtutibus moralibus,rectitudo uero moralium uirtutum ex prudentia exſiſtit: at hæ annexæ cum affectibus ſunt & circa compoſitum uerſantur: uirtutes uero compoſiti humanæ ſunt; & uita igitur,quæ ſecundum ipſas traducitur, & felicitas huiuſmodi,* ſcilicet actiua, *erit humana,* nempe compoſiti: *mentis autem ſeparata eſt,* uidelicet a compoſito. Si igitur uirtus mentis ſeparata eſt a compoſito, ſiue a corpore, ſequitur,eſſentiam eius ipſam quoque eſſe ſeparatam,quia,quod habet operationem ſeparatam a corpore, eſſentiam quoque habet ſeparatam. cum uero dicit, mentem eſſe ſeparatam a corpore, ſignificat id, quod alibi,præſertim 3. de Anima textu 6. & 2. de generatione animalium cap. 3. demonſtrauit, ipſam mentem non habere organum corporeum, hoc eſt operationes eius non perfici immediate per organum corporeum,ſicut perficiuntur operationes animæ ſenſitiuæ. hæc enim ratio, ut oſtendemus in explicatione rationum Ariſtotelis,efficaciſſima eſt ad demonſtrandam immortalitatem animæ noſtræ.

Caput VI.

SEd, quoniam mortalitatis fautores paruipenderent teſtimonia petita ex ciuili philoſophia, quandoquidem in ea conſueuit Ariſtoteles ſæpenumero conſentire cũ communi hominum uulgarium opinione, & cum religione ſui temporis,licet hoc non poſſint dicere quoad locum poſtremo ex 10. Ethicorum citatum, ubi ualidiſſima ratione nititur Ariſtoteles: iam conuertamus nos ad alios Ariſtotelis libros,ac primum quidem ad primam philoſophiam,quæ &

B 2 naturæ,

naturæ,& doctrinæ ordine,ut alias demonſtrauimus, alijs libris,ex quibus accepturi ſumus teſtimonia pro immortalitate,antecedit. Ariſtoteles ergo 7.Metaphyſicæ textu primo ex diuiſione Alexandri (cum enim librum illum citabimus, eiuſdem Alexandri diuiſionem ſequemur)ibi ergo ponebat Ariſtoteles bipartitam diſtributionem formarum ſubſtantialium,dicens,formas, quæ ſumuntur in definitione, has quidem ſeparari,illas uero non ſeparari,formæ materiales eductę,ſcilicet ex potentia materiæ non ſeparantur, immateriales uero ſeparantur,at ea,quæ ſeparātur a materia,eſſe æterna,nullus eſt,qui in doctrina Ariſtotelis dubitare poſſit, cū ipſe in 8. libro de naturali auſcultatione demonſtrauerit, mentes illas cæleſtes, quas intelligentias appellamus, eſſe æternas, quia ſunt ſeparatæ à materia,& nullam habent magnitudinem: docuerit præterea,materiā illam, ſcilicet quæ eſt potentia contradictionis, eſſe cauſſam interitus, & præſertim in 8. libro Metaphyſicæ textu 17. & 7. eiuſdem operis libro textu 11. quare, quæ ſunt ſeparata a materia, ſunt expertia interitus: cum uero dixit, formas alias ſeparatas eſſe a materia,neceſſarium eſt,in ipſis numerari animam intellectiuam. quod cognoſcitur ex antecedentibus uerbis, quia, cum diuiſiſſet ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum,cui ſolum dixit conuenire generationem,& interitum, ſubiunxit illa uerba: *Earum enim ſubſtantiarum, quæ ſecundum rationem, quædam ſunt ſeparabiles, quædam non*. Quare, cum locutus eſſet de compoſito generabili, & corruptibili, deinde diuidat eius formam in eam, quæ ſeparabilis eſt, & in eam,quæ non eſt ſeparabilis: ſeparabilis uero forma compoſiti nō poſſit eſſe alia,quam anima intellectiua: ſequitur, Ariſtotelem facere ipſam omnino ſeparabilē, & conſequenter immortalem: & ideo Alexander Aphrodiſeus in expoſitione illius loci,ueritate coactus,hęc uerba protulit: *Nam, cum anima cuiuſque ſit ipſius forma, talis enim forma numquam eſt ſine materia, anima uero non omnis ſeparetur, ſed particeps rationis tantum, idcirco quaſdam ſeparari ait, quaſdam uero ſecus*. Deinde addidit idem Alexander hæc uerba: *Fortaſſe non hoc de forma dictū eſt,*

Hoc eſt textu 3. 8. libri iuxta uulgatam partitionē

Penes cōmunē partitio.9.lib. tex. 17. & 8. lib. tex. 11.

quam-

quamquam id uerum ſit: numquam enim materialis forma abſque materia eſſe poteſt, ſed de animis rationis expertibus, has, ſcilicet non ſeparari, ſed illas ſolum, quæ rationis ſunt compotes. Eſt in eodem opere alius locus celebris, & uulgaris lib. 11. textu 9. ubi docens Ariſtoteles diſcrimen cauſſę efficiētis, & formalis, dixit, cauſſas rerum efficientes neceſſario antecedere tempore ijs rebus, quas ipſæ efficiunt: formales uero minime, ſed ſimul cū ijs rebus eſſe, quarum ſunt formæ: etenim ſimul ſunt homo, & ſanitas; itemq. figura globi, & globus. An uero ullæ formæ diſſolutis corporibus ſuperſint, conſiderandum eſſe dixit, mentem tamen poſt corpus remanere abſolute pronuntiauit. hæc autem ſunt uerba Ariſtotelis, ibidem ſcripta, a Beſſarione, Cardinali Nicæno, ad uerbum reddita: *Cauſſæ itaque mouentes, tamquam antea exortæ, exſiſtūt; quæ uero, ut ratio, ſimul ſunt. cum enim ſanus ſit homo, tunc etiam ſanitas eſt, & forma ænea ſphera, ſimul atque ænea ſphæra: ſi autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet: ueluti ſi anima talis ſit, non omnis, ſed intellectus: omnem namque fortaſſis impoſſibile eſt.* Vbi (ut hoc obiter admoneam) conſtat, Ariſtotelem pro eodem accipere intellectum, & animam intellectiuā. quod & alibi ſæpe facit. Conſtat præterea, ex illis uerbis, Ariſtotelem non ſolum ponere animam intellectiuam immortalem, ſed eandem formam hominis, & pro numero hominum multiplicatam. In illorum uerborum expoſitione Alexander Aphrodiſeus, ſicut in ſuperiori loco, a nobis citato, ueritate coactus, (tāta eſt enim ueritatis uis, ut uel ex inuito pectore erumpat) Alexander, inquam, ſiue alius quicumque fuerit, hæc dixit: *Nam, cum anima animantium ſit forma, nihil obſtat, quo minus anima quæpiam, ut intellectus, ſiue anima rationis compos maneat: expertes enim rationis mortales ſunt.* Quare & ueritate, & uerbis Ariſtotelis coactus confeſſus eſt, animam intellectualem eſſe immortalem. non enim temere mihi uidentur audiendi, qui negant, illa eſſe cōmentaria Alexandri Aphrodiſei: quos reijcio ad ea, quæ probabiliter admodum dicta ſunt a Ioanne Geneſio Sepulueda, Hiſpano, uiro bene docto, & de Philoſophia benemerito, illius enarrationis interprete,

11. Metaphyſ. tex. 16. & 17. iuxta uulgatam partitionem.

prete, ad ea, inquam, quæ ipſe in præfatione commentariorum 6. libri illius operis ad Clementem VII. Pont. Max. luculenter attulit, ut oſtenderet, illa eſſe cõmentaria Alexandri Aphrodiſei: ſed, cuiuſcumque ſint, ut illa non ſint Alexandri, certe ſunt alicuius docti uiri; & illius quidem Alexandrei, & forte interdum nimis Alexandrei. Sequitur enim auctor ille aliquas ſententias Alexandri, a præſtantioribus Ariſtotelicis, immo ab Ariſtotele ipſo damnatas, qualis fuit illa de qualitatibus primis, ipſas ſcilicet eſſe formas ſubſtantiales elementorum. illam enim ſententiam, quæ fuit propria Alexandri, quam habuit in 1. Topicorum, commentario 24. & 29. & in libro de ſenſu commentario 30. quæ cõmuniter exiſtimantur eſſe commentaria Alexandri, & alibi ſæpius, illam, inquam, ſententiam ſequitur explanator ille primæ philoſophiæ in multis locis, & præſertim in commentarijs primi libri commentario 19. & in 5. libro commentario 16. atque etiam 19. necnon in 7. libro cõmentario 45. & in 12. libro commentario 17. quæ ſententia aduerſatur rationi, aduerſatur etiam apertiſſime Ariſtoteli in ſexcentis locis: quorum unum tantum pro tempore, cum aliud agamus, indicabimus, ex 2. de generatione, & interitu textu 6. ubi exponens Ariſtoteles ordinem generationis elementorum, perinde, ac ſi recenter fuiſſet factus mundus, hæc uerba ſcripta reliquit: *Quapropter primo quidem potentia corpus ſenſibile principium, ſecundo autem contrarietas, dico autem uerbi gratia, caliditas, & frigiditas, tertio autem iam ignis, & aqua, & talia.* Ex quibus uerbis manifeſte conſtat, Ariſtotelem non putaſſe, primas qualitates eſſe formas ſubſtãtiales elementorum, quia, ſi eſſent, exſiſtentibus ipſis 2. eſſet ignis & aqua, non ergo 3. eſſet ignis, & aqua, quia poſita forma ſubſtantiali ignis in materia, ſtatim ponitur ignis. illam igitur falſam ſententiã Alexandri de qualitatibus primis ſecutus eſt explanator ille primæ Philoſopphiæ, quicumque fuerit, illam uero de mortalitate animæ tam aperte Ariſtoteli repugnantem minime ſecutus eſt in illis commentarijs, & fortaſſe ob illam cauſſam, quod in aſſerenda animæ immortalitate tam cre-

Et libro 1. natur. quæſtio. cap. 6.

ber,

ber, tamque frequens fuit Ariſtoteles, ut recte dicebat Antonius Mirandulanus, Caſertæ Epiſcopus, præceptor meus, in illo egregio, & uario opere, quod inſcripſit de euerſione ſingularis certaminis, ubi hanc quæſtionem de immortalitate ſtrenue tractauit. Tam, inquam, frequens, & creber fuit Ariſtoteles in aſſerenda animæ immortalitate, ut Alexander Aphrodiſeus, alioqui in doctrina Ariſtotelis uerſatus, non potuerit non facile intelligere, immortalitatem ab Ariſtotele probari, eumq. aliquando ſaltem extra propria loca ipſam cum Ariſtotele concedere. quare non poſſum ego non probare ea, quæ olim mihi fuerunt dicta a Ludouico Buccaferreo, altero præceptore meo, quem & honoris cauſſa nomino, nempe ipſam illam etiam in Philoſophia de mortalitate animæ ſententiam fuiſſe propriam Alexandri, ipſumq. cognouiſſe, Ariſtotelem aliter ſentire, uerum, ut hæreſim ſuam probabiliorem redderet, omnibus machinis fuiſſe uſum, ut Ariſtotelis uerba, uel magna ui adhibita, in eam detorqueret: propriam, inquam, dicimus illam fuiſſe ſententiam Alexandri, non quod ipſe ſolus in ea ſententia fuerit: nam ueteres plerique Philoſophi in ea fuerunt: exiſtimabant enim, animam intellectiuam non eſſe alterum genus animæ diuerſum a ſenſitiua, ſed eſſe ſenſitiuam quandam, ſeu phantaſiam, nobiliorem tamen, & perfectiorem phantaſia brutorum a temperatura perfectiore, qualis eſt humana, pendentē. ſic enim de ipſa ſentiebat Empedocles, & alij. quam ſententiam uetuſtam, & omnino falſam innouare, & confirmare tentauit Alexander. Et, quia pernicioſam illam etiam in Philoſophia naturali hæreſim probabiliorem (ut dicebam) fore credidit, ſi eam, mentita Ariſtotelis auctoritate, & mentitis eiuſdem Ariſtotelis teſtimonijs, muniret, communem, & calamitoſam hæreticorū cuiuſque ſectæ conſuetudinem ſecutus eſt, qui ueriſſima bene ſentientium dogmata, & uerba deprauare, & ad corruptas ſententias ſuas detorquere ſemper conantur: iccirco, quibuſdam Ariſtotelis uerbis male intellectis, & a ſuo ſenſu longe detortis, ſuam de mortalitate animæ noſtræ obfirmatam ſententiam

tentiam aſſerere ſtuduit. quo factum eſt, ut, cum tantam, quantam ſuperius diximus, in ſcriptis Ariſtotelicis interpretandis auctoritatem ſibi uindicaſſet Alexãder, plerique Ariſtotelem, non ex Ariſtotele, quod faciendum erat, ſed ex Alexandro interpretãtes, crediderint eam fuiſſe Ariſtotelis ſententiam, quam ipſi falſo attribuebat Alexander.

Caput VII.

SEd reuertamur, unde digreſſi ſumus: &, quando pollicebamur nos ſimul allaturos eſſe ea, quæ pro immortalitate faciunt, ſimul etiam dicturos, qua ratione conentur ea uitare fautores mortalitatis: iccirco iam, quo modo eum, quem contra ipſos citauimus, locum tentent, euadere uideamus. Dicunt igitur aliqui, Alexandrum aliquando retuliſſe illa uerba ad intellectum agentem, qui ex ſententia ipſius eſt intellectus diuinus: & Auerroes, ibidem, Themiſtij auctoritate ductus, ut ipſe aſſerit, illam expoſitionem tribuit Alexandro: attamen, ſi inſpiciamus ea, quæ in expoſitione illius loci dixit Alexander, ſi tamen illa ſint commentaria Alexandri, uidebimus ipſum aliter interpretatum fuiſſe illum locum, & ad ueram de immortalitate ſententiam uel inuitum diuertiſſe: ſed, ſi illa, quam ipſi tribuit Auerroes, fuerit Alexandri reſponſio, certe ab Ariſtotelis ſentẽtia longe aliena eſt: ſiquidem ibi loquitur Ariſtoteles de intellectu, ut eſt pars animæ animalis mortalis: quia dicit, *Veluti ſi anima talis eſt*, ſcilicet, ut remaneat, diſſoluto compoſito, non omnis, quia conſtabat non poſſe omnem remanere, ſed intellectus: at illa uox, *Omnis*, cum negatione prolata, refertur ad animam uegetatiuã, & ſenſitiuam, quæ interitu corporis proculdubio intereunt. quare intellectus, ut eſt pars animæ animalis corruptibilis, remanet. ideo de ipſo intellectu diuino ibi non loquitur Ariſtoteles. Præterea loquitur de intellectu, qui eſt forma hominis: & dicit, ipſum remanere poſt diſſolutionem compoſiti: ſed intellectus agens, ſi ſit talis, qualem ipſum putant eſſe, nempe intellectus diuinus,

uel alia

uel alia intelligentia, non eſt forma hominis. quare de ipſo non loquitur Ariſtoteles. Petrus Pomponatius, alius quoque mortalitatis defenſor, uolens hunc ictum declinare, dixit, ſe non probare illam ſententiam, quam Auerroes tribuit Alexandro, nempe, Ariſtotelem ibi loqui de intellectu agente, quia intellectus agens non eſt forma hominis: ſed ait, Ariſtotelem loqui de intellectu poſſibili, qui quādoque intelligit, quandoque non intelligit, quiq. corrumpitur corrupto ſenſitiuo, cum quo dicit ipſe identificatur. uerum ſubiungit ipſe, uerba illa Ariſtotelis intelligenda eſſe per ſe, nō ex accidenti, quod ſcilicet intellectus poſſibilis poteſt permanere quatenus intellectus, nō quatenus humanus. Quod ſi quis arguat: Si intellectus quatenus intellectus poteſt permanere diſſoluto compoſito, ergo & omnis intellectus: quare & humanus poterit permanere. Reſpondet, hoc ſequi per ſe, & non per accidens. etenim, quia, inquit ipſe, accidit, ut intellectus humanus identificetur cum ſenſu, qui corrumpitur, iccirco eius corruptione corrumpitur. Sed hæc reſponſio & ipſa quoque non declinat uim uerborum Ariſtotelis, quia Ariſtoteles ibi, etiam ex conceſſione Pomponatij, loquitur de intellectu, ut eſt forma: ſed intellectus humanus, quatenus talis, eſt forma: loquitur ergo de intellectu, ut eſt humanus: hinc ſequitur, intellectum, quatenus humanus eſt, permanere diſſoluto compoſito. hæc ratio præſertim eſt ad homines exiſtimantes intelligentias non eſſe formas ſuorum orbium. quod cum ueriſſimū ſit, intellectus humanus, quatenus talis eſt, & per propiam naturam, erit forma. Sed oſtendamus, Ariſtotelem ſimpliciter loqui de intellectu humano. idq. in hunc modum. Ariſtoteles loquitur de illa forma, quæ poteſt permanere diſſoluto compoſito: ſed nulla forma poteſt permanere diſſoluto cōpoſito, niſi intellectus quatenus humanus. hinc fit, ut de intellectu humano, quatenus talis, loquatur. Præterea loquitur Ariſtoteles de intellectu terminante generationem: at intellectus terminans generationem, ut talis, eſt intellectus humanus, quia intellectus cæleſtes non terminant generationem. intelle-

ctus igitur humanus permanet diſſoluto compoſito: aſſumptum uero probatur, quia loquitur de formis cōpoſitorum corruptibilium, cum in illis ſolis locus ſit quæſtioni, An forma aliqua remaneat diſſoluto compoſito. Sed formæ corruptibilium compoſitorum omnes, & illæ quidem ſolæ terminant generationem: quare loquitur de intellectu terminante generationem.

Cum uero dicit Pomponatius, intellectum, quatenus eſt humanus, poſſe per ſe poſt mortem permanere, ex accidenti uero non permanere, pugnātia loquitur: quia, ſi intellectus humanus, quatenus talis, poteſt permanere, numquam ex accidenti fieri poterit, ut non permaneat, quia, quod conuenit alicui, quatenus tale eſt, conuenit ei per propriam naturam: quare ſemper neceſſario conuenit: ut conſtat ex doctrina Ariſtotelis 1. Poſteriorum, cap. 4. Et, ut hanc rem clariſſimo exemplo illuſtremus, quia conuenit homini, quatenus homo eſt, ut ſit rationalis, & riſibilis, fieri numquam ex quouis accidenti poteſt, quin non ſit talis: fieri quidem poteſt, quo minus utatur ratione, & quo minus rideat; ſed, quin habeat facultatem ratiocinandi, & ridendi, nūquam fiet. quare, ſi intellectus humanus, quatenus intellectus, atque etiā quatenus humanus per ſe poteſt permanere diſſoluto compoſito, numquam ex aliquo accidenti fieri poſſet, quin permaneret.

1. Poſt. tex. 36.

Adde etiam, quod, licet intellectus humanus, non quatenus humanus, ſed quatenus intellectus, poſſit permanere diſſoluto compoſito, ſicut homo, non quatenus homo, ſed quatenus animal, eſt ſenſitiuus, numquam ex aliquo accidenti fieri poſſet, quin permaneret; ſicut numquam ex aliquo accidenti fieri poteſt, quin homo nō ſit ſenſitiuus: quia, quod conuenit ratione generis, uniuerſæ ſpeciei ſub illo genere contentæ & ſemper conuenit.

Præterea loquitur Ariſtoteles de anima, cuius compoſitum eſt corruptibile, ſeu diſſolubile: & dicit, nihil prohibere, quin aliqua permaneat, ueluti mens, ſcilicet humana, de illa enim ſola neceſſe eſt, ut loquatur, quia ſola ipſa inter

mentes

mentes eſt forma ſubiecti corruptibilis: quare coniunctio ipſius cum ſenſu nō poteſt prohibere, quin ipſa permaneat. nam, ſi coniunctio, atque (ut uoce ipſius utar) identitas intellectus cum ſenſu facit, ut intellectus, qui per ſe eſt incorruptibilis, corrumpatur tamen, cur eadem identitas non faciat, ut ſenſus non corrumpatur?

Demum Pomponatius petit principium, cum dicit, intellectum identificari cum anima ſenſitiua. hoc enim erat probandum, & declarādum, quo modo ſcilicet materiale, & immateriale, organicum, & inorganicum identificari poſſint.

Recentiores uero quidam, qualis fuit Simon Porcius Philoſophus, ætate noſtra celeberrimus, qui nouiſſime in libello ſuo de mente humana ſtuduit hanc falſam, atque etiam (ut opinor ego) apud Philoſophos impiam de mortalitate animæ noſtræ ſententiam tueri, uolens locum illum ex XI. Metaphyſicæ citatum, ne contra ſe faceret, interpretari, dixit, Ariſtotelem ibi accipere intellectum confuſe, neque explicare, an de intellectu, qui eſt intellectus actu, an de intellectu potentia loquatur.

Sed hæc reſpōſio, licet uocibus a ſuperiore uideatur diſcrepare, ſententia tamen ita conſentit, ut & ipſa iiſdem urgeatur incommodis: quia loquitur Ariſtoteles, ut diximus, de intellectu terminante generationem, deq. eo, qui eſt forma ſubiecti corruptibilis: ſed intellectus actu, ſi ita ipſi appellent intellectum agentem, non terminat generationē, neque etiam intellectus confuſe acceptus. quare neceſſe eſt ipſum loqui de intellectu poſſibili, ſimulque de agente, quatenus eſt pars animæ noſtræ.

Poſtremo dixit Ariſtoteles, nihil prohibere, quin forma aliqua permaneat: at hæc nō poteſt eſſe niſi intellectus poſſibilis, ſeu potius tota anima intellectualis, conſtans ex intellectu poſſibili, & agente. neceſſario igitur ſequitur, Ariſtotelem ibi diſtincte, non autem confuſe loqui.

Ioannes uero Scotus, qui deceptus & ipſe quoque, ut credo, Alexandri auctoritate, licet cum ipſo non conſenſerit; dixit, Ariſtotelis ſententiam de immortalitate animæ ua-

gam,& inconſtantem fuiſſe,ut ſibi in expoſitione illius loci conſtaret, dixit, Ariſtotelem ibi quoque non eſſe locutum aſſertiue,ſed dubitanter, & ideo adieciſſe illud aduerbium, *Fortaßis*,neque abſolute pronuntiaſſe intellectum remanere.

Sed, ſi uerba Ariſtotelis inſpiciamus,facile intelligemus, ipſum Scotum, uel habuiſſe codicem deprauatum, uel non habuiſſe præ oculis uerba illa, quando illam reſponſionem tradidit.ſi enim codicem integrum habuiſſet, uel uerba illa tunc temporis legiſſet,facile uidiſſet, homo ille, non ſolum doctrina,ſed ingenij acie adeo præſtans, ut iure optimo cognomentum Doctoris Subtilis acceperit:facile,inquam, uidiſſet,aduerbium illud, *Fortaßis*, non eſſe adiectum prioribus uerbis,ſic,ut dixerit Ariſtoteles, nihil prohibere, quin intellectus fortaſſe permaneat,ſed poſterioribus illis uidelicet. ut enim omnis anima permaneat,fortaſſis fieri non poteſt; aduerbium uero dubitãdi Ariſtoteles addidit, propter eos,qui dixerunt,omnem animam eſſe immortalem, & maxime propter reuerentiam Platonis: quod ipſe quoque aliquando uiſus eſt eſſe in ea ſententia.

Præterea dixit Ariſtoteles, in quibuſdam nihil prohibere,quin forma maneat diſſoluto compoſito: ſed nulla eſt forma compoſiti diſſolubilis, quæ ſuperſtes ſit eius diſſolutioni,niſi anima intellectiua: ergo, quamuis illam non nominaſſet,abſolute,& ſine ulla dubitatione innuiſſet, nihil prohibere,quin anima rationalis ſuperſtes ſit. & hæc etiam ratio redarguit illam ſententiam, quæ ad alium, quam ad intellectum humanum,& illum quidem poſſibilem,uerba Ariſtotelis detorquet. Ex his igitur,quæ ultimo loco diximus, patet,Ariſtotelem non dubitanter, ſed affirmanter aſſeruiſſe immortalitatem animæ noſtræ: & ex ante dictis patet, fautores mortalitatis hunc primũ ictum non repellere, quẽ uerba Ariſtotelis ex tex. 9. x1. Metaphyſicæ ipſis inferunt.

Multo minus poſſunt repellere alium, quem non animaduerterunt. eſt enim alius locus apertiſſimus, & efficaciſſimus in eodem x1. lib. tex. 39. a fautoribus mortalitatis non animaduerſus: ubi dicit,mentem humanam non habere ma

teriam,

teriam, & eſſe indiuiſibilem. ex quorum utroque ſequitur, ipſam eſſe immortalem. etenim,ut ante diximus,& receptũ eſt apud omnes Peripateticos, ea, quæ ſunt expertia materiæ, ſunt expertia interitus, & mutabilitatis: quia materia eſt origo corruptionis, & mutabilitatis, ut ante ex Ariſtotele, 8. præſertim Metaphyſicæ, diximus; &, quia primum 8. Meta-
accidens,quod aduenit ipſi materiæ, eſt quantitas, ratione phſ.tex.11.
cuius ipſa eſt diuiſibilis: non enim ſubſtantia materialis eſt diuiſibilis)niſi ratione quantitatis:ut primo de naturali auſcultatione ſignificauit Ariſtoteles, & nos ibi abunde declarauimus. hinc fit,ut ea, quæ carent materia, careant etiam diuiſione, quia nullam habent magnitudinem diuiſionis capacẽ: & iccirco ex eo primo, quod anima noſtra eſt expers materiæ,ſiue ſeparata a materia, ſequitur ſecundum, quod ſit indiuiſibilis, & conſequenter immortalis. hæc autẽ ſunt uerba Ariſtotelis ex eo loco ſcripta, ἢ ἀδιαίρετον πᾶν τὸ μὴ ἔχον τὴν ὕλην, ὥσπερ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς. id eſt,ut uerbum uerbo reddatur, quemadmodum reddidit Beſſario Cardinalis Nicænus, *An indiuiſibile omne non habens materiam, quemadmodum humana mens*. Quæ tamen uerba non expreſſit Argyropylus,dicens, *An id omne eſt indiuiſibile, quod materiam non habet, atque ut humana mens.* illa enim coniunctio,quam ipſe addidit,ſenſum illorum uerborum perturbat. etenim Ariſtoteles dicit,omne id,quod eſt expers materiæ,eſſe indiuiſibile: idq. exemplo humanæ mentis declarat: quæ cum ſit expers materiæ, eſt etiam indiuiſibilis,&ideo nullam habet magnitudinem: quare neque eſt corpus, neque uirtus in corpore, & conſequenter immortalis, & æterna: ſicut & ipſas intelligentias demonſtrauit Ariſtoteles, propterea quod nullam habent magnitudinem,eſſe æternas.

Hæc ſunt uerba, quæ,ad declarandam Ariſtotelis de immortalitate animæ ſententiam, ex prima philoſophia accipiuntur. Quibus addimus, antequam ad libros de Anima perueniamus,alium locum ex 2.de generatione, & interitu, tex.45.ubi eandem ſententiam habuit Ariſtoteles,& rationem ſuæ ſententiæ reddidit: quandoquidem, ibi, uolens oſten-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

oſtendere, animam neque eſſe unum elementum, ut plerique ueteres philoſophi exiſtimabant, neque conſtare ex elementis, ex quo fit, ipſam non eſſe mixtam cum corpore, quibus uerbis uſus eſt in 3. de Anima, ut infra dicemus, ducit argumentum ab operationibus animæ, quæ non ſunt corporales, ueluti, muſicum eſſe, & ſine muſica. Hæc autē ſunt eius uerba: *Inconueniens autem eſt, ſi anima ex elementis, aut unum aliquod eorum: alterationes enim animæ quomodo erunt, ut muſicum eſſe, & rurſus inmuſicum; aut memoria, aut obliuio: manifeſtū enim, quod, ſi quidem ignis anima ſit, paſſiones inerunt ei, quæcumque igni ſecundū quod ignis; ſi autem mixtum eſt, corporales. harum autem nulla corporalis eſt.* Si igitur harum operationum nulla eſt corporalis, ſequitur, animam neque eſſe corpus, neque uirtutem in corpore, & conſequenter non eſſe mixtam cum corpore, ſicq. immortalem eſſe.

Hæc ad ſignificandam Ariſtotelis de animæ noſtræ immortalitate ſententiam uiſum eſt nobis afferre, antequam ad libros de Anima, ubi eſt proprius locus, & declarandi, & demonſtrandi ipſam perueniremus.

Caput VIII.

HIs ſic explicatis, accedamus iam ad eos locos, & uerba illa Ariſtotelis, quæ ex libris de Anima nobis ſuppeditantur, ad cognoſcendum, quam ſententiam de immortalitate animæ habuerit Ariſtoteles. Ac primum conſideremus uerba Ariſtotelis in 1. tex. ſcripta, quæ a fautoribus immortalitatis non uidentur fuiſſe conſiderata, at ab Alexandro, ne contra ſe facerent, fuerunt extorta. Cum enim Ariſtoteles in 1. tex. oſtenſurus nobilitatem ſcientiæ de anima, accepiſſet tāquam principium, notitiam omnem, uidelicet ſemper ueram, eſſe bonam, & honorabilem, magis autē alteram altera, uel ratione exactionis, ſeu diligentis, & exquiſitæ tractationis, uel quia res tractat meliores, & admirabiliores, inferebat, ſcientiā de anima propter has duas cauſſas, unde ſumitur nobilitas ſcientiarum, ſcilicet ratione exactio-

actionis, & honorabilitatis rei conſideratæ, eſſe in primis collocandam. Sed hæc uerba, ne contra ſe facerent, perturbauit, & extorſit Alexander. nam, cum accepiſſet Ariſtoteles, omnem notitiam mentis noſtræ ſemper ueram eſſe, honeſtam, & honorabilem huic propoſitioni, putauit Alexander, aliam ſupplendam eſſe, uidelicet, ſcientiam de anima honeſtam eſſe, & honorabilem: ſed, nihil addendum eſſe, etiã ipſi Attici expoſitores dixerunt: immo, ſi adderemus, multus, & nimius eſſet Ariſtoteles: quia, ſi omnis notitia ſemper uera eſt bona, & honorabilis, cum ſcientia de anima proculdubio ſit talis, ſatis conſtat, ipſam eſſe bonam, & honorabilem: & ideo, ut oſtendat Ariſtoteles, ipſam pleriſque alijs præſtare, recenſet duas cauſſas nobilitatis, nempe exactionem, ſeu exquiſitam tractationem, & nobilitatem rei conſideratæ; & dicit, *Propter utraque hæc*; ideſt, & ratione exactionis, & ratione nobilitatis rei conſideratæ ſcientiam de anima eſſe in primis collocandam. quam ſententiam habuiſſe Ariſtotelem eo loco, & Alexandrum eius uerba extorſiſſe, clariſſime intelligemus, ſi ipſamet uerba Ariſtotelis nobis ob oculos ponamus, quæ ſunt hæc: Τῶν καλῶν καὶ τιμίων τὴν εἴδησιν ὑπολαμβάνοντες, μᾶλλον δ' ἑτέραν ἑτέρας, ἢ κατὰ ἀκρίβειαν, ἢ τῷ βελτιόνων τε καὶ θαυμασιωτέρων εἶναι, δι' ἀμφότερα ταῦτα τὴν περὶ ψυχῆς ἱστορίαν, εὐλόγως ἂν ἐν πρώτοις τιθείημεν. At Alexander prætermittit has duas cauſſas nobilitatis; & inquit, *Propter utraque hæc*; ideſt, quia ſcientia de anima eſt bona, & honorabilis, non autem quia exactior ſit, & conſequenter de re immateriali: atque ita exponit; ne, ſi exactiorem eſſe hanc ſcientiam concederet, fateri cogeretur, animam rationalem eſſe immaterialem, & conſequenter immortalem. Quoniã 1. Poſter. cap. 21. tex. 42. dicebat Ariſtoteles, ſcientiam, quæ eſt de non ſubiecto, hoc eſt de re immateriali, exactiorem illa eſſe, quæ eſt de ſubiecto; hoc eſt de re materiali. quod etiã apertiſſime ſignificauit in procemio Metaphyſicæ. Sed, licet ueram ſententiam uerborum Ariſtotelis perturbauerit Alexander, cognouit tamen uoce illa, ἀκρίβειαν, non ſignificari certitudinem, ut plerique fere omnes interpretan-

pretan-

pretantur, ſed exactionem,ut recte conuertit Argyropylus, ſeu diligentem,exquiſitam,& accuratam tractationem,quę circumſcribit finem habitus coutemplatiui. Nam,ubi contemplationem, ſeu ueritatis ſolam cognitionem propoſitā habemus,omnia diligenter conſideramus,& ad calculos (ut ita dixerim) reuocamus: cum uero opus, uel actionem pro poſitam habemus,tantam rei cognitionem quærimus,quā ta ad opus,uel actionem ſufficit, & cauſſas plerumque negli gentes ſola cognitione,quod res ſit,cōtenti ſumus. id quod ex multis Ariſtotelis locis intelligere poſſumus, præſertim ex 2. Metaphyſicæ tex.15.ex 1.Ethicorum cap.3. ex 1.etiā eiuſdem operis libro cap.7. & ideo exactio illa,quæ eſt propria habitus contemplatiui, habitum ipſum contemplatiuū circumſcribit,ſiue eius finem, qui eſt forma ipſius. Quare, cum alteram nobilitatis cauſſam,quæ ſumitur a materia,acrcepiſſet Ariſtoteles in 1.de anima tex.1. conſentaneum fuit ſumere alteram a forma,quam uoce, *Illa*, ſignificauit Ariſto teles. Cum uero tres ſint exactionis gradus,ut expoſuit idē Ariſtoteles 1. Poſteriorū cap.21. tex.42. ſupra citato,quan doquidem illa ſcientia eſt *exactior*,ut conuertebat Argyropy lus,non *certior*, ut in communi uerſione legitur: illa, inquā, quæ eſt propter quid, & quod eſt, exactior eſt ea, quæ eſt, quod eſt tantum. & hic eſt primus gradus exactionis, qui conuenit omnibus contemplatiuis. Secundo, illa ſcientia, quæ eſt de nō ſubiecto,id eſt de re immateriali, eſt exactior illa,quæ eſt de re materiali. Tertio,illa eſt exactior,quæ eſt ex paucioribus,quam illa,quæ ex pluribus. Hos tres gradus obtinet Metaphyſ.conſiderat enim primas cauſſas omnium rerum,& illas quidē ſeparatas a materia, ac ſimpliciſſimas, nempe Deum, & cæleſtes illas mentes. quare ipſa eſt exactiſſima: ſcientia uero de anima habet duos gradus priores nobilitatis, qui ſumuntur ab exactione. non enim tertium habet. quia anima non eſt forma ſimpliciſſima. quare,ſi nō haberet ſecundum gradum nobilitatis, qui ſumitur ab exactione,hoc eſt,ſi non eſſet de re aliqua immateriali ratione animæ intellectiuæ, non eſſet in primis collocanda. & ideo

Alexan-

Alexander,ut dicebamus,ne cogeretur confiteri, Ariſt. poſuiſſe animam intellectiuam immaterialem, & conſequenter immortalem, extorquebat uerba illa primi tex. ut ante dicebamus. Sed,quoniam in expoſitione illius uocis, ἀκρίβειαν, a communi explanatorum ſententia diſſentimus, neque hic locus patitur nos afferre ea, quæ pro noſtra ſententia faciunt,reijcimus nos ad commentaria, quæ in libros de Anima ſcripſimus,quæ fauente Deo, ſi uita ſuppetet, poſt hāc de immortalitate tractationē in lucē edemus. nūc uero alios ex eodē libro locos pro immortalitate perſequamur.

Et, quoniam illi, qui putant, Ariſtotelis ſententiam in hac re dubiam fuiſſe,& ancipitem, eo præſertim nituntur argumento, quod in libris de Anima,ubi erat proprius locus, non ſolum non explicauit,ſed ne hanc quidem quæſtionem propoſuit; animaduertant ipſi,quæſo, Ariſtotelem inter illas quæſtiones,quas in exordio primi libri propoſuit, illam in tex.7. propoſuiſſe, Si omnes animæ,non ſunt eiuſdem ſpeciei, utrum ne differant ſpecie tantum,an etiam genere.Cū uero quæritur, an omnes animæ ſint eiuſdem, uel diuerſi generis,nonne quæritur, an omnes ſint corruptibiles, an uero incorruptibiles: etenim, ſi omnes eſſent eiuſdem generis, ſic,ut omnes eſſent materiales, ſequeretur, eſſe corruptibiles; ſin uero aliæ ſint materiales, ſiue mixtæ cum corpore; aliæ uero immateriales, & ſeparabiles a corpore, aliæ erunt mortales,aliæ immortales. Quare ex eo intelligitur, quæſtionem de immortalitate animæ ab Ariſtotele propoſitam fuiſſe. Vbi uero ſoluta,& explicata fuerit, ſtatim indicabimus. Pro tempore tamen dicimus, locum proprium explicandæ,& demonſtrandæ immortalitatis eſſe in 3. libro, ubi agitur de anima intellectiua. Ante tamen, quam ad illum perueniret,non prætermiſit Ariſtoteles ullam occaſionem, per quam poſſet indicare, quid ſentiret de immortalitate animæ: & ideo in 1. libro,redarguens ſententiam Platonis, dicentis,animam mūdi habere magnitudinem, habuit hæc uerba in tex. 46. *Primum igitur non bene eſt dicere, animam magnitudinem eſſe: eam enim,qua uniuerſi, talem eſſe uult, qualis eſt uocatus*

intellectus: non enim qualis ſenſitiua eſt, neque qualis deſideratiua. Si ergo anima mundi non eſt magnitudo, id eſt non habet magnitudinem, ſed eſt indiuiſibilis, & ideo non eſt educta e potentia materiæ, qualis eſt anima rationalis, quæ mens, ſiue intellectus uocatur, non qualis eſt ſenſitiua, & uegetatiua, quæ cum ſint materiales, & conſequenter diuiſibiles, dicuntur habere magnitudinem: ſatis intelligitur, ipſum exiſtimaſſe, animam intellectualem eſſe indiuiſibilem, & conſequenter immaterialem, & immortalem. In tex. uero 49. redarguens eandem opinionem Platonis, dicentis, animam mouere ſeipſam, & ideo mouere corpus, cui ipſa connexa eſt: redarguens, inquam, hanc connexionem, qualem habet forma materialis cum materia, quam alibi dicit eſſe mixtam cum corpore, ſubiunxit: *At uero neque beatum, quod non facile, ſed uiolentum.* addidit præterea, *Laborioſum autem eſt, & commixtū eſſe corpori, non potēs abſolui, & præterea fugiendum, ſiquidem melius eſt intellectui non cum corpore eſſe, quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet*. Quibus etiam uerbis indicat, ſe probare illam ſententiam, intellectum ſcilicet poſſe ſeparari a corpore, & conſequenter eſſe immortalem, & maxime, dum illam Platonis connexionem improbat, quam non improbaret, ſi putaret intellectum eſſe materialem, ſicq. mixtum corpori. Deinde, cum tex. 62. redarguens opinionem illorum, qui dicebant, animam moueri, eamq. motu definiebant, ſibi pro ea obieciſſet, *quia dicimus animam triſtari, gaudere, confidere, timere, amplius autē & iraſci, & ſentire, & cogitare, quæ uidentur eſſe motus ipſius animæ*: huic obiectioni reſpōdebat his uerbis: *Hoc autē nō eſt neceſſarium, & ſi quam maxime gaudere, aut triſtari, aut cogitare motus ſunt, & unumquodque moueri, aliquid moueri tamen ab anima eſt, ut iraſci, aut timere, eo quod cor hoc modo mouetur, cogitare uero, aut huiuſmodi, aut forſitan aliquid aliud*. Reſponſio ergo in hoc conſiſtit; quod, ſi illi ſint motus, (nam de illa re non erat tunc diſputandum) illi effectiue ſunt ab ab anima, & tamen anima nō mouetur illis motibus, ſed compoſitum, ut puta, cor. Quare negat etiam, animam ſenſitiuam per ſe moueri illis motibus; concedit tamen, ipſam ex accidenti moueri moti-

bus dictis,quia eius organum,ſiue ſubiectum mouetur. De ipſa tamen intellectione, ſeu cogitatione loquitur diſiunctiue, cum aliqua tamen dubitatione, quia nondum peruenerat ad eum locum, ubi ex propoſito demonſtraturus erat, animam intellectiuam non habere organum corporeum, neque etiam ex accidenti moueri motu corporis,neque ipſam ita eſſe in corde, quemadmodum aliæ animæ, ſed ſi putaſſet,ipſam materialem eſſe,& organicam, ſicut ſenſitiua,fruſtra uſus fuiſſet illa diſiunctione,qua tamē crediderim uſum fuiſſe Ariſt. propter reuerentiam Platonis, qui putabat, intellectionem eſſe motum animæ. quare locus ille,licet aperte nō faueat immortalitati,quia ille nō erat locus proprius, ubi demonſtranda erat,non fauet tamen, ſed potius aduerſatur mortalitati.

Eſt alius locus clarior in eodem lib. 1. tex. 65. & 66. ubi inquit, *Intellectus uidetur innaſci*: uel potius(ut alij codices habent) *aduenire,* ſcilicet extrinſecus: uidetur, inquam, aduenire *ſubſtantia quædam exſiſtens,& non corrumpi.* cum enim ſit ſubſtantia,eſt enim forma ſubſtantialis,cui nihil eſt contrariū, non poteſt corrumpi a contrario: ſed,ſi corrumperetur, corrumperetur utique ratione ſubiecti; ſed, ea corruptione nō corrumpi,oſtendit Ariſtoteles,ſubiungens hæc uerba: *Maxime enim corrumperetur ab ea,quæ eſt in ſenio,debilitate: nunc autem, quemadmodnm in ſenſorijs accidit. ſi enim ſenex accipiat oculum talem, uidebit utique ſicut & iuuenis: quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima.ſed id,in quo ſicut in ebrietatibus,& morbis*. Dein de ſubiungit: *Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit alio quodam interius corrupto: ipſum autem impaſſibile eſt: cogitare uero,& amare, aut odiſſe non ſunt illius*, ſcilicet animæ, *paſſiones; ſed huius*, ideſt compoſiti, *habentis illud, ſecundum quod illud habet*. id eſt habentis animam, quatenus illam habet. *quare & hoc corrupto non meminit,neque amat: non enim illius erant,ſed communis,quod quidem deſtructum eſt.* Et, quia potuiſſet quis ex eo quærere,An eadem ſit ratio animæ intellectiuæ, & aliarum animarum: reſpondet: *Intellectus autem fortaßis diuinius eſt*, quam ſcilicet aliæ animæ, *& impaßibile eſt*,ſcilicet per ſe,& ex acci-

denti: ut in 3. eiuſdem operis libro demonſtrauit. Addidit autem aduerbium, *Fortaſſis*, quia nondum peruenerat ad locum proprium,(ut antea attigimus) ubi de intellectu agẽdum erat,& natura ipſius explicanda, confutatis, ſi non explicite,ſaltem implicite illorum philoſophorum ſententijs, qui de natura animæ noſtræ, deq. eius immortalitate non bene ſentiebant: & ideo Ariſtoteles,modeſtiæ ſolitæ cauſſa potius,quam quod ipſe de immortalitate dubitaret,locutus eſt dubitanter: quo modo loquendi uidentur fuiſſe decepti illi,qui dixerunt, Ariſt. de immortalitate ſententiam fuiſſe dubiam. Hæc tamen a nobis commemorata,quæ immortalitati fauent, retulit Alexander Aphrodiſeus (ut refert Ioannes Grammaticus) ad intellectum agentem, quem dixit eſſe intellectum diuinum.

Ioannes Gramm.ſu per tex.65

Sed facile refellitur hęc expoſitio,quia dixit Ariſtoteles, intellectionẽ eius intellectus,de quo loquitur, interire: ſed intellectio diuini intellectus numquam interit, neque ulla re labefactata labefactatur: præterea, intellectio diuini intellectus,cum nullo ſenio,& nulla mutatione tangatur,numquam poteſt corrumpi ex ea,quæ in ſenio oriatur,imbecillitate. Recentiores uero aliqui,in quibus eſt Simon Porcius, dixerunt, Ariſtotelem ibi quoque accepiſſe intellectum cõfuſe, quemadmodum 12. Metaphyſ. accepit, neque diſtinxiſſe eum,qui eſt in actu,ab eo,qui eſt in potentia: quoniam ibi non erat locus proprius: ſed,cum (ſubiungunt ipſi) uulgatus intellectus dicatur intellectus actu; dixit, illum eſſe ſubſtantiam,& intus accedere,& non corrumpi, ſignificans eam corruptionem, quæ fit a contrario, quæ nullis partibus animæ accidit.

Sed hic quoque nõ minus,quã ibi,homines iſti alucinantur: ac primũ, quod Ariſt. ibi diſtincte loquatur de intellectu potentia,ex eo ſatis conſtat: quia ibi loquitur de intellectu,quẽ ex cogitatione,ſiue intellectione,& omnino ex ſuis operationibus potuiſſet quis arguere moueri: ſed, cum illæ operationes ſint intellectus potentia tamquam proprij ſubiecti, neceſſe eſt, ipſum loqui de intellectu potentia.

Præte-

Præterea,ſi loquitur Ariſtoteles de intellectu actu, ut ipſi dicunt; cur,cum negat ipſum corrumpi,illam tantum corruptionem ipſi adimit, quæ fit a contrario, cum intellectus actu (ſi ipſi ita appellent intellectum agentem) neque corruptione facta a contrario, neque illa, quæ accidit ratione ſubiecti,umquam corrumpatur: ſi uero intellectum actu appellarent ipſi,quemadmodum Philoſophi communiter appellant,intellectum poſſibilem in actum reductum,ut ſpecie intelligibili informatum,neceſſe eſſet,confiterentur, ipſum, quatenus eſt actu,corrumpi a contrario,nempe ab ipſa obliuione. Adde,ipſos quodammodo ſecum pugnare, quia dicunt, Ariſtotelem loqui de intellectu in actu, & remouere ab eo illam dumtaxat corruptionem, quæ fit a contrario: concedunt autem,ſi non explicite, ſaltem implicite, ipſum corrumpi illa corruptione, quæ fit ratione ſubiecti: quod nullo modo erat concedendum,ſi intellectum actu appellēt ipſi intellectum agētem: & ideo,ſi loqueretur Ariſt. de tali intellectu,neceſſe haberet utrumque genus corruptionis ab ipſo remouere. Quod ſi alterum tantū remoueat,non poteſt loqui de intellectu actu,ſi ita ipſi appellent intellectū agentem: ſed neceſſe eſt loquatur de intellectu potentia.

Præterea,falſum eſt, Ariſt. ibi loqui de illa corruptione, quæ fit a contrario,quoniam,oſtenſurus ipſum non corrumpi,eo argumento uſus eſt: quod ſi corrumperetur, maxime corrumperetur ab ea imbecillitate, quæ in ſenio contingit: ſed,ſi illa imbecillitas corrumperet ipſum,non ratione contrarij,ſed ratione ſubiecti labefactati corrumperetur. Deinde concedit,ſubiectum corrumpi,ipſum uero intellectum ſupereſſe: quare remouet ab eo illam corruptionem, quæ accidit ratione ſubiecti: illam uero, quæ fit a contrario, non remouet: quia ſatis conſtabat, illam non pertinere ad intellectum,neque ad ullam formam ſubſtantialem. Et ideo,uolens probare,ipſum non corrumpi, accipiens illā corruptionem,quæ fit ratione ſubiecti,dixit,ipſum,ſi corrumperetur, ea corruptione maxime corruptum iri: ſed ea non corrumpitur: ergo neutra corruptione corrūpitur.Noluit uero Ariſt.

per

per ſimilitudinem, quam accepit inter ſenſum, & intellectum, ſignificare intellectum indigere organo corporeo, ſicut indiget ſenſus, ſed quod indiget phantaſia, quæ ſubminiſtrat ſibi obiecta: phantaſia uero indiget organo corporeo: quare intellectus non indiget organo, ſed indiget uirtute utente organo. Similitudo uero in eo conſiſtit, quod neuter patitur per ſe, tanto minus patitur intellectus, quin omnino eſt impaſſibilis, ut demonſtrauit in 3. lib. tex. 7. ubi, demonſtrata immortalitate intellectus, exponit differentiã inter impatibilitatem ſenſus, & intellectus, quæ quidem in eo conſiſtit: quod intellectus neque per ſe, neque ex accidenti patitur, ſenſus uero patitur per accidens ratione organi, cuius eſt ratio. Et ideo, ne putaret quis eandem eſſe rationem ſenſus, & intellectus, quoad impatibilitatem, ut remoueret illam falſam opinionem, ſubiungebat in tex. illo 66. 1. libri, *Intellectus autem fortaſſis diuinum aliquid, & impaſſibile eſt.* Addidit autem aduerbium dubitandi, tum proper cauſſam ante dictam, ne uideretur negligere ueteres Philoſophos, qui de ipſo aliter ſentiebant, tum quia nondum peruenerat ad locum proprium, ubi ratione demõſtratiua probaturus erat, intellectum non eſſe mixtum cum corpore, ſed ſeparabilem, & conſequenter immaterialem, & mortalem: unde omnimoda eius impatibilitas neceſſario ſequitur. Hic autem modus loquẽdi *Fortaſſe*, ut ante diximus, decepit eos, qui dixerunt, Ariſt. de immortalitate animæ habuiſſe ſententiam dubiam, & ancipitem: nec ſine ratione ita locutus eſt. quandoquidem, præter ea, quæ a nobis ſuperius de hac re fuerunt dicta, antequam demonſtrationem afferat Ariſtoteles, quæ ſola generat firmam, & certam illam cognitionẽ, quæ appellatur ſcientia, loquitur aliquando potius ut opinans, quam ut ſciens. quod præſertim in hac re fecit Ariſtoteles, quia uidebat grauiſſimos philoſophos, non ſolum dubitaſſe de immortalitate animæ, ſed eam omnino negaſſe.

In eandem ſententiam, quam idem habuit de immortalitate, poteſt afferri alius locus ex eodem 1. lib. de anima, tex. 92. ubi, redarguens opinionem Platonis, ponentis animam

eſſe

eſſe partibilem,ſicq. diuiſam eſſe diuiſione corporis: ita, ut rationalis ſit in cerebro, iraſcibilis in corde, concupiſcibilis (ſic enim ipſe uegetatiuam appellauit) in iecore, dixit: *Si enim tota totum corpus continet, conuenit & partium unamquamque con tinere aliquid corporis, hoc autem aſsimilatur impoſsibili. quam enim partem, aut quo modo intellectus continebit, difficile eſt eam fingere.* Cuius dicti illa eſt ratio, quod intellectus eſt indiuiſibilis, & ideo eſt totus in toto corpore, & totus in qualibet parte corporis. Si ergo intellectus nullam partem corporis continere poteſt, ſicut actus continet id, cuius eſt actus, ſiue forma, ſequitur, ut nullius partis corporis, immo ex ſententia, quam tunc uidetur ſecutus Ariſtotelis, nullius particularis corporis ſit actus, nullumq. habeat organũ: & ex hoc ſequitur, ut ſit ſeparabilis a corpore, ſicq. immortalis, & perpetuus. Hoc autem neceſſario ſequi, facile oſtendemus, cum uerba, & rationes Ariſt. in 3. de Anima pro immortalitate allatas explicabimus. Et hæc ſint uerba Ariſtotelis pro immortalitate deſumpta ex 1. lib. de Anima.

Caput IX.

IAm uero accedamus ad ea recenſenda, quæ ſunt ſcripta in 2. libro. ibi igitur tex. 11. dicebat, nihil prohibere, animam ſecũdum quaſdam partes ſeparari, propterea quod nullius corporis ſunt actus, partes uero animæ ſeparabiles non poſſunt eſſe, niſi intellectus, & uoluntas: quare in illis uerbis ſeparabilitatem, & ſeparabilitatis, ſimulque immortalitatis cauſſam expoſuit, ut infra declarabimus. Pomponatius uero cap. 9. ſui commentarij, quem falſo, & ludibrio inſcripſit de immortalitate, conatur euadere hunc locum, dicens, intellectum, ut intellectus eſt, ſeparari, ut humanum non ſeparari tamquam ab obiecto: addidit etiam, intellectum, ut intellectus eſt, non eſſe actum corporis organici: at uero ut humanum eſſe actum corporis organici tamquam obiecti, quare, ut ſic, non poteſt ſeparari, uerum non eſſe actum eius, ut ſubiecti, & ſic poteſt ſeparari.

Sed

Sed hæc expoſitio longe aliena eſt a uerbis Ariſtotelis; quia ibi loquitur de partibus animæ,quã definiuit,quæ quidem eſt anima animalis corruptibilis, cuius animæ pars eſt intellectus humanus,non intellectus uniuerſaliter ſumptus, quia intelligentiæ non ſunt actus corporis organici, neque tamquam ſubiecti, neque tamquam obiecti. quare neceſſe eſt,Ariſtotelem ibi loqui de intellectu humano, ut talis eſt, & dicit ipſum ſeparabilem eſſe: quare intellectus,ut humanus eſt ſeparabilis.

Præterea loquitur Ariſt.de illo intellectu,qui nullius corporis,ſcilicet determinati, aut nullius certæ partis corporis eſt actus: & huiuſmodi ex ſententia Ariſt.eſt intellectus humanus: quo fit,ut loquatur de intellectu, ut humanus eſt.

Eadem Pomponatij expoſitio aliena eſt a ſentẽtia ſui auctoris,ipſiq. omnino aduerſatur,adeo, ut eius diſtinctio ſuã ipſius ſententiam euertat: quia, ſi intellectus humanus eſt ſeparabilis a corpore tamquam a ſubiecto, & non fit actus eius tamquam ſubiecti; ſequitur omnino, etiam ex ſententia eius,ut habeat naturam,& eſſentiam ſeparatam a corpore: quare etiam ſequitur,ipſum eſſe immortalem: quia omnis forma,habens naturam,& eſſentiam ſeparatam a corpore, eſt immortalis. Si ergo intellectus non pendet a corpore,tamquam a ſubiecto, ſequitur, etiam ex conceſſione ipſius,ut ſit immortalis: quoniam pendere ab ipſo,tamquam ab obiecto, non arguit mortalitatem. nam ueri Peripatetici,in quibus eſt etiam B. Thomas, cum omnibus merito cõparandus, concedunt, intellectum pendere a corpore tamquam ab obiecto,& tamen contendunt, ipſum eſſe immortalem: id quod etiam ratio,& experientia perſuadet: nam homines non poſſunt legere ſine libro, uiſus non poteſt uidere, niſi offerantur ſibi uiſibilia: ablato tamen libro, remanet homo habens poteſtatem legendi: ablatis uiſibilibus, remanet oculus habens facultatem uidendi. Ad hunc accedit alius locus pro immortalitate clariſſimus in eodem 2. libro, tex. 21, ubi, cum Ariſtoteles quæſtionem illam propoſuiſſet, Vtrumne potentiæ animæ ſint ſeparatæ loco, & ſubiecto,

iecto, quemadmodum exiſtimabat Plato: reſpondebat, non eſſe difficile uidere, quaſdam partes animæ non ſeparari ab inuicem loco, & ſubiecto: de intellectu uero dicebat eſſe ali quam dubitationem: quid tamen de ipſo ſentiēdum ſit, expoſuit his uerbis: *De intellectu autem, & contemplatiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſt: ſed uidetur eſſe aliud genus animæ, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuum a corruptib li, reliquæ autem partes animæ manifeſtum ex his, quod ſeparabiles non ſunt.* Expoſuit ergo his uerbis, quid ſentiat de intellectu, dicens, intellectum eſſe aliud genus animæ: ubi alludit ad quæſtionem propoſitam in exordio 1. lib. tex. 7. qua quærebat, An omnes animæ ſint eiuſdem, uel diuerſi generis: &, licet in 2. libro non ſit locus proprius explicandi illam quæſtionem, innuit tamen obiter, quid de illa ſentiat, & aſſerit, intellectum eſſe aliud genus animæ; & conſequenter innuit, duplex eſſe genus animæ, alterum materiale, alterum immateriale: aliæ enim omnes ab intellectu ſunt materiales, & ideo organicæ, extenſæ per corpus, & diuiſibiles diuiſione corporis, eiuſdē mutatione mutabiles, & conſequenter mortales, & caducæ: intellectus uero eſt immaterialis, & ideo inorganicus, inextenſus, & indiuiſibilis, immutabilis mutatione corporis, & conſequenter immortalis: ex quo ſequitur id, quod ſubiungit Ariſtoteles, ipſum ſeparari ab alijs animæ facultatibus, ſicut perpetuum a corruptibili, quia aliæ ſunt corruptibiles, intellectus uero perpetuus, & ideo, cum ſeparatur, remanet, & ſuperſtes eſt ipſi ſeparationi: aliæ uero in ipſa ſeparatione corrumpuntur: unde efficitur, (quod ad quæſtionem ibidem ab Ariſt. propoſitam pertinet) ipſum intellectum non ſeparari loco, & ſubiecto ab alijs partibus animę, quia poteſt eſſe in eodem ſubiecto, & loco cum ipſis: eſt tamen aliter; quia aliæ diuiſibiliter ſunt ibi; intellectus uero indiuiſibiliter, & ideo ſeparatur ab illis, non loco, & ſubiecto, ſed ſicut perpetuum a corruptibili.

Cum ergo ibi doceat, duplex eſſe genus animæ, alterum corruptibile, alterum incorruptibile: reſpondet obiter quæſtioni in exordio propoſitæ: adeo, ut ex hac reſponſione col

ligere poſſimus clariſſimum ſenſum illius quæſtionis, quam cum ibi propoſuiſſet Ariſtoteles, conſentaneum eſt, alicubi eam fuiſſe ab ipſo explicatam. At non poſſunt mortalitatis aſſertores proferre locum, in quo dicant eam fuiſſe diſſolutam, ſic, ut dixerit Ariſt. omnes animas eſſe eiuſdem generis, & conſequenter, omnes eſſe materiales. Immo ego contra proferam hunc locum: ubi dixit Ariſtoteles, animam intellectiuam eſſe aliud genus animæ diuerſum ab alijs, & docuit, quo modo ipſa ſit genus diuerſum: quia ipſa eſt perpetua, aliæ uero corruptibiles; cum perpetuum ſit alterius generis a corruptibili. Quod ſi putaſſet Ariſtoteles, intellectũ eſſe corruptibilem, non addidiſſet illa uerba. nam idem fuiſſet dicendum de intellectu, & de alijs animæ partibus. Hãc eandem quæſtionem in proœmio primi libri propoſitam clarius, & ſuo loco magis explicauit in tertio libro, ut dicemus infra, & ut in expoſitione illius libri demonſtrauimus.

Hunc tamen locum ſecundi libri de Anima conãtur euadere mortalitatis aſſertores. Alexander enim, ut ferunt, dixit, illa uerba non eſſe aſſerentis, ſed dubitantis, quia utitur illa uoce, *Videtur*.

Verum hæc reſponſio potius eſt fuga, quam ſolutio dubitationis: quia uidemus Ariſt. etiam in rebus manifeſtiſſimis uti illa uoce, *Videtur*, ut fecit in principio Ethicorum Nicomachiorum, & alibi quam ſæpiſſime.

Alij uero referunt illa uerba ad intellectum agentem: ſed perperã: quia, cũ dicat Ariſtoteles, de intellectu, & contemplatiua potentia nihil adhuc manifeſtũ eſſe, ſignificat ſe loqui de intellectu, cuius differentiæ ſunt cõtemplatiuũ, & practicũ: at hæ ſunt differẽtiæ intellectus non agentis, ſed poſſibilis: de ipſo igitur intellectu poſſibili loquitur Ariſtoteles.

Præterea loquitur de illo intellectu, qui eſt pars illius animæ, quam prius definierat, & diuiſerat, quæ quidem eſt anima animalis mortalis: ſed intellectus agẽs, ſi ſit intellectus diuinus, uel aliud quippiàm ab anima noſtra alienum, non eſt huiuſmodi pars: quare de ipſo non loquitur, neque loqui poteſt Ariſtotelis.

Adde,

Adde, quod nondum erat manifeſtum, an daretur intellectus agens: quare de eo, quod non conſtabat eſſe, non potuit Ariſtoteles dicere, ipſum eſſe aliud genus animæ.

Caput X.

HActenus commemorata ſunt uerba Ariſtotelis ſcripta in primo, & ſecundo libro de Anima ad immortalitatem pertinentia. Quod ſi in illis libris, ubi nō erat proprius locus, ſignificauit Ariſtoteles ſuam de immortalitate animę ſententiam, ſi ad locum proprium accedamus, hoc eſt ad tertium librum, uidebimus clarius, eandem Ariſt. ſententiam non uagam, & errantem, ſed firmam, & ſtabilem. Ariſt. ergo in 3. libro, tex. 150. cùm accedere uellet ad ſermonem de anima rationali, quæ eſt alterum genus animæ: & uideret poſſe aliquem fultum auctoritate ueterum philoſophorum obijcere ipſi, fruſtra ipſum quærere alterum genus animæ diuerſum a ſenſitiua: quandoquidem omnes operationes animæ, etiam nobiliores, & prꝺſtantiores referri poſſunt in animam ſenſitiuam: uoluit in primis huic obiectioni occurrere, & oſtendere, reperiri alterum genus animæ, & conſequenter neceſſarium eſſe de illo agere, ſi perfecta ipſius animæ quæratur intelligentia: &, ut ea methodo, ſeu doctrinæ uia incederet, qua in tractandis alijs animæ facultatibus uſus fuerat; ut ſcilicet ab operationibus ad potentias operantes procederet; & (quod in rebus dubijs tractandis primum fieri ſolet) neceſſitatem animæ rationalis oſtenderet; quæſiuit, an intelligere, & ſapere ſit quoddam ſentire, ut Empedocles, & plerique alij exiſtimarunt, qui putabant, intelligere, & ſapere eſſe corporeum, ſicut ſentire eſt corporeū, hoc eſt fieri per organum corporeum, & in organo corporeo: confutauit illorum opinionem; ſicq. in oſtendenda neceſſitate animæ rationalis diuerſæ a ſenſitiua, & in reddenda ratione conſilij ſui agendi, de ipſa incepit iacere fundamētà immortalitatis. nam ex illa confutatione intelligitur, illas operationes, nempe intelligere, & ſapere, non poſſe referri ad ani-

Sequitur Auctor partit. Græcorū, qui aggred. 3. lib. de anima a tex. 128. 2. lib.

mam ſenſitiuam,ſicq. illas non eſſe corporeaś,nec poſſe pendere a temperamento corporeo. Et,quia potuiſſet quis opinari,has operationes referri poſſe ad phantaſiam,docuit,huiuſmodi ſententiam eſſe falſam. Quare,cum intelligere, & ſapere non ſint operationes corporeæ,ſicut ſentire, & ideo nec in animam ſenſitiuam, neque in phātaſiam referri poſſint: ſequitur,dari alterum genus animæ,cuius natura,& eſſentia non pendet a corpore. Et hic eſt primus locus in tertio libro,in quo artificioſe admodum, ut ante attigimus,iacta ſunt fundamenta immortalitatis.

Eſt & alius locus in eodem tertio libro tex. 162.ubi dixit Ariſtoteles,*animalia operari multa ſecundum phantaſiam,alia quidē, quia non habent intellectum,ut beſtiæ; alia uero,quia tegitur aliquando, aut uelatur intellectus paſſione,aut morbo aut ſomno;* ubi utitur uoce illa ἐπικαλύπτεσθαι, hoc eſt obtegitur, & non dicit intellectū alterari,aut lædi: ſicut Sol,quando obducitur,& tegitur nubibus,non alteratur,aut læditur: ſed,ſi intellectus eſſet forma corporea, ſicut ſenſus, alteraretur utique,& læderetur. Ex hoc igitur loco non ſolum habemus,quid ſenſerit Ariſtoteles de immortalitate animæ, ſed habemus etiam modum ſoluendi multas dubitationes, quæ contra illam afferri ſolent: ut ſuo loco admonebimus.

Hæc ſunt,quæ ante illum locū, unde Auerroes duxit initium tertij libri, dixit Ariſtoteles ad rem propoſitam pertinentia: ſed,ubi ad illum locum peruenit,plura,& illa quidē clariora ſuæ ſententiæ documenta,& efficaciora argumenta dedit. Ac primum,cum in exordio illius tractationis propoſuit,ſibi quærendum eſſe,quid interſit inter intellectum, & alias facultates animæ, differentiam potiſſimam oſtendit illam eſſe; quod aliæ ſunt materiales; intellectus uero immaterialis: & ideo eſt alterum genus animæ. Hanc differentiā non ſolum expreſſit,ſed demonſtrauit etiam tex.6. eiuſdem tractationis; qui quidem eſt locus proprius,in quo demonſtrauit Ariſt. immortalitatem animæ intellectiuæ, ut ſtatim oſtendemus, cum rationes Ariſt. pro immortalitate in medium afferemus. Ibi ergo in tex.6. nuper indicato dixit, intelle-

tellectum non eſſe mixtum cum corpore, quod nihil aliud eſt, quam, intellectum non eſſe formam materialem: hæc enim eſt concluſio ibi ad demonſtrandum propoſita, & efficaciſſime demonſtrata. In tex. uero 7. dicit, non eſſe ſimilem impatibilitatē ſenſus, & intellectus: quod omnino pro immortalitate fuit. Addidit etiam in fine illius tex. ſenſitiuum non eſſe ſine corpore: intellectū uero ſeparabilē eſſe.

Ad ea tamen, quæ ſcripta ſunt in tex. 6. conantur aduerſarij dupliciter reſpondere: altero modo, dicentes, Ariſt. loqui de intellectu agente, quem negant eſſe partem animæ noſtræ: altero modo, concedentes, ipſum loqui de intellectu potentia, dicunt Ariſt. appellare ipſum immixtum, licet ſit corruptibilis, quia hæc eſt condicio eorum, quæ miſcentur, ut, antequam miſceantur, exſiſtant ſeparata. Quare, cū anima noſtra numquam per ſe, & ſeorſum exſtiterit: iccirco optimo iure dixit, ipſam eſſe immixtam: impatibilem uero, quia ipſa animæ aptitudo non patitur, ſed corpus ſecundum illam aptitudinem: ſeparabilem uero dicunt ab Ariſtotele appellari, quia eſt res diuerſa a corpore.

Sed prima expoſitio aliena eſt a uerbis Ariſtotelis: quia propoſuit Ariſtoteles, ſe eſſe acturum de illa parte animæ, cuius differentiæ ſunt contemplatiuum, & practicum: at huiuſmodi eſt intellectus poſſibilis, non agens, maxime ſi agēs ſit intellectus diuinus. Præterea, intellectus agens, ſi ſit Deus, & omnino quicumque ſit, non eſt ſuſceptiuus ſpeciei, non eſt potentia ipſa ſpecies: quare de ipſo non loquitur Ariſtoteles, ſed de intellectu poſſibili.

Item non poteſt Ariſt. probare aliquam proprietatem de eo, quod nondum demonſtrauerat eſſe: ſed nondum demonſtrauerat, intellectum agentem eſſe: quare de ipſo non loquitur. Addamus etiam, intellectum agentem eſſe partem animæ noſtræ, non Deum: quare, ſi probaret intellectum agentem, qui eſt pars animæ, eſſe immixtum, impatibilem, & ſeparabilem: idem probaret de intellectu poſſibili. Et ideo Ariſtoteles infra tex. 19. ex immortalitate intellectus poſſibilis probauit immortalitatem agentis.

Secunda

Secunda uero expoſitio multo minus cõſentanea eſt Ariſtoteli, & ueritati: quia, ſi intellectus poſſibilis dicitur immixtus, quod numquam exſiſtat ſeparatus, eadem ratione uegetatiua, & ſenſitiua, & omnino omnes formæ materiales dicentur immixtæ, quia numquam fuerunt ſeparatæ: & tamen illæ fiunt calidæ, & frigidæ: & omnino alterantur alteratione corporis: cum tamen dicat Ariſtoteles, intellectum non eſſe mixtum, quia ſic fieret calidus, aut frigidus.

Præterea, forma, quæ non eſt mixta cum corpore, non habet organum corporeum: at uegetatiua, & ſenſitiua per eos erunt immixtæ, (accipiendo immixtum, quo modo accipiũt ipſi) & tamen illæ habent organum. Præterea, eodem modo interpretanda, & accipienda eſt cõcluſio, quo modo præmiſſæ probant, intellectum non eſſe mixtum corpori, quia non educitur e potentia materiæ, non quia non exſtiterit ſeparatus: nam, fieri calidum, & frigidum, & habere organũ, quæ duo adimit Ariſtoteles intellectui, probant intellectum non eſſe ita mixtum corpori, ut ſit eductus e potentia eius: quare probant, ipſum eſſe immaterialem, & conſequenter immortalem.

Demum, ipſi nullam, ſecundum ſuam expoſitionem, ponunt, neque poſſunt ponere differentiam inter impatibilitatem ſenſus, & intellectus: quare reijciẽda eſt eorũ expoſitio.

Neque etiam audiendi ſunt, cum declarant, quomodo intellectus dicatur ab Ariſtotele ſeparabilis: quia, ſi diceretur ſeparabilis, propterea, quod eſt res diuerſa a corpore, ſic etiã ſenſus, cum ſit res diuerſa a corpore, erit ſeparabilis: & tamen dicit Ariſtoteles, ſenſum non eſſe ſine corpore, intellectum uero eſſe ſeparabilem.

Eandem ſentententiam habuiſſe Ariſt. de immortalitate animæ, indicant uerba eius in tex. 15. ſcripta: ubi reſpondebat quæſtioni, quã propoſuerat in tex. 13. qua quærebat, quomodo intellectus ſit intelligibilis. uel enim (aiebat Ariſtoteles in dubitatione) erit intelligibilis per ſe ipſum, ſiue per propriam naturam, ſicq. omne intelligibile erit intellectus: uel erit intelligibilis ratione alterius, quod mixtum

cum

cum ipſo faciet ipſum intelligibilem: reſpondens, inquam, quæſtioni propoſitæ, dicebat, intellectum eſſe intelligibilē, ſicut intelligibilia, ſcilicet proprie dicta: & reddebat rationem ſuæ reſponſionis, per quam ſimul etiam ſignificabat, ipſum intellectū eſſe proprie intelligibilem: dicebat enim, in eis, quæ ſunt ſine materia, eandem rem eſſe intelligibilē, & intellectum: quare arguebat Ariſtoteles: In ſeparatis a materia eadem eſt ſubſtātia intellectus, & intelligibilis: ſed intellectus humanus eſt ſubſtantia ſeparata a materia: ergo ipſe eſt intellectus, & intelligibilis. Maiorem huius rationis, quam repetijt etiam Ariſtoteles 12. Metaphyſ. tex. 39. ubi dixit in ijs, quæ materiam non habent, id quod intelligitur, intellectuſq. ipſe non diuerſum erit, ſed idem: maiorem, inquam, poſuit; poſuit etiam concluſionem, in qua, cum dixerit intellectum eſſe intelligibilem, ſicut intelligibilia, neceſſe eſt, ut accipiat intelligibilia proprie dicta. Hanc concluſionem infert ex illa maiore, quod in ſeparatis a materia idem eſt intellectus, & intelligibile; ſed ſeparata a materia ſunt intelligibilia proprie dicta: quare neceſſe eſt, intellectū humanum eſſe in genere eorum, quæ proprie, & ſuapte natura ſunt intelligibilia; non autem in genere eorum, quæ ex ordine ſenſibilium opera intellectus agentis transferuntur in ordinem intelligibilium. Et ideo, licet taceat minorem, tamquam perſpicuam: uidelicet, intellectus humanus eſt ſeparatus a materia: neceſſarium eſt, ipſam ſubiungere: eſt enim argumentum in prima figura: cuius medium eſt hoc, nempe ſeparatum a materia, quod neceſſario in minori propoſitione prædicatur de intellectu noſtro. Quare ex eo loco clariſſime intelligitur, intellectum noſtrum ex ſententia Ariſtotelis eſſe ſeparatum a materia: & ideo ſtatim quærit, cur non ſemper intelligat. cui quæſtioni nullus eſſet locus, ſi non eſſet ſeparatus a materia. Deinde, cum expoſuiſſet cauſſam, propter quam intelligibilia proprie dicta ſint intellectus: quia ſcilicet ſunt ſeparata a materia, & omne ſeparatum a materia intelligit: omne etiam intelligibile eſt ſeparatum: reddebat cauſſam, propter quam ea, quæ non ſunt intelli-

intelligibilia proprie,ut lapis,planta, & cetera id genus materialia,non ſint intellectus,dicens,ea,quæ materiã habent, non eſſe actu,neque proprie intelligibilia, ſed poteſtate tantum,quare illis non ineſſe intellectum. Et ideo argumentabatur: Ea,quæ habent materiã,non poſſunt eſſe intellectus, ſed formæ materiales: & omnino omne materiale habet materiam: ſequitur igitur,ut nulla res habens materiam poſſit eſſe intellectus. Quare autem nulla res habens materiam poſſit eſſe intellectus,oſtendebat Ariſtoteles,dicens,intellectus talium,id eſt intellectus,qui talium rerum, nempe uniuerſalium, quæ,ex intelligibilibus potentia, facta ſunt actu intelligibilia: intellectus,inquam,qui eſt perceptiuus taliũ, eſt potentia ſine materia. Quare,cum materiale, & immateriale non poſſint eſſe idem, ſequitur omnino, ut res illæ, quæ ſunt materiales,non poſſint eſſe intellectus, neque habere naturam intellectualem. Illi autem (ſubiungebat Ariſtoteles) inerit intelligibile, id eſt intellectui noſtro inerit intelligibile ipſum, hoc eſt ipſe proprium eſt intellectus, & intelligibile proprie dictum: quia eſt ſeparatus a materia. Si ergo formæ materiales non poſſunt eſſe intellectus: & ſi intellectus noſter,qui eſt ipſarum perceptiuus, eſt potentia ſine materia: ex his intelligitur,ipſum non eſſe formam materialem,ſed immaterialem, & conſequenter immortalem. Colligitur præterea,eos,qui faciunt eum materialẽ, & conſequenter mortalem, deſtruere naturam ipſius, & pugnantia loqui: quia,cum dicunt,ipſum eſſe materialem,ſiue inſeparabilem a materia,& conſequenter mortalem,negant,ipſum eſſe intellectum:&,cum dicunt,ipſum eſſe intellectum, neceſſario concedunt,ipſum eſſe immaterialem, ſiue ſeparabilem a materia,& conſequenter immortalem. Quare materiale,ſiue mortale,& intellectus adeo inter ſe diſcordant, ut non poſſint eidem rei conuenire. Hæc,quæ non ſolum ex uerbis Ariſtotelis,ſed ex natura rei, & ipſius intellectus neceſſario conſequuntur,ſi conſideraſſent mortalitatis animæ aſſertores,uel ſententiam omnino mutaſſent,uel confeſſi eſſent,ſe non habere intellectum, atque omnino non eſſe homines:

mines: cum homo, ut eſt apud Ariſt. 2. de generatione animalium cap. 3. & 10. Ethicorum cap. 7. per intellectum ſit homo: confeſſi, inquam, eſſent, ſe non eſſe appellandos homines, ſed animalia naturæ humanæ ualde infeſta. Ad hunc locum non aduerterunt, uel, ne cogerentur fateri ſe eſſe tales, ipſum, & ea quæ ex eo ſequuntur, diſſimularunt: quæ tamen a uiris in Philoſophia, & præſertim in doctrina Ariſtotelis, uel mediocriter uerſatis non erant diſſimulanda: cum, ut antea attigimus, non ſolum ex uerbis Ariſtotelis, ſed ex natura rei, de qua agitur, perſpicua fiant, & manifeſta.

Sed, ut ad alia Ariſtotelis loca accedamus, in eodem 3. libro, ipſe in tex. 19. ex immortalitate intellectus poſſibilis, arguit immortalitatem intellectus agentis, dicens, *& hic intellectus agens ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſsibilis: ſemper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materia*. Immo, ſi non exiſtimaſſet Ariſtoteles, intellectum poſſibilem eſſe immaterialem, & conſequenter immortalem, fruſtra, & ſine ratione poſuiſſet intellectum agentem: quia materialia per ſe ſine alieno auxilio potuiſſent agere in ipſum: uel neceſſe habuiſſet etiam ponere ſenſum, & phantaſiam agentem, quæ quidem non poſſunt poni. Hic quidem locus clare indicat Ariſtotelis ſententiam de immortalitate: Sed alius paullo infra, nempe tex. 20. adeo clare ipſam indicat, ut nihil clarius: ibi enim, diuidens Ariſtoteles intellectum in actu, qui quidem eſt intellectus poſſibilis in actum redactus, & ſpecie intelligibili informatus: diuidens, inquam, ipſum in ſubſtantiam ſuam, & in ſpeciem, qua informatur, quamq. credidit Plato perpetuam eſſe: de ipſo dicit *hoc quod eſt*, id eſt ſubſtantiam, ſiue eſſentiam ipſius eſſe ſeparatam, eamq. ſolam eſſe immortalem, & perpetuam: Et ideo uox illa, *ſolum*, diſtinguit eam a ſpecie intelligibili, quantum ad phantaſmata, quæ caduca ſunt, & intereunt interitu phantaſiæ. Neque loqui poteſt Ariſtoteles de ſolo intellectu agente, ſi ſit aliquid alienum ab anima, nempe Deus, uel alia intelligentia: quia neque ueritati, neque doctrinæ ſuæ congruenter diceret ſolam illam eſſe immortalem, & perpetuam. In eodem

etiam tex. reſpondit tacitæ quæſtioni, cui nullus fuiſſet locus, ſi non exiſtimaſſet, intellectum noſtrum eſſe immortalem,& corpori ſuperſtitem. Quærit enim ibi, cur non reminiſcamur: ſed, qui reminiſcitur,ille quidem eſt,qui prius cognouerit aliquid,deinde oblitus eſt: quod ſi intellectus noſter eſſet mortalis,& cum corpore interiret,nihil eſſet in nobis,per quod poſſemus fingere, nos aliquid prius cognouiſſe, deinde eiuſdem fuiſſe oblitos: quare nihil eſt in nobis, quod huius quæſtionis occaſionem præberet. Solutio etiã quæſtionis indicat ſententiam Ariſt. de immortalitate intellectus: quia dixit,*non reminiſcimur autem, quod hoc quidem impaſſibile eſt*, ſcilicet ſubſtantia intellectus eſt impaſſibilis, nulla ſcilicet corporis paſſione patitur,nulla mutatione mutatur: intellectus uero paſſiuus,hoc eſt phantaſia,quam ita appellat Ariſtoteles,quod corporis paſſione patitur,eiuſdem mutatione mutatur: illa quidem eſt corruptibilis, & ſine hac nihil intelligit intellectus. Sed, ſi tota anima noſtra eſſet corruptibilis,cur de ſola phantaſia mentionem faceret Ariſtoteles? Ad hæc non uideo quid reſpondeant,neque quid poſſint aduerſarij reſpondere. Et hæc ſunt fere omnia,quæ hactenus recenſuimus Ariſtotelis uerba in libris de Anima pro immortalitate animæ facientia.

SEQVITVR alius locus celebris, & inſignis in 2. de generat. animalium cap. 3. ſicut ille liber librum de Anima ſequitur. Ibi aſſeruit Ariſtoteles, animam intellectiuam extrinſecus accedere,eamq. ſolam diuinam eſſe: propterea quod nihil cum eius actione communicat actio corporalis: ſed, ut magis intelligatur uis, & ſenſus illorum uerborum, propoſitum, & ſententiam Ariſtotelis in eo loco quam breuiſſime referam. Ibi igitur inter ceteras proponit illam quæſtionem: Vtrum ne anima uegetatiua ſit in conceptu, & in ſemine, an non? &, ſi ſit, unde ſit? reddit rationem huius quæſtionis; & ſimul accedit ad ſolutionem, dicens, illam, quam propoſuit, quæſtionem quærendam eſſe: quia nemo poſuerit conceptum inanimatum uita omnibus modis priuatum: quandoquidem ſemina,ſcilicet plantarum, aliquandiu

dia prolifica ſunt., & conceptus animalium uiuunt. Quare manifeſtum eſt, animam uegetatiuam in ipſis reperiri: ſed, quare neceſſe ſit, ipſam prius haberi, alias uero poſterius, dixit ſe docuiſſe prius, ſcilicet in tertio de Anima. Deinde ſubiungit, ſenſitiuam, per quam eſt animal; & rationalem, per quam eſt homo, tempore procedente recipi: non enim ſimul, ſubiungit Ariſtoteles, animal fit, & homo; animal, & equus; eandemq. in ceteris animalibus rationem eſſe ſubdit: quod prius uegetatiuam, & deinde ſenſitiuam recipiunt. Sed, quare recipiantur prius animæ priores, & quare ſimul nõ fiat animal, & homo; declarat Ariſtoteles, dicens, quia finis poſtea aduenit: proprium autem, id eſt forma propria, eſt finis generationis cuiuſque. Illud uero compertum eſt, non poſſe finem acquiri, niſi præcedant ea, quæ ſunt ueluti media neceſſaria ad illum finem. Quamobrem, cum finis poſterius acquiratur, & anima intellectiua ſit finis generationis hominis: iccirco dicebat dubitari de mente; quonam tempore, & quo modo, & unde eam recipiant, quæ principium tale participant. Deinde, accedens ad ſolutionem propoſitæ dubitationis, dicebat, omnes animas prius haberi potentia, quam actu; & incipiens a uegetatiua, de qua minus uidebatur, dicebat, eam in ſeminibus, ſciliced plantarum, & conceptibus, ſcilicet animalium nondum ſeparatis a reliquo ſanguine, & nondum ſua membrana obductis, potentia ineſſe, & non actu prius quam cibum trahant, eo modo, quo trahunt conceptus iam ſeparati, & ſua membrana obducti: quippe qui habent uenam umbilicalem, per quam a matre trahunt nutrimentum. De anima ſenſitiua pariter dicendum eſſe ſubiungebat, atque etiam de intellectiua: omnes enim potentia prius quam actu haberi neceſſe eſt. Huic quæſtioni ſic ſolutæ aliam quæſtionem ſubnectebat Ariſtoteles. nam, ſi omnes animæ prius fuerunt in conceptu potentia, quam actu, quærebat: an quando innaſcuntur ipſi conceptui, innaſcantur omnes, & incipiant ineſſe in eodem conceptu, cum prius non eſſent, ſic, ut initium in conceptu ſit abſolute initium ipſarum: aut omnes

innaſcantur conceptui, cum ante fuerint, & ſi innaſcantur materiæ, cum prius non eſſent: utrum ne ex potentia materiæ educantur omnes, & non traducantur cum ſemine maris, aut in eam cum ſemine traducantur, aut omnes extrinſecus accedant, & nulla educatur e potentia materiæ: aut partim extrinſecus accedant, partim non.

His quæſtionibus propoſitis, oſtendebat Ariſtoteles, omnes animas non poſſe eſſe ante corpus: hoc argumento: Illa principia, quæ habent actionem corporalem, hoc eſt actionem, quæ perficitur organo corporeo, & in organo corporeo non poſſunt eſſe ſine corpore: quare non poſſunt eſſe ante corpus, ſed neceſſe eſt, ut cum corpore incipiant eſſe: idq. ambulationis exemplo oſtendebat, dicens: cum ambulatio ſit actio corporea, illam non poſſe eſſe ſine corpore: ſed uegetatiua, & ſenſitiua anima habent actiones corporeas, quæ ſcilicet fiunt per organa, & in organis corporeis: quare non poſſunt eſſe ante corpus: *itaque, ipſas extrinſecus aduenire*, ſubiungebat Ariſtoteles, *impoſſibile eſt*. Vbi animaduertendum eſt, Ariſtotelem pro eodem accipere, eſſe ante corpus, & extrinſecus aduenire: quia, cum ſibi demonſtrandum propoſuiſſet, non poſſe omnes animas eſſe ante corpus, facta probatione, inferebat ſuam concluſionem, dicens: *Itaque, extrinſecus eas aduenire, impoſſibile eſt*. Quod uero non poſſint extrinſecus aduenire illi corpori, cuius ſunt animæ, probabat Ariſtoteles: quia aut per ſeipſas aduenirent, aut cum ſemine traducerentur: ſed per ipſas non poſſunt accedere: quia, cum ſint inſeparabiles a corpore, non poſſunt ſine corpore deferri: neque cum ſemine traduci poſſunt, quia ſemen, cũ ſit excrementum alimenti mutati, & conuerſi in ſubſtantiã rei nutritæ, & non ſit pars rei animatæ, non poteſt eſſe ſubiectum animarum, ſecumq. ipſas deferre. Ex quo quidem intelligitur, nullam animam cum ſemine traduci poſſe. Cum igitur uegetatiua, & ſenſitiua anima non poſſint extrinſecus aduenire; reſtare dicebat Ariſtoteles, ut mens ſola extrinſecus accedat, eaq. ſola diuina ſit. Cuius rei illam dicebat eſſe cauſſam, quod nihil cum eius actione communicat

actio

actio corporalis; ideſt ad eius actionem obeundam non concurrit actio organi corporei, ſic, ut organum corporeum ſit particeps illius actionis. Quare ex natura actionis, quæ non perficitur organo corporeo, arguit Ariſtoteles, naturam facultatis operantis eſſe ſeparatam a corpore. Et hæc eſt altera illarum rationum, quibus utitur Ariſtoteles, ut paullo infra oſtendemus in tex. 6. 3. lib. de Anima, ad demonſtrandam animæ noſtræ immortalitatem, cum ſcilicet probauit, animam intellectiuam non eſſe mixtam cum corpore, quia nullum habet organũ corporeũ. Etenim intellectio, & uolitio, quæ ſunt primæ eius operationes, non fiunt per organũ, neque in organo corporeo. Ex his igitur, quæ dicit Ariſt. in loco citato, facile intelligitur, quam differentiam poſuerit Ariſt. inter intellectum, & alias animas, quodq. intellectum immortalem eſſe aſſeruit, & probauit, reliquas uero mortales: quod etiam confirmauit in uerbis ſequentibus, ubi diuiſit animale principium, ipſam ſcilicet animam, dicens, *& hoc quidem ſeparabile eſſe a corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ mens appellatur*, hoc eſt in hominibus, *hoc uero inſeparabile*. Quare, ſi mens humana eſt ſeparabilis a corpore, ſequitur omnino, ut ſit immortalis.

Hæc, quæ immortalitatem animæ noſtræ luce clarius indicant, Alexander Aphrodiſeus, referente Ioanne Grammatico in ſuis commentarijs primi libri de Anima, ad intellectum agentem, quem putauit eſſe Deum, uiolentiſſime detorſit. Quam Alexandri expoſitionem ſecuti ſunt Caietanus, & ceteri fere omnes, qui Ariſtoteli mortalitatis animæ ſententiam tribuerunt.

Verum hæc expoſitio longe aliena eſt a uerbis, & ſententia Ariſtotelis: primum, quia ibi loquitur Ariſtoteles præciſe de intellectu, qui eſt anima, & forma hominis, quandoquidem ibi loquitur de anima, quæ eſt finis generationis: ſed intellectus agens, ſi ille ſit Deus, & non pars animæ noſtræ, non eſt finis generationis: ergo de ipſo non loquitur, ſed de intellectu noſtro, qui eſt finis generationis. Et ideo, cum dixiſſet, proprium, ideſt formam propriam eſſe finem

gene-

generationis cuiuſque, ſubiungebat hæc uerba: *Quapropter de mente etiam quonam tempore, & quomodo, & unde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur.* Loquitur ergo de illa mẽte, quæ eſt finis generationis, & eſt forma propria hominis; etenim de illa dubitatur, quo tempore, & quo modo, & unde adueniat homini. Non ergo loquitur de intellectu agente, ſi ille ſit Deus, uel alia intelligentia: quia neque Deus, neque alia intelligentia eſt finis generationis hominis, neque forma eius; quod etiam ex alio conſtat, quia aliquando mentem, aliquando animam rationalem, ſiue intellectualem appellat Ariſtoteles.

Secundo loquitur Ariſtoteles de animabus animalium corruptibilium. quod cum ex illis, quæ nuper diximus, intelligitur, tum & clarius ex multis alijs: quia, cum dixiſſet Ariſtoteles, omnes animas, quæ proculdubio ſunt animæ animalis corruptibilis, prius haberi potẽtia, quam actu, quærebat; quo modo innaſcantur, & an omnes fuerint ante corpus, uel omnes incipiant eſſe cum corpore: cũ ergo intellectus agẽs, ſi non ſit pars animæ noſtræ, non poſſit connumerari inter animas animalium corruptibilium; aperte intelligitur, uerba illa Ariſtotelis non poſſe detorqueri ad intellectũ agẽtẽ.

Præterea, clariſſime facit Ariſtoteles partitionem animarum, quæ ſunt propriæ animalis corruptibilis: quia dicit, alias educi e potentia materiæ, alias uero extrinſecus accedere. Si ergo anima, quæ diuiditur, eſt anima animalis corruptibilis, & altera pars eius extrinſecus accedat, illa non poteſt eſſe intellectus agens, ſi ipſe ſit Deus, uel alia intelligentia. Idem conſtat ex diuiſione animalis principij, ſcilicet animæ: quam diuiſionem poſtremo referebamus. illa enim eſt anima, quæ in corpore genitura, ut ipſe dicit, prius habetur potentia, quam actu. dicebat autem, illud animale principium partim eſſe ſeparabile a corpore in illis, in quibus diuina pars comprehenditur, ſcilicet in hominibus; partim uero inſeparabile: ſed, ſi intellectus agens ſit Deus, non poteſt eſſe tale principium animale: quare de ipſo non loquitur Ariſtoteles.

Pompo-

Pomponatius uero dupliciter reſpondet: Primum quidē dicens, mentem, ut mens eſt ſimpliciter, non ut humana, extrinſecus accedere: Secundo uero dicit, ſi de mente humana loquitur, uerba eius accipienda eſſe non abſolute, ſed ratione aliarum animarum: quia anima humana magis participat diuinitatem, quam aliæ animæ.

Sed prima reſpōſio facile refellitur, tum ex alijs ſuperius contra Alexandrum allatis, tum etiam quia loquitur Ariſtoteles de mente, per quam homo eſt homo: at hæc eſt mens, ut humana: non eſt mens ſimpliciter dicta: Item loquitur de anima, quæ eſt finis generationis; at hæc eſt mens, ut humana ſola inter mentes: quare de illa ſola loquitur Ariſtoteles.

Secunda etiam reſponſio eadē facilitate refellitur, quia abſolute probauit ipſam mentem extrinſecus accedere: propterea quod nihil cum eius actione communicat actio corporalis: quare intelligitur, ipſam, non comparatione ad alias animas, ſed abſolute, ut talis eſt, extrinſecus accedere.

Præterea, abſolute dixit, mentem eſſe ſeparabilem, & loquitur de ea, ut eſt pars animalis principij: Sed ea, quæ eſt pars animalis principij, eſt mens humana: ergo abſolute dixit, ipſam eſſe ſeparabilem. At uero, quod abſolute, & non comparatione ad alias animas loquatur Ariſtoteles, patet quia dixit, ſolam mentem extrinſecus aduenire, eamq. ſolam diuinam eſſe, propterea quod cum eius actione nihil communicat actio corporalis. Quare, cum hæc ratio conueniat animæ intellectiuæ abſolute conſideratæ, ſequitur, Ariſtotelem uelle eam abſolute extrinſecus aduenire, & abſolute eſſe ſeparabilem.

Demum, ſi comparatiue loqueretur, ſic, ut diceret, eam, quia magis diuina eſt, quam aliæ, antecedere corpori: cur de ſenſitiua ratione uegetatiuæ non diceret idem, cum ipſa ſit perfectior, & diuinior, quam uegetatiua: ſed intellectiua antecedit, quia eſt immaterialis; aliæ uero non antecedunt, quia ſunt materiales. Quare abſolute conſiderans Ariſtoteles animam intellectiuam, dixit, eam antecedere, & extrin

ſecus aduenire: quo fit, ut abſolute ſentiat, ipſam eſſe immaterialem, & immortalem.

Hucuſque igitur allata ſunt teſtimonia Ariſtotelis pro immortalitate facientia, hucuſque etiã confutatæ ſunt reſponſiones aduerſariorum. Nunc uero ad explicãdas rationes Ariſtotelis, & alias, quæ ex principijs naturalibus, & ex ui, & natura rei ductæ afferri poſſunt, accedamus. quod reliquum eſt, ut prima pars diſputationis noſtræ perficiatur.

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS

LIBER II.

Caput I.

CVM igitur Ariſtoteles in 2. lib. de Anima definiens animam, uniuerſaliter demonſtraſſet, omnem animam eſſe formam: cūq; formarum duo ſint genera: alterum materiale, alterū immateriale: neceſſe habuit, ut perfectam animæ ſcientiam traderet, explicare eam quæſtionē in exordio 1. lib. tex. 7. propoſitā: Vtrum ne omnes animę ſint eiuſdem, uel diuerſi generis: &, quia ſatis conſtabat, uegetatiuā, & ſenſitiuā eſſe eiuſdem generis, quia ambæ ſunt materiales, iccirco, ſermonē facturus in 3. lib. de Anima intellectiua, neceſſe habuit hanc quæſtionem explicare, & præcipuā differentiā inter ipſam, & alias animæ facultates, quod ſibi in exordio illius tractationis faciendum propoſuit, aſſignare. Licet enim in lib. 2. tex. 21. obiter indicaſſet, quid de hac re ſentiret, cum dixit, intellectum, ſcilicet poſſibilem, uideri alterum genus animæ, & hęc ſolum poſſe ſeparari ab alijs, non loco, & ſubiecto, ſed ſicut perpetuum a corruptibili, in 3. tamen libro, ubi erat proprius locus agendi de intellectu, oportuit explicare, & demonſtrare ſuam ſententiam, nempe, intellectum eſſe formā immaterialem, & iccirco eſſe alterum genus animæ: quod fecit in tex. ex diuiſione Auerrois ſexto: ubi duabus rationibus, non communibus, & dialecticis, (quod plerique alij fecerunt) ſed proprijs, & demonſtratiuis, quarum altera ſu-

mitur ab immutabilitate; altera uero a defectu, & priuatione organi, demonſtrauit, intellectum non eſſe mixtum cum corpore, hoc eſt non eſſe formam materialem, ſed immaterialem, & immortalem. Hæc enim eſt concluſio ibi Ariſtoteli ad demonſtrandũ propoſita. Neque ſine artificio oſtenſurus Ariſtoteles intellectum non eſſe formam materialem, ſiue eductam e potentia materiæ, dixit, ipſum non eſſe mixtum cum corpore: etenim his uocibus ſimul docet, quales ſint formæ eductæ e potentia materiæ: ſimulq. robur, & uim ſuarum rationum, ſiue illationum clarius explicat: docet, inquam, his uerbis, quales ſint formæ materiales. Etenim, cum illæ ſint eductæ e potentia materiæ, cum quá ſemper eſt coniuncta quantitas, ratione cuius materia ipſa eſt diuiſibilis, neceſſe eſt, formas materiales ita infixas eſſe ipſi materiæ, atque ipſi (ut ſic dixerim) incorporatas, ut in quacumque parte illius materiæ, ſiue corporis ſit pars aliqua huiuſmodi formarum, ita ut partibus materiæ, ſiue corporis, reſpondeant partes illarum formarum, atque icirco extendantur extenſione materiæ, & diuiſione eius diuidantur, atque etiam alteratione alterentur, & omnino mutatione mutentur: quo fit, ut naſcente corpore innaſcantur, & intereunte intereant. E conuerſo autem, formæ immateriales, cum nõ educantur e potẽtia materiæ, ſed extrinſecus ipſi adueniãt, atque extrinſecus ipſam complectantur; & icirco habeant eſſentiam ſuam ſeparatam, & non pendẽtem a corpore, ſunt expertes affectionum, & qualitatum corporearum; & ideo non alterantur, neque mutantur mutatione corporis: &, ſicut ſunt expertes alterationis, ſunt etiam expertes quantitatis: quare non diuiduntur diuiſione corporis, ſed ſunt omnino indiuiſibiles, ſunt totæ in toto corpore, & totæ in qualibet parte corporis: & ideo 12. Metaphyſ. dicebat Ariſtoteles, omne expers materiæ eſſe indiuiſibile: idq. exemplo humanæ mentis indicabat: quare huiuſmodi formæ ex ſententia Ariſtotelis naſcente corpore non naſcuntur, & intereunte non intereunt: quia, cũ materia ſit cauſſa interitus, ſiue corruptionis, formæ expertes materiæ ſunt expertes corruptio-

ruptionis,& ab omni corporis, ſeu materiæ contagione ſolutæ, & liberæ: & ideo in generatione extrinſecus accedunt ipſi corpori, & in eiuſdem interitu ſaluæ remanent,& ſuperſtites. ſic igitur his uocibus, quales ſint formæ materiales, indicat Ariſtoteles: ſimul etiam explicat uim,& robur ſuarum rationum,& præſertim illius primæ conſequentiæ, qua utitur in prima ratione,quod ſcilicet,ſi intellectus eſſet forma materialis, mutaretur, & alteraretur mutatione corporis: quia,ſi ſit mixtus,& incorporatus cum corpore,ſatis intelligitur,ipſum alterari alteratione corporis. Præterea,utitur Ariſtoteles his uocibus, quia non eſſe mixtum cum corpore eſt cauſſa propria immortalitatis; ſicut eſſe mixtum eſt cauſſa propria mortalitatis. &,quia artificioſius, & ſignificantius eſt loqui per cauſſam,quam per effectum; iccirco artificioſius locutus eſt Ariſtoteles, dicens, intellectum non eſſe mixtum cum corpore, quam ſi dixiſſet, ipſum non eſſe mortalem.

Sed,quando uoces, quibus in concluſione ſibi propoſita uſus eſt Ariſtoteles, declarauimus;rationes, ex quibus eam intulit, iam explicemus. Rationes duæ ſunt ad incommodum ducentes: prior,quæ ab immortalitate intellectus ducitur, ad hoc incommodum ducit: quod ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore,mutaretur,& afficeretur mutatione, & affectione corporis. Secunda uero ducit ad illud, quod intellectus haberet organum corporeum: quorum utrumque abſurdiſſimum,& falſiſſimum eſſe demonſtrabat Ariſtoteles in eo,quem indicauimus,loco: & nos rationibus alijs, aliunde ex eius doctrina deſumptis, conabimur pro uiribus demonſtrare.

Quantum igitur ad priorem rationem pertinet, argumentatur Ariſtoteles: Si intellectus eſſet mixtus cum corpore, qualis quidã utique fieret calidus, aut frigidus: conſequẽs eſt falſum,& impoſſibile: ergo & antecedens. Conſequentia uero probatur,quia omnis forma mixta cum corpore afficitur affectione corporis,& omnino eiuſdẽ mutatione mutatur: propterea quod uirtus, ſeu forma corporea pendet a

corpore,& a temperatura corporis,atque ex illa oritur, immo,ut ſolet dicere Ariſtoteles,eſt ratio,hoc eſt pendet a ratione,ſiue a proportione,& temperatura quattuor primarũ qualitatum,& ex illa oritur,ſi ſit forma mixti perfecti: quare alterata illa temperatura neceſſe eſt formam pendentem ab ipſa alterari: ſed corpus humanum ſecundum diuerſas qualitates alteratur, ſic,ut modo calidum fiat, modo frigidum: quare & intellectus,ſi cum ipſo mixtus eſſet,& ex eius temperatura reſultaret, neceſſario fieret calidus, aut frigidus. Hoc autem,præter rationem adductam,conſtat exemplo tactus: qui cum ſit uirtus,ſeu potentia animæ materialis, & organicæ, ratione ſui organi fit calidus, aut frigidus: idq. optima ratione efficitur: quia, cum totum corpus mixtum, quod eſt ſubiectum animæ, conſtet ex quattuor primis qualitatibus, ex eiſdem quoque quamlibet eius partem neceſſe eſt conſtare. Quare,cum quælibet pars mixti fiat calida,uel frigida,neceſſario ſequitur,formã,quæ pendet a temperatione eius,& cum eo mixta eſt, fieri calidam, aut frigidam. Et ideo ueteres illi philoſophi,qui putabant,licet falſo,intelligere eſſe corporeum,ſicut ſentire, putabant etiam id ipſum, atque omnino animam intellectiuam mutari mutatione corporei temperamenti.

Quod ſi dicas, Vis uiſiua eſt forma materialis,ſeu mixta cum corpore,& tamen non fit calida, aut frigida, reſpondebo,ipſam quoque fieri talem ratione tactus,quem præſupponit, quiq. in eius organo eſt neceſſarius. Et, quod dico de uirtute uiſiua, idem de alijs facultatibus ſenſitiuis, non ſolum externis,ſed etiam internis,dicendum eſt: omnes enim indigent tactu in ſuo organo: & ideo arguebat Ariſtoteles, cerebrum non eſſe ſedem animæ,quia caret ſenſu tactus: nõ enim, dicebat ipſe, cerebrum magis ſentit, quam quoduis excrementum.

Eadem conſequentia patet ex uerbis Ariſtotelis ſecundo de generatione, & interitu, loco ſuperius citato, nempe tex.45. ubi dicebat Ariſtoteles,animam non eſſe unum elementum, neque mixtum ex elementis, quia paſſiones eius

eſſent corporales. Hactenus igitur probata ſit conſequentia, quod, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, fieret calidus, aut frigidus, & omnino mutatione corporei temperamenti mutaretur.

Verum, ut eiuſdem conſequentiæ uis, & robur melius intelligatur, & perſpicua magis fiant incommoda, quæ ex ipſo conſequente oriuntur: oſtendamus etiam, quod, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, non ſolum mutaretur mutatione corporei temperamenti, ſed neceſſario mutaretur, ipſumq. corporeum temperamentum non ſolum plerumque, ſed ſemper, & neceſſario ſequeretur. Id uero tum exemplo ſenſus, tum ex materiæ natura facile oſtenditur: exemplo quidem ſenſus, quia, ſicut ſenſus, & appetitus ſenſitiuus, eorumq. operationes neceſſario mutantur mutatione corporei tēperamēti, ſic & intellectus, & appetitus intellectiuus, atque ipſorum operationes neceſſario mutarentur. Id ipſum quoque ex natura materiæ efficacius demonſtraretur: quandoquidem illa neceſſitas, quæ prouenit ex materia, eſt neceſſitas ſimpliciter, ut conſtat ex Ariſtotele 2. de Natura li auſcultatione tex.90. dicente: Manifeſtū eſt igitur, quod neceſſarium eſt in phyſicis, quod, ut materia dicitur, & motiones eius. Eadem conſequentia alia etiam ratione probatur; quia nulla res habet modum naturalem operandi, qui modus excedat condicionem ſuæ naturæ, aut illi repugnet: ſed motiones materiæ ſunt neceſſariæ, & neceſſitas, quæ prouenit a materia, eſt neceſſitas ſimpliciter: ſequitur ergo, & operationes formarum materialium ipſas quoque eſſe neceſſarias. Et ideo uirtus uiſiua diſpoſito oculo, & præſente obiecto non poteſt non uidere: tactus non poteſt non tangere. & ita dicendum eſt de alijs facultatibus ſenſitiuis non ſolum cognoſcentibus, ſed etiam appetitricibus. Nam concupiſcibilis, oblata aliqua re iucunda, non poteſt illam appetere: iraſcibilis, oblata re formidabili, non poteſt non timere. Quare perſpicua eſt conſequentia, quod, ſi anima rationalis eſſet mixta cum corpore, & conſequenter eſſet materialis: omnes eius operationes neceſſario conſequerentur

tempe-

temperaturam corporis, & mutationes ab illa temperatura prouenientes. Sic igitur probata ſit cōſequentia, quod, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, non ſolum mutaretur, ſed neceſſario mutaretur mutatione corporis, & corporei temperamenti: at conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Falſitatem uero huius conſequentis oſtendunt multa, & illa quidem grauiſſima, & intolerabilia, quæ inde ſequuntur, incommoda. Quorum aliqua cum ex dictis paulo ante illum textū ſextum, tum ex his, quæ perſpicua ſunt, & manifeſta, inferre poſſumus: &, ut ab eo quod ſequitur ex dictis in tex. 4. incipiamus: ſi intellectus fieret calidus, aut frigidus, non intelligeret externam caliditatem, neque externam frigiditatē ſimilem in gradu ei, qua ipſe affectus eſſet: conſequens eſt falſum: quia intellectus, ut ibi ex omnium conſenſu acceptum eſt, intelligit omnia, & omnes qualitates, in quocumque illæ ſint gradu, ſiue intenſo, ſiue remiſſo, aut mediocri: quare non datur aliquis gradus caliditatis, aut frigiditatis, quem intellectus non poſſit intelligere. Conſequentia uero perſpicua eſt per ſimilitudinem dictam a tactu. Quia, ſicut tactus, qui ratione ſui organi eſt calidus, aut frigidus, non ſentit ſimilem caliditatem, neque ſimilem frigiditatem, ſed tantummodo earum exceſſus, nēpe maiorem, uel minorem; ita neque intellectus, ſi fieret calidus, uel frigidus, ſimilem ei, qua ipſe affectus eſſet, caliditatem, aut frigiditatem intelligeret. Quod uero tactus ſimilem caliditatem, uel frigiditatem non ſentiat, conſtat experientia: conſtat etiā teſtimonio Ariſtotelis 2. de anima tex. 118. & 119. in quo tex. 119. ſimilitudinem late extendens dicebat, id quod debet ſentire album, aut nigrum, neutrum eorum eſſe oportere, ſed potentia utrumque. Quare, ſicut omnis ſenſus debet carere omni ſenſibili, quod eſt aptū ſentiri, debet, inquam, carere illo uel ſimpliciter, uel ſecundum illum gradum, quem poteſt percipere: ita intellectum oportet carere omni intelligibili: &, quia intelligit omnia, debet carere omnibus intelligibilibus: ſed, ſi fieret calidus, aut frigidus, quod omnino eueniret, & neceſſario eueniret, ſi eſſet

mixtus

mixtus cum corpore, non poſſet omnia intelligere. Ex eo ergo, quod omnia intelligit, ſequitur, ut non poſſit affici affectione corporis, neque eius mutatione mutari. Quare non poteſt eſſe uirtus corporea, ſiue mixta cum corpore; neque ipſum intelligere, ut dicebat Ariſtoteles, poteſt eſſe corporeum, ſicut ſentire eſt corporeum.

Alia etiam ratione probatur, quod non intelligeret omnia. non enim intelligeret ſubſtantias, quia accidentia intus exſiſtentia prohiberent ingreſſum ipſis ſubſtantijs. Eademq. ratione non intelligeret omnia accidentia, quoniam intus exſiſtentia prohiberent ingreſſum externis. Vtrumque horum ex eo probatur, quod intus exſiſtens prohibet extraneum, & intercludit. Sed ad hoc, quod ex proxime dictis ſequitur, accedunt alia grauiora incommoda: quia, ſi intellectus neceſſario afficeretur affectione corporis, mores animi neceſſario ſequerentur temperaturã corporis: ut perperam exiſtimauit Galenus in libro de mutua conſecutione morum, & temperaturæ corporis: ubi ſupponebat, animam eſſe temperaturam. Conſequentia patet: quia, ſi anima noſtra pendeat a temperatura corporis, & eius qualitatibus neceſſario afficiatur; mores etiam ipſius a temperatura neceſſario pendebunt, & erunt tales, quales temperatura eſt apta ipſos facere. Conſequens eſt falſum: quia, ſi mores animi neceſſario penderent ab ipſa temperatura, perirent omnes uirtutes morales. nam, ſi tales neceſſario ſint mores animi, quales affert ipſa temperatura: homines frigidi, & ſicci temperamenti, numquam erunt fortes, numquam liberales, numquam magnanimi: homines calidi, & ſicci temperamenti, numquam erunt manſueti: homines calidi, & humidi temperamenti, numquam erunt temperantes: & ita dicendum erit de alijs uirtutibus. Quare nec erit ſitum in nobis, ut boni, uel mali ſimus, ſicut ſitum eſſe ſæpe dixit Ariſtoteles, & præſertim 2. Ethicorum cap. 5. & 1. Magnorum moralium cap. 11. ſed omnes natura eſſemus boni, uel mali: quod repugnat ueritati; repugnat etiam eidem Ariſtoteli, loco nuper citato, ſcilicet 2. Ethicorum cap. 5. ubi dicit, *Et*

inſuper

inſuper potentes quidem ſumus a natura: boni uero, aut mali non efficimur, quemadmodum antea diximus. antea uero dixerat in eodem libro cap. 1. Cum uirtus ſit duplex, intellectiua, atque moralis, intellectiuam quidem plurimum ex doctrina & generationem habere, & incrementum: moralem autem ex aſſuetudine comparari, unde & nomen accepit: ex quo patet, ſubiungebat, nullam in nobis natura fieri uirtutem moralem. Cuius dicti illam reddebat rationē, quod nihil eorum, quæ ſunt natura, aliter aſſueſcit, ut lapis, cui natura conuenit moueri deorſum, numquam aſſueſcit ferri ſurſum. Quare tandem, ſubiungebat Ariſtoteles, uirtutes morales, neque natura, neque præter naturam in nobis fieri, ſed nos natura idoneos eſſe ad ipſas ſuſcipiendas; ſuſcipere autem ipſas, & perfici per aſſuetudinem. Ex hoc uero incommodo, quod próxime afferebamus, & omnino ex illo conſequente, quod anima noſtra neceſſario afficiatur affectione corporis, ſequitur aliud grauiſſimum incommodum, & naturæ humanæ maxime repugnans, quod ſequitur etiam ex illo antecedente: ſi ipſa cum corpore mixta ſit, & ex eo maxime, quia, ſi mores animi neceſſario ſequantur temperamentum corporis; ſiq; animus afficiatur eiuſdem affectione; ſiq. ſit mixtus cū corpore; ſequeretur, in nobis duo tantum eſſe principia operandi, quot tantum ſunt in brutis, temperatura ſcilicet, & mos, ſiue aſſuetudo: bruta enim uel natura tantum operantur, ut canes leporem ſequuntur; uel aſſuetudine, ut canes illi, qui ferunt res proiectas; uel illi, qui ſaltant, uel alia faciunt, quæ a circulatoribus per aſſuetudinē didicerunt; quæ tamen aſſuetudo non infert uim naturæ ipſorum: bruta ergo nihil præter naturā eorum, aut præter mores agunt; quia anima ipſorum pendet a temperatura corporis: quare non poteſt eſſe principium, niſi illarum operationū, ad quas natura, uel aſſuetudo non repugnans ipſi naturæ mouet ipſa. At homo multa agit præter naturam illam, ſcilicet quæ conformis eſt temperaturæ; ſiue præter temperaturam naturalem: multa etiam agit præter mores, & conſuetudinē: quo fit, ut, cum mores, & actiones eius non ſequantur ſemper temperaturæ.

peraturam corporis, neceſſarium ſit, in eo reperiri tertium principium agendi, nẽpe animam omnino diuerſam ab anima brutorum,& alterius generis,quæ non pendeat a temperatura corporis, neque afficiatur neceſſario affectione eius: ſicq. non ſit mixta cum corpore. Et hæc eſt anima rationalis,per quam multa, & præter naturam, ideſt præter naturalem temperaturam, & præter naturalem propenſionem ab ipſa procedentẽ,& præter mores agunt homines: idq. quotidiana docet experientia: docet etiam obſeruantia præceptorum Chriſtianæ religionis,illorum maxime,quæ ad perfectionem pertinent: docet etiam Ariſtoteles 7. Politicorum, cap. 13. ubi dixit: *Cetera igitur animalia maximè uiuunt ſecundum naturam; parum uero aliquid & ſecundum mores; homo autem & ſecundum rationem, ſolus enim rationem habet:* itaque oportet ſimul concordare hæc: multa enim præter mores, & præter naturam agunt homines propter rationem, ſi perſuadeantur melius eſſe aliter agere. ſi ergo mores animi neceſſario ſequerentur temperaturã corporis,quæ dicitur natura eius, nihil agerent homines præter mores, & præter naturalem temperaturam,ſiue propenſionem eius, ſed multa ſecundũ rationem agunt,& præter naturam, & præter mores: immo multa,quæ naturæ,ſiue naturali temperamento, atque etiã moribus,& conſuetudini eorum aduerſantur, agunt per rationem: neceſſe eſt igitur, ut ratio ſit ſuperior temperamento naturali,neque ab ipſo dependeat,neque ipſius affectione afficiatur: ueluti,quando quis etiam bilioſi temperamenti iniuria laceſſitus per rationem abſtinet ſe a uindicta,& ducit melius eſſe iniuriam pati,quam iniuriã inferre. Quo fit, ut ratio ipſa,ſiue anima rationalis non ſit mixta cum corpore: quia,ſi eſſet mixta, neceſſario ſequeretur naturalem tẽperaturam, & paſſiones ab ea prouenientes, nihilq. præter eam poſſet agere: ſicut neque bruta poſſunt præter naturalem temperaturam, & paſſiones ab ea prouenientes, quidquam agere.

Præterea, ſi anima noſtra rationalis afficeretur neceſſario,& mutaretur affectione,& mutatione corporis, ſequetur,

iur,cælum,quod directe agit in corpus,in illam quoque ſaltem ex accidenti agere,ſicut agit in animas brutorum: quare motus omnes facti a continente in corpore noſtro mouerent intellectum, & appetitum; conſequens eſt alienum a ueritate,& a ſententia Ariſtotelis: a ueritate quidem, quia uidemus homines ſecundum ratione͂ uiuentes ſuperare motus a continente factos in corporibus eorum, & affectiones, quæ a motibus illis prouenire poſſunt: uidemus, eoſdem ſuperare propenſiones,ſiue inclinationes, quæ ex actione corporum cæleſtium oriuntur in nobis, quas ſi ratio non ſuperaret,non eſſet illud uerum,quod tamen ueriſſimum eſt,ſapie͂tem dominari aſtris: immo aſtra dominarentur ſapienti, & neceſſario mouerent ipſum: quod tam falſum eſt, qua͂ quod falſiſſimum. Ex quibus,& multis alijs,quæ breuitatis cauſſa omitto,ſatis conſtat, conſequens illud alienum eſſe a ueritate: alienum uero a ſententia Ariſtotelis oſtendit,præter cetera,locus ille in 8. de naturali auſcultatione tex. 20. ubi hæc uerba ſcripta reliquit Ariſtoteles: *Nihil autem prohibet, magis autem fortaſſis neceſſarium in corpore multos fieri motus a continente: horum autem quoſdam intellectum,uel appetitum mouere.* Vbi aduertit D. Thomas,recte quidem,& ſapienter, Ariſtotele͂ non dixiſſe,omnes motus,qui fiunt a continente,mouere intellectum, aut appetitum; ſed aliquos: quia aliquando intellectus, & uoluntas ſequuntur aliquas ex illis mutationibus, quæ fiunt a corpore cæleſti directe in corporibus noſtris: quibus motibus mouentur per accidens illæ animæ uirtutes,quæ ſunt actus organi corporei: ſicut,cum aliquis per rationem eligit uel ſequi, uel repellere, uel aliquid agere propter paſſione͂,uel in corpore,uel in parte ſe͂ſitiua exorta͂.

Caput II.

SEd, quoniam, dato uno incommodo, multa alia conſequuntur,ad ea,quæ ſuperius commemorata ſunt, accedit grauiſſimum aliud incommodum,ex quo ſolo,&,ſuperiora ſaltem aliqua,& longe grauiora ſequu͂tur abſurda: quia,

ſi anima intellectiua eſſet mixta cum corpore,& ideo afficeretur neceſſario eius affectione,periret omnino,& euerteretur libertas humana: non enim homo eſſet liber,ſed ad omnia neceſſario mouêretur; quare neceſſario eſſet bonus, uel malus. Conſequentia uero patet tum ex rationibus ſuperius ductis a natura materiæ, quæ eſt cauſſa neceſſitatis ſimpliciter dictæ: tū,quia,ſicut ſenſus, & appetitus ſenſitiuus, & omnino omnes formæ materiales,mutato corpore,neceſſario mutantur,& ideo carent libertate: ſic etiam anima rationalis,ſi mutaretur neceſſario ratione corporis, & corporei temperamenti,eadem libertate omnino careret,ſiue illa ſit in uoluntate,ſiue,ut uidetur ſentire Ariſtoteles,ſit in intellectu: ablata autem libertate ab homine, aufertur natura humana,tolluntur præmia benefactorum,& pœnæ malefactorum. Sequuntur & alia abſurda,quæ uniuerſam uitam humanam,& totã ciuilem philoſophiam,& omnino humanitatem ipſam non ſolum perturbant,ſed omnino euertunt: quia,ſi anima intellectiua non eſſet libera,ſed eius actiones penderent a temperamento corporeo,ſic, ut ipſum neceſſario ſequerentur,homo naturæ inſtinctu, ſiue impetu moueretur ad ſuas actiones obeundas,ſicut mouentur bruta,quorum animæ ſunt mixtæ cum corpore: & ideo inſtinctu naturæ,& ſine deliberatione mouentur,teſte etiam Ariſtotele in 2. de natur. Auſcult. tex. 80. Præterea idem homo nõ poſſet contrarias, aut etiam diuerſas actiones obire, ſed haberet determinatas actiones, & determinatum agendi modũ: ſicut hirundo habet certum modum conficiendi nidum,aranea telas, & alia id genus omnia. Quare non eſſet uerum, potentias rationales præſtare poſſe oppoſita,ipſaſq. hac ratione diſtingui ab irrationabilibus. Demum, ſi anima intellectiua non eſſet libera,ſicq. ipſa penderet a corporeo tẽperamento, eiusq. mutatione neceſſario, ut ſupra illatum eſt,mutaretur; ſequeretur alia ratione,præter eam,quæ ſuperius adducta eſt,perire omnem uirtutem moralem: quia, cum ipſa uirtus moralis ſit habitus electiuus in mediocritate poſitus ea, quæ eſt ad nos definita, ratione, ſi ratio non

poſſet affectus, ſiue paſſiones animæ ſenſitiuæ, quas Latini perturbationes uocant, ad mediocritatem redigere, nõ poſſet in nobis fieri habitus ille consiſtens in mediocritate affectuũ: quia affectus ſemper eſſent in nobis tales, quales prouenirent a temperamento naturali, uel admodum intenſi, uel admodum remiſſi, & ideo non poſſent redigi ad mediocritatem. Quare intellectus, & uoluntas non ſolum non imperarent ipſis, ſed neceſſario ipſos conſequerentur: nõ poſſet etiam homo ſuperare omnes affectiones corporeas, & cupiditates naturales, ſed ab illis ſuperaretur, easq. neceſſario ſequeretur. Hoc autem falſum eſſe, quotidiana hominum continentium, & aliorum ex uirtute etiam morali uiuentiũ nobis indicat experientia: uidemus enim, homines, qui fame, & ſiti etiam naturali cruciantur, abſtinere ſponte a cibo, & potu: uidemus etiam hominem febricitantem, ardentiſſima ſiti cruciatum, abſtinere a potu: uidemus alios a corporeis uoluptatibus, ad quas naturalis ipſorum temperatura maxime ipſos incitabat, non ſolum abſtinere, ſed in habitum contrarium naturali inclinationi tranſmutari: uidemus alios ab ira, & ab alijs id genus paſſionibus, ad quas naturale ipſorum temperamentum ipſos pronos reddit, & præcipites quaſi agit, ſe temperare. Cum tamen bruta fameſcentia, uel ſitientia, neque a cibo, neque a potu, neque ab aliqua re ſibi iucunda ſeſe abſtineant, niſi impediantur, aut maiore aliqua ui cohibeantur. Et ideo obiectum uoluntatis eſt bonum honeſtum, in quod uoluntas rationem ſequẽs fertur: licet appetitus ſenſitiuus, cuius obiectum eſt bonum iucundum, retrahere conetur. Bruta uero, quia non habent rationem, ſequuntur phantaſiam, & appetitum ſenſitiuum: ſicut & homines aliqui ſequuntur, quando intellectus eorũ uelatur, ſeu tegitur ſomno, uel morbo, uel paſſione aliqua, ut dicebat Ariſt. 3. de Anima tex. 162. & ideo brutum nullum eſt capax uirtutis moralis; ſed ſolis hominibus ipſa conuenit. Harum diuerſitatũ inter homines & bruta nulla poteſt, iudicio meo, aſſignari cauſſa, præter hanc unam, quod in homine eſt ſuperior quædam uirtus, ſeu forma a materia, & a ma-

& a materiæ affectionibus ſeparata, quę corpori, & omnibus affectionibus corporeis imperat: quare neque cum corpore mixta eſt, ut poſſit ei imperare: ſed, quia in brutis non reperitur, propterea quod eorũ animæ ſunt materiales, ſeu mixtæ cum corpore: iccirco ipſa neceſſario ſequũtur inſtinctus, & impetus naturales: nam ouis uidens lupũ non poteſt nõ timere, & non fugere: ſic & lepus uidens canem. At homo per rationem ſuperantem corpus, & omnes affectiones, & propenſiones corporeas, poteſt adire illum, qui ſibi mala, atque etiam mortem ipſam illaturus ſit; poteſt illum perſequi, & amare: quæ actiones cum ſuperent corpus, & omnes uirtutes corporeas, neceſſe eſt, ut habeant cauſſam a corpore independentem, hæc autem eſt rationalis anima. Ad cuius naturam, a corpore, ut d[illegible] ſeparatam, & ab ipſo minime pendentem demonſtrand[illegible] præter alia, quæ ſuperius allata ſunt, argumenta, atque inferius afferentur, poſſumus ex proxime dictis colligere rationem adeo efficacem, & clarã, ut eius efficaciam, & ueritatem unuſquisq. in ſeipſo non ſolum deprehendere, ſed etiam experiri poſſit. Quam & tu ipſe, Sanctori, Cardinalis optime, luculentiſſimo probis omnibus præbito exemplo, anteactæ uitæ tempore ſemper expertus es, & aſſidue experiris. Ratio uero eſt hæc: Illa uirtus, quæ per ſe, & ſuapte natura, nõ autẽ per cauſſam aliquã externam imperat corpori, & omnibus affectionibus, & propenſionibus corporis, non poteſt eſſe corporea, ſeu mixta cũ corpore: ſed intellectus, & uoluntas per ſe, & ſuapte natura, non per uim aliquam externam imperat corpori, & affectionibus omnibus, & propenſionibus corporeis: immo, teſte Ariſtotele 1. Polit. cap. 3. habet imperium Regium, & ciuile in appetitum ſenſitiuum: ſequitur ergo, intellectum, & uoluntatem non eſſe uirtutes corporeas, ſiue cum corpore mixtas, immo ſeparatas a materia, & a corpore, ſicq. immortales, & perpetuas.

Caput

Caput III.

VErum, quia ex dominatu, & imperio rationis, ſiue animæ intellectiuæ in ſenſum arguebamus, animam rationalem eſſe alterius generis a ſenſu; ſicq. non eſſe formam corpoream, ſiue mixtam cum corpore, qualis eſt ſenſus, & conſequenter eſſe immaterialem, & immortalem: cũ nonnulli philoſophi dicant, ut audio, hunc ipſius dominatum nõ arguere ſeparationem ipſius a corpore, ſicq. immortalitatem, quandoquidem dominatus ille pendet ex ratione huiuſmodi formæ, quæ talis eſt, ut poſſit inuicem comparare obiecta, ueritatem dignoſcere, atque de rebus propoſitis diſcurrere: alij uero, ex eo, quod quotidie experimur, & incontinentiũ hominum ui[illegible]idetur perſuadere, contendunt, ſenſum potius imperare [illegible]oni, quam rationem ſenſui: utriſque reſpondendum eſt. Ad priores quidem, dicentes, dominatum illum non arguere ſeparationem; dicimus, ipſum maxime illã arguere: quia, ſi ſenſus, & appetitus ſenſitiuus aduerſantur rationi, ratio tamen uincit appetitum: hæc uictoria rationis arguit imperium ipſius in ſenſum & corpus, & conſequenter arguit ipſam eſſe ſeparabilem a corpore, & alterius generis a ſenſu: quia, ſi eſſet mixta cum corpore, ſequeretur appetitum ſenſitiuum, quemadmodum bruta ſequuntur ipſum: neque ſolum ſequeretur appetitum ſenſitiuum, immo neceſſario ipſum ſequeretur, ſicut & bruta, nihilq. homines facerent præter naturam, & mores; ſicut bruta, ut antea attigimus, nihil agunt præter naturam, & mores, quia in ipſis non eſt tertium principium agendi: nẽpe ratio, per quã, ut dicebat Ariſtoteles 7. Polit. cap. XIII. homines multa agunt, & præter naturam, & præter mores, ſi perſuadeatur ipſis melius eſſe agere, ſcilicet præter naturã, & præter mores: iratus enim homo abſtinet a uindicta, ad quam & ira, & naturale temperamentum ipſius ipſum incitabat, quia ratio perſuadet ipſi, melius eſſe, abſtinere: ſitiẽs abſtinet a potu, quia ratio perſuadet, potum illum fore perniacioſum. Hæc fieri non poſſent, niſi in homine eſſet tertiũ

princi-

principium agendi: nempe ratio, quæ eſſet alterius generis a ſenſu: adeo, ut non pendeat a temperatura, ſicut pendet ſenſus. Quod uero hoc imperium rationis in ſenſum arguat ſeparationem eius a ſenſu,& a corpore,ex eo poſſumus intelligere,quod Ariſtoteles laudauit Anaxagoram, dicentem, intellectum,quem poſuit cauſſam efficientem, & ſeparantē illa ſimilaria,quæ ab ipſo fingebãtur eſſe principia materialia omnium rerum,laudauit, inquam, ipſum Anaxagoram, quod ponebat ipſum intellectum ſimplicem, purum, & impermixtum. in 3. enim de anima tex. 3. laudauit ipſum, dicentem,intellectum eſſe impermixtum, ut poſſit imperare: ſi enim mixtus eſſet cum illis ſimilaribus, & conſtaret ex illa mixtura,dicebat Anaxagoras,& hoc recte, non poſſet ſeparare illã mixturam. Quare,ſi intellectus noſter eſſet mixtus cum materia corporea,ſicut aliæ partes animæ,non poſſet ſuperare paſſiones corporeas, id quod uidemus ipſum præſtare poſſe. Ariſtoteles tamen in tex. citato ſeparationē illam,quam tribuebat Anaxagoras intellectui ſegreganti illam mixturam, tranſtulit etiam ad cognitionem noſtram intellectiuam, dicens, neceſſe eſſe, intellectum impermixtum eſſe,quemadmodum dicebat Anaxagoras, ut imperet, hoc eſt,ut cognoſcat; quaſi dicat,ſeparationem ergo illam, quã tribuebat Anaxagoras intellectui ſeparanti ſimilaria ipſa, illam eandem nos tribuimus intellectui cognoſcenti,& dicimus ipſum non conſtare ex principijs rerum, ut plerique fere omnes opinabantur; ſed habere naturã diuerſam ab omnibus rebus, quas intelligit. Si ergo imperium intellectus pendet ex ratione huiuſmodi formæ, ut dicunt illi, quæ eſt talis,ut poſſit inuicem comparare obiecta, ueritatem dignoſcere, atque de rebus propoſitis diſcurrere: neceſſe eſt, ut confiteantur, a ratione ſuperari ſenſum; ſicq. non eſſe mixtam cum corpore, ſicut ſenſus eſt mixtus cum corpore.

Ad obiectionem uero, quæ ſumebatur ex diſcordia ſenſus,& rationis,ex frequenti uictoria ſenſus,difficilius eſt reſpondere: ſed,ut nodus,quem indicat philoſophia naturalis,& non ſoluit,melius cognoſcatur, paullo altius exordiemur.

mur. Dicimus igitur; quod, cum interiores animæ ſenſitiuæ facultates, aliæ ſint cognoſcentes, aliæ appetentes, quarum obiectum eſt bonum ipſum iucundum, uel quod uidetur iucundum, hæ ſequuntur ipſas cognoſcentes: nam, ubi phantaſia brutorum cognouit, & iudicauit aliquod bonum, ſtatim appetitus illud appetit; quare appetitus ſenſitiuus ille eſt, qui ſequitur in brutis iudicium phantaſiæ: ſicq. ſequitur, uel fugit affirmationem, uel negationem ipſius phantaſiæ. & ideo Ariſt. 3. de anima tex. 28. dicebat, quod, ubi ſenſus iucundum, aut moleſtum quid diſcernit, quaſi affirmauerit, aut negauerit, tunc fugit, aut perſequitur. Quare, ubi phantaſia iudicauerit aliquid eſſe iucundum, ſtatim appetitus illud appetit, & perſequitur: idq. in brutis neceſſario: ſecus tamen in hominibus. Nam brutum ſitiens currit ad potum, ouis uidens lupum ſtatim fugit, quia in huiuſmodi animalibus non eſt aliquis appetitus ſuperior, qui repugnet: ſecus eſt in homine. Cuius diuerſitatis illa eſt cauſſa, quod in homine eſt ſuperior potentia, ſcilicet ratio, & uoluntas inſequens rationem, quæ naturaliter imperant facultatibus inferioribus: etenim, ut 1. Polit. cap. 3. animus ſecundum naturam imperat corpori, corpus uero paret: & ideo ſubiungebat, contemplandum eſſe in animali imperium dominicum, & ciuile. nam anima in corpus dominicum habet imperium: mens uero in appetitum, ſcilicet ſenſitiuum, ciuile, & regiũ. In quibus clarum eſſe ſubiungebat Ariſtoteles, illud naturale, & utile eſſe, imperari ab anima corpori: & a parte animæ rationalis imperari ſemper ei parti, quæ ſubiacet perturbationi, ſcilicet appetitui ſenſitiuo; æqualitatem uero, & uiciſſitudinem omnibus nocere. Item 3. de anima tex. 57. dicebat: *Vincit autem aliquando, & mouet uoluntatem*, ſcilicet appetitus; *aliquando autem illa hunc*, ſcilicet appetitum, *ſicut ſphæra, appetitus appetitum cum incontinentia facta eſt: natura autem ſemper ſuperior principalior eſt, & mouet*: &, quia ſuperior eſt uoluntas, quæ eſt appetitus boni cum ratione, iccirco ipſa naturaliter mouet appetitum ſenſitiuum. ſed, quoniam, ut dicebat Ariſtoteles in eodem 3. lib. tex. 53. *appetitus fiunt contrarij ad inuicem*:

eem: hoc autem accidit, cum ratio, & cōcupiſcentia contrariæ ſunt: quod fit in habentibus ſenſum temporis. intellectus enim propter futurum retrahere iubet, concupiſcentia autem propter præſens. iubet enim intellectus febricitantem abſtinere a potu frigidæ, quia, licet ille potus tunc temporis ſit futurus iucundus, ratio tamen oſtendit, ipſum in futurum fore pernicioſum: concupiſcentia uero, quæ præſens tantum tempus intuetur, & moleſtiam, quæ ex ſiti percipitur, tentat abijcere, facit, ut illud, quod in præſentia eſt iucundum, ſimpliciter uideatur iucundum: & ideo fit illa pugna appetitus ſenſitiui cum intellectiuo: in brutis uero nulla eſt pugna, quia non eſt uirtus aliqua ſuperior appetitu ſenſitiuo: & iccirco bruta neceſſario ſequūtur ipſum. Cum ergo res ita ſe habeat, merito queri, & dubitari poteſt, cur in ijs pugnis, quas in nobis experimur, ſi non ſemper, ſaltem plerumque uolūtas uincat, & ſuperet appetitum: quia, ſi uoluntas ſecundum naturam imperat; & ſi mens, cuius iudicium ſequitur uoluntas, habet imperium regium, & ciuile in appetitum, ut dicebat Ariſtoteles 1. Polit. cap. 3. ſi natura ſuperior principalior eſt, & mouet, ut in 3. de Anima dictum eſt: cur non ſemper, uel ſaltem ut plurimum, uoluntas imperat, & mouet? cum ea, quæ ſecūdum naturam ſunt, uel ſemper, uel ſaltem ut plurimum, ita fiant, quemadmodum nata ſunt fieri. Etenim, ut in 8. de Natur. Auſcult. tex. 15. dicebat Ariſtoteles contra Anaxagoram, *aut ſimpliciter ſe habere oportet id, quod natura eſt, & non aliquando quidem, ſic aliquando uero aliter, (ut ignis natura ſurſum fertur, & non aliquando quidem, aliquando uero non) aut rationem habere, quod non ſimpliciter.* Vel ergo ratio ſemper deberet imperare appetitui, uel reddenda eſſet ratio, cur non ſemper imperet. cur ergo ſeruus dominatur, & dominus ſeruit? hoc enim uidetur eſſe, & omnino eſt contrarium inſtituto naturæ: cū natura, ut antea attigimus, & ut etiam dicebat Ariſtoteles 1. Rhetor. cap. XI. ſit ipſius ſemper: ipſius uero ſæpe conſuetudo.

Hanc quæſtionem uidit Ariſtoteles, & ideo loco citato ex 1. Polit. cap. 3. dicebat, oportere conſiderare id, quod eſt a natura in ijs, quę magis ſe habent ſecundum naturam, non

in corruptis, & deprauatis. ſed quæram ego ex Ariſtotele: Cur ea, quæ ſecundum naturam ſe habent, (quod ad rem propoſitam de intellectu, & ſenſu pertinet) longe pauciora ſint, quam ea, quæ corrupta ſunt, & deprauata, atque omnino a naturali ſtatu remota. hoc enim eſt, quod in dubium re uocatur. Cum ex mille hominibus unum uix inueniamus, qui ſecundum naturam, quam Ariſtoteles ipſi mẽti tribuit, diſpoſitus ſit: reliquos uero homines, innumeros fere, & infinitos, deprauatos, & corruptos: hæc enim corruptela eſt morbus quidam ipſius animi: at morbi ſunt monſtra quædam: cur ergo in hominibus hi morbi ſunt frequentiſſimi, ſanitas uero animorum tam rara eſt? Res profecto deberet aliter ſe habere: cum ea, quæ ſecundum naturam ſunt, ſemper ita debeant fieri: uel ſaltem reddenda ſit ratio, cur non ſemper, ſed aliquando aliter fiant. Hunc nodum nobis indicat, ut ante dicebam, non tamen explicat ipſa naturalis philoſophia: hunc morbũ indicat, ſed non indicat cauſſam huius morbi: quare neque indicat medicum, qui hunc morbũ profligare poſſit, & afferre remedia tam pernicioſo, & letifero morbo accommodata. Quare opus fuit alia doctrina, & alia philoſophia nobis diuinitus tradita, quę cauſſam huius morbi, quæ medicum, & remedium indicarit. Cum enim uideamus naturam hominis eſſe deprauatam, & reperiri hanc labem, & corruptelam in natura hominis, Theologia Chriſtiana nos docet, eam per peccatum primorum parentũ fuiſſe deprauatã, & ab ipſis in poſteros hanc labem fuiſſe tranſmiſſam; atque inde fieri, ut ſentiamus aliam legem in nobis repugnantem legi mentis noſtræ; ſic, ut non quod uolumus, ſcilicet per rationem illud bonum agamus; ſed quod odimus malum, illud per concupiſcentiam perpetremus.

Hanc quæſtionem uiſum eſt nobis attingere, ut immenſam Dei benignitatẽ ſẽper meditemur, eiq. immortales gratias agamus, quod ea, ad quæ tanto ingenio præditus Ariſtoteles, quantum ſuſpiciunt omnes, totq. alij ante, & poſt Ariſtotelem ingenio & doctrina præſtantes philoſophi pertingere non potuerunt, ipſe pro immenſa illa, & numquam ſa-

tis laudanda ſua benignitate nobis impertiuerit. Sed,ut reuertamur unde digreſſi ſumus, cum ratio ſiue appetitus rationalis ſit aptus imperare appetitui ſenſitiuo,& aliquando etiam ſuperet ipſum appetitum ſenſitiuum,& ſecundum naturam integram ſemper debeat ſuperare, hinc intelligimus uerum eſſe, quod dicebam, etiã naturaliter cognoſci poſſe, intellectum noſtrum non eſſe mixtum cum corpore: quia, quod ſecundum naturam imperat corpori, & omnibus affectionibus corporeis,non poteſt eſſe mixtum cum corpore. Quod ſi ſenſus aliquando imperat rationi, hoc non fit per ſe,& ex natura ſenſus, uel rationis: ſed ex labe illa in corpora,& animos hominum per peccatum originis trãſmiſſa, per quam humanum genus ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuit; ut optime docuit ſacroſancta Synodus Tridentina in decreto de peccato originali ſeſſ. 5.

Ad ea,quæ ſuperius commemorata ſunt,accedit & aliud grauiſſimum incommodum: quia, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore,ſicq. afficeretur affectione corporis,nõ cognoſceret uniuerſalia, neque reciperet aliquam ſpeciẽ niſi corporeo modo. quare neque uniuerſalia, neque quiditates rerum,neque omnino intelligeret omnia. ſed,quia hoc incommodum in explicatione ſecũdæ rationis principalis magis, & clarius explicabitur,icirco ad eam accedamus.

Caput IIII.

SEcunda igitur ratio ſumpta a defectu, & priuatione organi, qua non ſolum in 3. de Anima tex. ut antea diximus 6.ſed etiam in 2.de generat. animaliũ cap.3.ea uſus eſt Ariſtoteles,illa eſt:Si intellectus,cum ſit forma animata,eſſet mixtus cum corpore,haberet inſtrumentum corporeum, hoc eſt certam corporis partem,ſitu,figura,& temperatura ab alijs diuerſam, qua intelligeret, & in qua fieret intellectio. conſequens eſt falſum; quia nullum habet inſtrumentum,ſicut intuenti ſingulas partes corporis perſpicuum eſſe poteſt. ergo & antecedens ipſum quoque falſum eſt. Con-

ſequentiam probat Ariſtoteles per ſimilitudinem ſumptam ab anima ſenſitiua, quæ maiorem habet ſimilitudinem cum intellectu, quam forma ulla ſublunaris. ſicut enim ſenſitiua, quæ eſt forma materialis, ſeu mixta cum corpore, habet inſtrumenta, quibus exercet ſuas operationes, quorum inſtrumẽtorum operatio communicat cum operatione ſenſus; ſic & intellectus, ſi eſſet mixtus cum corpore: propterea quod, ut ante dicebamus, eſt forma, quæ animat, quam definiuit Ariſtoteles eſſe actum primum corporis naturalis organici; haberet organum corporeum, per quod, & in quo fieret intellectio. non enim uoluit Ariſtoteles, quod putant aliqui, arguere abſolute, & ſine ulla exceptione, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, ipſum habere organũ corporeum, per quod, & in quo fieret intellectio: quia forma ignis, & formæ omnes inanimatæ ſunt mixtæ cum corpore, & tamen nõ habent organum corporeum, hoc eſt certam ſui corporis partẽ ſitu, figura, & temperatura ab alijs partibus differentem, per quã exerceant ſuas operationes; ſed, quia omnis anima animalis mortalis eſt actus primus corporis organici: iccirco ualidiſſime argumentatur Ariſtoteles intellectum: quia eſt talis actus, ſcilicet corporis organici, ſi ſit mixtus cũ corpore, habiturum eſſe organum. ſed, quando exemplo tantum animæ ſenſitiuæ uſus eſt Ariſtoteles in 3. de Anima ad probandam ſuam conſequentiam: iccirco, ut uis eius magis perſpicua fiat, addamus huic probationi illam, qua uſus eſt idem Ariſtoteles in 2. de generatione animalium cap. 3. ubi eadẽ ratione ducta a defectu inſtrumenti utebatur, ut oſtenderet animam intellectiuam antecedere corpori, ſiue extrinſecus aduenire, & conſequenter ſolam ipſam inter animas animalium corruptibilium diuinam eſſe, & immortalem. arguebat enim Ariſtoteles in hunc modũ: Omnis uirtus animæ corporeæ habet actiones corporeas: ſed actiones corporeæ nõ poſſunt fieri ſine inſtrumẽto corporeo: ergo nulla uirtus animæ corporea poteſt exercere ſuas operationes abſque inſtrumẽto corporeo. Maiorẽ propoſitionẽ, ſcilicet, quod nulla actio corporea poſſit fieri ſine inſtrumento corporeo, probabat

exemplo ambulationis. nã,cũ ambulatio ſit actio corporea, nõ poteſt fieri ſine pedibus. Vlterius: nulla uirtus corporea, ſeu mixta cũ corpore poteſt exercere ſuas operationes ſine inſtrumento corporeo:ſed operatio intellectus non fit organo corporeo: ergo ipſa non eſt uirtus corporea: quare non naſcitur cum corpore; cuius rei illam reddebat rationem, quod nihil cum eius actione communicat actio corporalis, quæ quidem eſt minor propoſitio ſecundi ſyllogiſmi ſuperius poſiti, cuius propoſitionis ſenſus eſt, actionem intellectus non perfici organo corporeo, immo ab ipſo ſeparatam eſſe. Quare, ſi intellectus habet operationem ſeparatam a corpore; ſequitur,ut habeat etiam eſſentiam ab eodem ſeparatam; cum operatio ſequatur naturam facultatis operantis: ſi enim haberet organum corporeum, actio corporalis communicaret cum actione eius; ſicut actio oculi, quæ eſt corporalis,communicat cum actione,ſiue operatione uirtutis uiſiuæ, cum ad uiſionem ſimul concurrant uis uiſiua, & oculus,& in utroque ſimul iuncto fiat uiſio. Cum igitur uis huius conſequẽtiæ conſtet,tum ex his,quæ in 3. de Anima, tum ex his,quæ in 2. de generat. animalium dicuntur, loco citato: probanda eſt modo falſitas conſequentis,ſiue minor propoſitio,ſi rationem categorice colligamus, quemadmodum 2. de generat. animalium uidetur Ariſtoteles eam colligere. Probanda eſt,inquam,falſitas cõſequentis,ſiue minor propoſitio: nempe,intellectum non habere organũ corporeum.quam licet explicite non demonſtret Ariſtoteles in 3.de Anima,tamen ex his, quæ partim implicite, partim aliud ueluti agens dixit, poſſumus efficaciſſime demonſtrare. Ac primum ex his,quæ ſtatim ſubiungit ibi,ſi anima intellectiua haberet inſtrumentum corporeum, ipſa ſola non eſſet locus ſpecierum intelligibilium, ſed coniunctum, ſeu compoſitum ex ipſa,& organo: ſicuti ſola uis uiſiua non eſt locus ſpecierum uiſibilium,ſed coniunctum,ſiue compoſitum ex ipſa,& oculo: etenim in ipſa ſola non recipiuntur ſpecies uiſibiles,ſed in oculo informato ipſa uirtute uiſiua: nam,cũ ipſa ſit iuncta cum oculo,fieri non poteſt, ut ipſa ita recipiat

ſpecies,

ſpecies, quin ſimul cum ipſa recipiat oculus: ſed anima intellectiua ſola eſt locus ſpecierum intelligibilium. & ideo, cum laudaſſet Ariſtoteles ſententiam Platonis, dicentis, animam eſſe locum ſpecierum, corrigebat eam, dicens, totam animam non eſſe locum ſpecierum, ſed intellectiuam ſolam: quia ipſa ſola ſine corpore recipit ſpecies. Quod uero ſola anima intellectiua recipiat ſpecies intelligibiles, ſicq. ipſa ſola ſit locus ipſarum, facile probatur: quia, ſi una cum ipſa anima corpus ipſum, ſiue aliqua pars corporis reciperet ſpecies, ſequeretur, ipſam non intelligere, niſi corporeo modo: quare non intelligeret uniuerſalia, ſed tantum ſingularia. Conſequentia illa, quod non niſi corporeo modo intelligeret, perſpicua eſt: quia, quod recipitur in alio, ſecundum naturam, & capacitatem recipientis recipitur: quare, ſi organum eſt corporeum, non poteſt recipere aliquid niſi corporeo modo: & ideo non poſſet intelligere, neque uniuerſalia, neque quiditates rerum, quæ ambo ſeparata ſunt a condicionibus materialibus, & indiuiduis: ſed intellectus intelligit omnia, uniuerſalia ſcilicet, & quiditates rerum: ergo non utitur organo corporeo. Eandem conſequentiam, uidelicet, quod intellectus non intelligeret uniuerſalia, ſi haberet organum corporeum, poſſumus etiam probare in hunc modum: Falcultas illa animæ cognoſcentis, quæ utitur organo, non poteſt recipere niſi ſpeciem ſingularem: quare nō poteſt cognoſcere uniuerſalia. Aſſumptum probatur, quia, cum illa ſpecies recipiatur in organo, neceſſe eſt, ut in partibus eius recipiatur, & extendatur extenſione eius: quare, cum ſit diuiſibilis, & materialis, non poteſt eſſe niſi ſingularis. Præterea argumentor principaliter: ſi intellectus haberet organum, non eſſet in potētia ad ſpecies uniuerſales, neque poteſtate eſſet ipſa intelligibilia: quia potentiæ organicæ non recipiunt aliquid niſi per organum, & in organo: quare non poſſunt recipere niſi ſingularia.

Item: ſi intellectus haberet organum, nō eſſet uera ſimilitudo illa, quam accepit Ariſtoteles inter intellectū, & ſenſum: non enim intellectus ita ſe haberet ad intelligibilia, ſicuti

cuti ſenſus ad ſenſibilia. Conſequentia probatur: quia ſenſus mouetur a ſenſibilibus, & recipit ſpecies eorum: ſed intellectus non reciperet ipſa intelligibilia, nempe uniuerſalia, quod tamen repugnat ueritati, quam in nobis experimur: experimur enim, nos intelligere uniuerſalia: quare neceſſe eſt intellectum recipere ſpecies uniuerſales, quas non poſſet recipere, ſi haberet organum. Neque fieri poteſt, ut quis dicat ipſum habere ſpecies illas inſitas, & innatas: tum quia Ariſtoteles in principio 3. lib. ex diuiſione Auerrois hanc opinionem refutauit: tum etiam, quia ſpecies illæ uniuerſales, & conſequenter immateriales, non poſſunt reperiri in organo materiali, & corporeo. Quæ omnia inferuntur ex ijs, quæ ante textũ 6. 3. de Anima ex diuiſione Auerrois, ut diximus, dicta ſunt ab Ariſtotele: nempe ex eo, quod intellectus intelligit omnia intelligibilia, quod eſt ſuſceptiuus ſpecierum, & quod poteſtate, eſt omnia intelligibilia. Quibus ſi addamus aliam propoſitionem apertiſſime ueram, quod ſcilicet organum corporeum non recipit niſi ſpecies ſingulares, cum non recipiat, niſi corporeo modo, clariſſime intelligitur uis, & neceſſitas rationum, quibus uſus eſt Ariſt. in tex. 6. & nos ſuperius explicauimus. Et ideo Ariſtoteles in principio eiuſdem tex. 6. utebatur particula illa illatiua, dicens: Quare neque conſentaneum eſt ipſum, ſcilicet intellectum; quia ſcilicet intelligit omnia: quia eſt ſuſceptiuus ſpeciei intelligibilis, & quia poteſtate eſt omnia intelligibilia, quæ ſeparata ſunt a materia, & a condicionibus materialibus, atque indiuiduis, non eſt, inquam, conſentaneum rationi ipſum eſſe mixtum cum corpore.

Ex quibus omnibus poſſumus colligere hanc rationẽ ad demonſtrandam concluſionem principalem, Ariſtoteli propoſitã, uidelicet: illa forma eſt ſeparata a materia, cuius operatio ipſa quoque eſt ſeparata a materia, & excedit omnino limites, & condiciones materiæ: hæc enim propoſitio ex eo uerißima eſſe intelligitur, quod operatio arguit naturam facultatis operãtis: ſed intellectio eſt ſeparata a materia, quia eſt rerum uniuerſalium, & quiditatum, quæ ſunt ſeparatæ a

condi-

condicionibus materiæ; ſequitur ergo, intellectum eſſe ſeparatum a materia. Poſtremo alia ratione, & illa quidem efficaciſſima, demõſtratur, intellectum non habere organum: quæ ratio ſumitur ex uerbis Ariſtotelis in tex. 7. 3. lib. de Anima, ex diuiſione quoque Auerrois ſcriptis, ubi reſpondens tacite illi, quam in expoſitione illius loci diximus, quæſtioni, præter eas, quæ ex ſuperioribus inferebantur, addidit aliam rationem in hanc ſententiam: uidelicet: ſi intellectus haberet organum corporeum, læderetur ab excellenti obiecto, & poſt apprehenſionem excellentis obiecti, non poſſet obiecta minora, & humiliora intelligere: ſed tantum abeſt, ut intellectus lædatur ab excellente obiecto, ut potius perficiatur; tantumq; abeſt, ut poſt apprehenſionem excellentis obiecti minora non intelligat, ut illa melius, & facilius apprehendat; quia, ſi quis, ubi ſubſtantias ſeparatas, quæ ſunt excellentiſſima obiecta intellectus, contemplatus fuerit, ad res mathematicas, & ad res omnino cognitu faciliores ſe conuertat, longe facilius, quam prius, ipſas intelliget. Conſequentia uero probatur ex his, quæ dicuntur ab Ariſtotele 2. de Anima tex. 123. & in 3. eiuſdem operis lib. tex. 143. Ex quibus locis hæc ratio colligitur: ſi intellectus haberet organum, eſſet ratio, ſiue proportio, & potentia illius organi, hoc eſt penderet a ratione, ſeu proportione, & temperatura illius organi, ſicut ſenſus uiſus eſt potentia, quæ pendet a temperatura, & harmonia oculi, & in illa conſiſtit. ſed excellentia obiecta corrumpunt illam proportionem, illamq; harmoniam: quia inferunt maiorem ictum, quam uires organi ferre poſſint. quare ex illo uehementi motu ſoluitur ratio, & temperatura organi: ſicut fidium concentus ex uehementi pulſatione dicebat Ariſtoteles diſſoluitur. Huius diuerſitatis inter ſenſum, & intellectum illam rationem reddebat Ariſtoteles in eodem tex. 7. tertij libri paullo ante a nobis citato, quod ſenſitiuum non eſt ſine corpore, intellectus uero a corpore ſeparabilis eſt: ſicq. ubi ab effectu ad cauſſam proceſſiſſet Ariſtoteles, & ex defectu organi probaſſet ſeparationem intellectus: a cauſſa ſtatim reuertitur ad

2. lib. de Anim. tex. 143. ſecundum parti. Auerr.

effectũ, & ex ſeparatione, ſiue ſeparabilitate intellectus probat ipſum non lædi ab excellenti obiecto.

Quod etiam intellectus non habeat organum, duplici ratione contendit probare Ioannes Grammaticus, quarum altera colligi poteſt ex ſenſu, ac ui uerborum Ariſtotelis, ſcilicet, ſi haberet organum, non intelligeret illud: ſed omnia intelligit: ergo non habet organum. Conſequentiam uero non probat ipſe, ſed probemus nos: quia, ſi haberet organũ corporeum, quod neceſſario eſſet pars mixti perfecti, & ideo conſtaret ex quattuor primis qualitatibus, non cognoſceret qualitates illius organi omnes; quia non cognoſceret ſimiles illis: ſicut neque tactus percipit qualitates ſibi inſitas, neque alias in gradu ſimiles illis. Altera uero ratio eiuſdẽ Ioannis, illa eſt, intellectum non habere organum: quia organum eſſet ei impedimento. quæ ratio ſi probanda eſſet, & admittenda, in hoc tantum ſenſu mihi uideretur probanda, & admittenda, quod organum corporeum, licet non impediat, immo adiuuet operationem potentiarum organicarum, impediret tamen operationem intellectus, quæ eſt intellectio uniuerſalium: quia in organo corporeo, ut ante dictum eſt, non poſſunt recipi, niſi ſpecies ſingulares. Themiſtius quoq. & B. Thomas probant, intellectũ non habere organũ: quia, ſi haberet, afficeretur qualitatibus organi: Conſequens eſt falſum, quia non poſſet qualitates ſimiles percipere, non poſſet etiam percipere alia genera qualitatũ; quia qualitates organi eſſent ei impedimento: ſicq. non intelligeret omnia. Addamus nos etiã, quod ſi afficeretur qualitatibus organi, ſequerentur illa incommoda, quæ, dum primam Ariſtotelis rationem explicaremus, fuerunt in mediũ allata.

Ioannes Grammat. 3. de Ani. comm. 36.

Themiſ. 3. de Ani. ca. 18.

Hactenus igitur explicauimus duas rationes, quibus utebatur Ariſtoteles in tex. 6. 3. de Anima ex diuiſione Auerrois ad demonſtrandam immortalitatem animæ noſtræ: ex quibus iudicio meo poteſt unuſquiſq. in philoſophia naturali uel mediocriter uerſatus facile intelligere, an ſint audiendi illi, qui dicunt ipſam ratione naturali non poſſe demonſtrari. Nunc uero uidendum eſt, quid ad hæc reſpon-

deant aduerſarij mortalitatis fautores. ſed, quoniam non uidentur uidiſſe niſi illam rationem, quæ ſumitur a defectu organi; ad alias, non uideo, quid reſpondeant. Ad eam uero dicunt, Alexandrum Aphrodiſeum reſpondentem conceſſiſſe intellectum non habere organum determinatum; uti tamen toto corpore tamquam organo. Sed, præter alia, quibus ſuperius hanc ſententiam confutauimus, quod ſcilicet intellectus ſolus non eſſet locus ſpecierum, quod ipſe non eſſet ſeparabilis a corpore, contra quam dixit Ariſtoteles, quod læderetur ab excellenti obiecto, ſequeretur aliud incommodum, quod organa ſenſuum eſſent nobiliora organo intellectus: quia nobilius eſt organum determinatum, & perfectius temperatum, quam indeterminatum; in quo ſunt oſſa, ligamenta, & alia id generis ignobilia: præter, inquam, alia quibus hæc reſponſio urgetur incommoda, & illa quidem ineuitabilia; non poterit etiam euadere illud, quin corporeo modo intelligat: quare non intelliget uniuerſalia.

Quod ſi dicas; intellectus eſt in corpore: quare, cum intelligat in corpore, ſequitur ipſum uti corpore tamquam organo, negabo hanc poſteriorem conſequentiam: intellectus ergo in intelligendo non utitur toto corpore, neque etiam certa corporis parte, ſed utitur illa uirtute, quæ utitur corpore tamquam organo: uirtus autē illa eſt phantaſia; phantaſmata autem, quibus utitur intellectus, ut in ipſis ſpecies intelligat, quemadmodum dicebat Ariſt. 3. de Anima tex. 32. phantaſmata, inquam, illa recipiuntur in corpore informato, tamen ipſa phantaſia poſtea illuſtrata ab intellectu agente producunt in intellectu poſſibili ſpeciem intelligibilem, quæ in eſſe, & in cōſeruari, ut dicunt, pendet a phantaſmate: neque eſt ita in ſenſu, ſicut in intellectu; quia in ſenſu eſt annexa condicionibus materialibus, & indiuiduis: in intellectu uero eſt ſeparata ab illis, & ideo intellectus agens dicitur abſtrahere: quia facit, ut hoc ſine illo intelligat, facit, inquam, ut ſpecies illa intelligibilis, quæ eſt in phantaſmate, ſine phantaſmate, hoc eſt ſine condicionibus materialibus, & indiuiduis recipiatur in intellectu poſſibili: quare

hoc intereſt inter ſpeciem ſenſibilẽ, & intelligibilem, quod ſpecies intelligibilis, licet in ſenſu ſit induta condicionibus materialibus, & indiuiduis, in intellectu tamen non recipitur, niſi ut ſeparata ab illis: ſed ſpecies ſenſibilis ſicut recipitur in organo, ita recipitur in ſenſu, immò ſimul, & eodẽ modo in utroque recipitur. Petrus uero Pomponatius aliter reſpondet, negando ſcilicet hanc conſequentiam. Intellectus caret organo, ergo eſt immaterialis: item illam: intellectus cognoſcit uniuerſalia, ergo eſt immaterialis: quando quidem, inquit ipſe, ex communi omnium conſenſu cogitatiua, ſic enim ipſe imaginatiuam appellat, ipſa, inquam, cognoſcit omnia materialia: ſyllogizat particulariter, quia eſt in confinio, & aliquid de intellectu participat. Quid ergo prohibet, ſubiungit ipſe, intellectum humanum cogitatiua longe ſuperiorem ratione immediationis ad intelligentias, paullo plus eleuari, quam cogitatiua: ita, ut cognoſcat etiã uniuerſalia, & ſyllogizet, non excedendo tamen limites materiæ: quia ſemper intelligit cum phantaſmate, cum continuo etiam, & tempore intelligit, & ideo non dicitur uere intelligens: quia cum diſcurſu intelligit, & temporaliter: ſi enim ſine his cõdicionibus intelligeret, periret natura eius, neque amplius eſſet rationalis: immo dicit ſe uelle aliud addere, (referam eius uerba:) *licet ipſe non aſſeram, uidetur tamen poſſe probabiliter dici, & forte apud illuſtres Peripateticos, uerũ eſt, quod hæc duo ſimul ſtant, ſcilicet intellectum eſſe extenſum ſecundum potentiam, per quam uult, & intelligit, & ipſum uniuerſaliter cognoſcere. neque hoc*, addit ipſe, *contradicit Ariſtoteli*. Hæc ſunt eius uerba. ex quibus conſtat ipſum exiſtimare, ut credat falſam eſſe illam conſequentiam, intellectus non eſt organicus, ergo omnino immaterialis, ſed putat tantum ſequi, quod uel ſimpliciter, uel ex parte, ſiue ſecundum quid ſit immaterialis: ut enim abſolute ualeat hæc conſequentia, neceſſe eſt, ſubdit ipſe, intellectum nullas habere uires organicas, neque in ſua prima operatione pendere ab organo. Cum tamen utrumque, dicit ipſe, ſit falſum: nam anima intellectiua plures habet potentias organicas, & in ipſa intellectio-

ne pendet a phantaſmate.

Sed in ijs multa peccat Pomponatius,&,ut a primis incipiamus, cum negat illam conſequentiam, intellectus caret organo, ergo eſt immaterialis;& cum poſtea dicit, quod licet intellectus ſit materialis, rationabiliter tamen ponitur habere potentias non organicas, apertiſſime Ariſtoteli aduerſatur: quia argumentatur Ariſtoteles,ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, haberet organum ſicut ſenſitiuum: quare,ſi reducenda ſit illa conſequentia ad formam ſyllogiſticam,quemadmodum neceſſario reducenda eſt, cum nulla conſequentia in doctrina Ariſtotelis ſit neceſſaria, quæ nõ ſit ſyllogiſtica: neceſſe eſt,Ariſtotelem ſic argumentari: omnis potentia animæ mixta cum corpore habet organum corporeum: ſed intellectus non habet organum corporeum: ergo non eſt mixtus cum corpore: quare non eſt materialis. ſi ergo intellectus ſit mixtus cum corpore,neceſſarium erit ipſum habere organum corporeum. Id quod etiam ex alio intelligitur; quia,ſi ſit eductus e potentia materiæ, erit actus alicuius corporis, & ideo erit inſeparabilis ab illo corpore: quia operatio eius perficietur certo illo tempore, & certa illa parte corporis: quare pars illa erit organum ipſius,& ideo,ſi ſit materialis,habebit organum: quod ſi non habeat organum, ſequitur ipſum eſſe immaterialem.

Præterea,tametſi intellectus paullo plus eleuetur, quam imaginatiua,& altius ſeſe exerat, ſi tamen ille eſſet materialis, materiali modo intelligeret: quia nihil operatur ultra gradum,& condicionem ſuæ naturæ debitam, & conuenientem; &,ut ſuperius in hanc eandem ſententiam dicebamus, nihil poteſt habere aliquem naturalem operandi modum, qui modus excedat condicionem ſuæ naturæ, aut illi repugnet; & ideo imaginatiua quantumcumque perfecta nõ cognoſcit uniuerſale: quia,cum ipſa ſit materialis, & corporea,non niſi materiali,&corporeo modo poteſt cognoſcere.

Cum uero dicit intellectum in ſua operatione non excedere limites materiæ, hoc omnino falſum eſt: quia,cum intelligat uniuerſalia,& quiditates, quæ ſunt ſeparatæ a mate-

ria,& a condicionibus materiæ, excedit omnino limites ma teriæ. Cũ uero dicit ipſum non excedere illos limites, quia ſemper pendet a phantaſmate: reſpondemus ipſum non intelligere phãtaſmata; ſed, ut dicebat Ariſt. 3. de Anima, ſpeciem intelligibilem intelligit in ipſo phantaſmate, quare intelligit hoc ſine illo; &, quia in intellectione abſtrahitur natura uniuerſalis a condicionibus materiæ, idcirco ſequitur, intellectum eſſe abſtractum. Quod ſi intellectus perciperet phantaſma, ut tale eſt, ſicut phantaſia, quam Latini imaginatiuam appellant, ipſum percipit; ſic quidem ſequeretur, intellectum non excedere limites materiæ. Cum uero dicit, illa duo ſimul ſtare, ſcilicet intellectum eſſe extenſum, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum potẽtiam, & ipſum uniuerſaliter cognoſcere: ego contra dico, illa duo ſimul pugnare: quia, cum receptum recipiatur a recipiente ſecũdum naturam recipientis, ſi intellectus ſit extenſus habebit organum corporeum, ſicq. ſpecies recipitur in corpore: & ideo corporeo modo recipietur, ſcilicet cum condicionibus materialibus, & indiuiduis. Quare, ſi intellectus ſit extenſus, non poterit intelligere uniuerſalia, ſed tantũm ſingularia, ſicut ſenſus, cũ ſit extenſus, non poteſt cognoſcere niſi ſingularia. Ex his igitur cõſtat ipſum Pomponatium in magno errore uerſari, cum dicit illam conſequentiam non ualere: intellectus caret organo, ergo eſt immaterialis; quia illa conſequentia eſt Ariſtotelis, dicentis, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, haberet organum: conſtat etiam ipſum ſuo ſe gladio iugulare, cũ dicit, oportere intellectũ, ut ualeat hæc conſequentia, nullas habere potentias organicas, nam, cum Ariſt. poſuerit, intellectũ nullas habere potẽtias organicas; omnino etiã ex conceſſione ipſius Pomponatij ualebit hæc cõſequẽtia, & omnino erit immaterialis. Quod ſi quis obijciat nobis uirtutem motricem, cuius inſtrumenta dicimus eſſe muſculos, qui ſunt inſtrumenta motus ſpõtanei, reſpondebimus, duplicem eſſe uim motricem, alteram quidem ſenſitiuam, quæ eſt organica, & cuius organa ſunt muſculi, alteram uero intellectiuam imperantem ipſi ſenſitiuæ, quæ non

eſt or-

eſt organica, ſed mouet mediante ſenſitiua.

Cum uero dicit, animam totam eſſe organicam, & potentiam eius aliquam non eſſe organicam; quæro, quid per potentias intelligat? ſi enim qualitates, uel relationes, cum nullum accidens poſſit eſſe præſtantius ſua ſubſtãtia: ſi anima, quæ eſt ſubſtantia, & eſt ſubiectum potentiarum, ſit organica: qui fieri poteſt, ut potentia eius aliqua ſit inorganica? ſi uero potentiam recte, & ex ſententia Ariſtotelis accipiat, ut ſcilicet eſt idem re cum eo, cuius eſt potentia; ſi anima ſit organica, & ipſa quoque potẽtia erit organica. Idq. maxime ualet: quia, ſi anima ſit extenſa, & diuiſibilis, quo modo poteſt habere aliquas potentias inextenſas?

Caput V.

HVcuſque expoſuimus uerba Ariſtotelis, & rationes eiuſdem pro immortalitate animæ noſtræ: narrauimus etiam reſponſiones eorum, qui aliam opinionem ipſi tribuerunt. Quare non eſt ambigendum, quin ipſe Ariſtoteles de immortalitatẽ optime ſenſerit, ſicut ipſum ſentire grauiſſimi, & præſtãtiſſimi Peripatetici dixerũt, Theophraſtus ſcilicet, Eudemus, Themiſtius, Ammonius, Ioannes Grammaticus, Simplicius, Auerroes, B. Thomas, & ceteri fere omnes, uno excepto Alexandro Aphrodiſæo, & paucis, qui in eius ſententiam præcipites abierunt. Quare non temere in philoſophia audiẽdi ſunt quidam homines, qui, dum mortalitatem Ariſtoteli adſcribunt, grauiſſimas uidentur cum immortalitate animæ inimicitias gerere. Sed quoniam, præter eas, quibus explicite uſus eſt Ariſtoteles, rationes ad demonſtrãdam animæ noſtræ immortalitatem, polliciti ſumus nos & alias adductas præſertim a natura animæ noſtræ, quod etiam ſupra attigimus, ſic argumentamur. Anima noſtra eſt intellectualis, ergo eſt immaterialis, & conſequenter immortalis. Probatur conſequentia: quia omne, quod intelligit, eſt ſeparabile a materia, & omne ſeparabile intelligit: &, ſi intelligit ſimul, eſt etiam ſuapte natura intelligibile: id uero, quod intelligit, proprie, &

ſuapte natura eſt intelligibile: eſſe immateriale nemo eſt, qui in doctrina Ariſtotelis dubitare poſſit; & ideo dicebat Ariſtoteles 3. de Anima tex. 15. in ſeparatis à materia idem eſſe, quod intelligit, & quod intelligitur.

Secundo, argumento etiam ducto ex natura ipſius animæ argumentamur: anima noſtra eſt libera, ergo immaterialis, quia, ſi eſſet educta e potentia materiæ, neceſſario ſequeretur motiones materiæ, ſicut ſupra, cum primam Ariſtotelis rationem explicabamus, ſatis (ni fallor) demonſtrauimus: ſi uero neceſſario ſequeretur motiones materiæ, iam ipſa non eſſet libera, neque domina ſuarum actionum: ſicut animæ brutorum, quæ ſunt eductæ e potentia materiæ, non ſunt liberæ, neque dominæ ſuarum actionum.

Hucuſque igitur allatæ ſunt rationes Ariſtotelis pro immortalitate: quarum duæ, ex quibus & aliæ colligebantur, poſitæ fuerũt in tex. 6. 3. libri de Anima, quarum altera fuit, ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, afficeretur affectione corporis, & neceſſario afficeretur, & ideo fieret calidus, aut frigidus, & alijs mutationibus corporis mixti neceſſario mutaretur: conſequens autẽ falſum eſſe multis modis oſtendebamus, ac primum, quod ſequebatur ex proxime dictis, non intelligeret omnia: non enim ſimilem ei, qua ipſe affectus eſſet, caliditatem, aut frigiditatem intelligeret.

Secũdo ſi neceſſario mutaretur mutatione corporis, mores animi neceſſario ſequerentur temperaturam corporis, quare perirent omnes uirtutes morales, neque ſitum eſſet in nobis, ut boni, aut mali eſſemus.

Tertio, ſi afficeretur neceſſario affectione corporis, duo tantum in homine eſſent principia agendi, quot tantũ ſunt in brutis, natura ſcilicet, & mos, ſiue aſſuetudo: ſed multa agunt homines per rationẽ, & præter naturã, & præter mores, ut dicebat Ariſt. 7. Politic. c. 13. quare neceſſe eſt, ut habeant tertiũ principiũ, nempe rationẽ, quæ non ſit mixta cũ corpore, & ideo eius mutatione neceſſario non mutetur.

Quarto, ſi afficeretur affectione corporis, ſicq; omnino eſſet mixtus cum corpore; cælum, quod directe agit in cor-

pora

pora noſtra, ex accidenti etiam ageret in ipſum intellectum: quare omnes motus facti a continente in corporibus noſtris mutarent intellectum, & uoluntatem.

Demum, ſi intellectus neceſſario mutaretur mutatione corporis, ſicq; eſſet mixtus cum corpore, periret humana libertas; ablata autem libertate ab homine, aufertur, & funditus euertitur natura humana: quare homo naturæ inſtinctu moueretur ad ſuas actiones obeũdas, ſicut bruta. Præterea idem homo non poſſet contrarias, aut diuerſas actiones obire, ſed haberet determinatas actiones, & determinatũ agendi modũ: ex quibus omnibus colligebatur intellectum noſtrum, quia ſuapte natura imperat corpori, & omnibus affectionibus corporeis, non eſſe mixtum cum corpore, ſed ſeparatum, ſicq; immaterialem, & immortalem.

Altera uero ratio principalis, ducta a priuatione organi corporei, erat hæc: ſi intellectus eſſet mixtus cum corpore, haberet organum corporeum; at hoc conſequens falſum eſſe multis modis oſtendebamus: ac primum, quia ſi intellectus haberet organum, ille ſolus non eſſet locus ſpecierum intelligibilium, ſed coniunctum ex ipſo & organo.

Secundo, ſi haberet organum corporeum, non niſi corporeo modo intelligeret: quare non intelligeret uniuerſalia, & quiditates rerum, cum organum corporeum non recipiat, niſi ſpeciem ſingularem.

Tertio, ſi haberet organum, non eſſet in potentia ad omnes ſpecies intelligibiles, neque poteſtate eſſet omnia intelligibilia: quare non haberet ſe ad intelligibilia, ſicut ſenſus ad ſenſibilia. Poſtremo ſi haberet organum, læderetur ab excellenti obiecto; aut ſaltem poſt apprehenſionem excellentis obiecti, non poſſet inferiora obiecta apprehendere. Ex quibus inferebamus, intellectum, propterea quod habet operationem ſeparatam a corpore, nempe intellectionem uniuerſalium, & immaterialium, habere etiam eſſentiam, & naturam ſeparatam a corpore. Hactenus igitur allatæ ſint rationes pro immortalitate animæ noſtræ, ex ui, & natura ipſius depromptæ, & ex Ariſtotelis fontibus ductæ.

HIERO-

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS

LIBER III.

Caput I.

SED, quoniam alij exiſtimarunt Ariſtotelem aliter demonſtraſſe animæ noſtræ immortalitatē, & alijs rationibus uſum fuiſſe, & nos quoque polliciti ſumus aliorum rationes in eandem ſententiam, & de iiſdē iudicium noſtrum, quod recta diſputationis ratio uidetur poſtulare, in medium allaturos eſſe; icircò operæpretium eſſe uidetur, & aliorum rationes expendere, ut, quæ ab ipſis recte dicta ſunt, probemus, & accipiamus; quæ uero perperam reijciamus, & improbemus. Auerroes igitur, ſecutus ſentētiam Ioannis Grammatici, putauit Ariſtotelem in 4. tex. 3. de Anima demonſtraſſe animæ noſtræ immortalitatē, hac ratione: intellectus noſter intelligit omnia. ergo eſt immaterialis forma, & æterna: hanc cōſequentiam credidit Auerroes probaſſe Ariſtotelem duabus accēptis propoſitionibus: quarum altera eſt, intellectus intelligit omnes formas materiales, ſic ut uoce illa (omnia) credat Ariſt. ſignificare omnes formas materiales: altera uero eſt, quod recipiens debet carere, &, ut uerbo eius utar, debet eſſe denudatū a natura recepti in ſpecie, adeo ut tandē putet Ariſt. ſic argumentari: intellectus intelligit omnes formas materiales, ergo nō eſt forma materialis. Sed, ſi hac ratione uteretur Ariſtoteles, non magis probaret intellectū eſſe formam immaterialem, quam materialem: quia, cum per Auer-

rocem Ariſtoteles argumentatur: intellectus intelligit omnes formas materiales, ergo eſt forma immaterialis: ego tamen ſic argumentabor, intellectus intelligit omnes formas materiales, & caret natura earũ in ſpecie: quia non eſt eiuſdem ſpeciei cum aliqua ipſarum: ergo intellectus non eſt forma immaterialis, ſed materialis: diuerſa tamen ſpecie ab omnibus alijs formis materialibus. Quare uocem illã (omnia) perperam, & ſine ratione contrahit Auerroes ad ſolas formas materiales, cum ipſa in omnes pateat, & Ariſtoteles ex communi omnium conſenſu acceperit illam propoſitionem uniuerſaliſſimam tam late patentem, quam late patet, & contra ſententiam Empedoclis, & aliorum omnium philoſophorum, excepto Anaxagora, demonſtraret animam non eſſe mixtam ex principijs rerum: nam, cum illi dicerent illã eſſe mixtam ex principijs ipſis, propterea quod cognoſcit omnia; Ariſtoteles redarguens ipſos in 1. libro, præter alias uſus eſt hac ratione in tex. 77. ſi anima conſtaret ex principijs, non cognoſceret omnia: quia ut cognoſcat principia, ſaltem non cognoſcet mixta. quam rationem repetens, immo extendens ad ipſa etiam principia, oſtendit intellectum non eſſe mixtum ex principijs: quia ſic, neque principia, neque mixta intelligeret: quare ex eodem medio, quo antiqui componebant intellectum ex principijs, Ariſtoteles in 4. tex. 3. libri de Anima infert, ipſum non conſtare ex illis, ſed habere naturam diuerſam ab illis, atque omnino ab omni alia re, quam extra ſe intelligit, ut abunde in expoſitione illius loci explicauimus: ubi ſimul demõſtrauimus, non fuiſſe ibi propoſitum Ariſtotelis, ſaltem principale, demonſtrare immortalitatem animæ noſtræ.

Si quis tamen obijciat nobis, nos uſos fuiſſe illa propoſitione, Intellectus intelligit omnia, ad confirmandam primã rationẽ, qua in tex. 6. pro immortalitate animæ utitur Ariſtoteles, & conceſſiſſe etiam eandem poſſe adhiberi, ad confirmandam ſecũdam rationem, reſpondebimus, illam non eſſe medium proprium, & immediatum ad demonſtrandam concluſionem Ariſtoteli propoſitam: ſed nos in prima ratione

uſos fuiſſe illa,ut confirmaremus illam propoſitionem, quã accipiebat Ariſtoteles, uidelicet,intellectum non fieri calidum; neque frigidum.

Antonius uero Bernardus Mirãdulanus,Caſertæ Epiſcopus,præceptor meus,ætate noſtra in doctrina Ariſtotelis omnium maxime uerſatus, deque illa optime meritus; cui me ſummopere debere fateor,ex eo maxime, quod familiaritati tuæ,Sanctori,Cardinalis Ampliſſime,me ipſum pridem deuinxerit, cum tu nulla adhuc neque Archiepiſcopatus, neque Cardinalatus dignitate,ſed ſolo tuarum uirtutum ornamento fulgeres; quo etiam tempore te ſummopere uir ille ſummo ingenio,ſummaque rerum experientia præditus honorabat,multa interim,quaſi uaticinio quodã,de tua indole,deque tuorum morum probitate pollicitus,Antonius inquam Bernardus Mirandulanus,& ipſe quoque exiſtimauit eundem 4. tex. pertinere ad demonſtrandam animæ noſtræ immortalitatem: alio tamen modo,quam crediderit Auerroes: nam ipſe x1. libro illius ut egregij, ſic & uarij operis, quod inſcripſit de euerſione ſingularis certaminis ſect.3.dixit,illa eadem ratione,qua tollitur Platonis reminiſcentia, uſum fuiſſe Ariſtotelem ad demonſtrandam animæ noſtræ immortalitatem: rationem uero eſſe, humanus intellectus intelligit omnia, ergo eſt immixtus,ergo impaſſibilis,& cõſequenter immortalis: nam,ſi eſſet mixtus,non intelligeret omnia: quia haberet aliquid intus apparens,quod prohiberet extraneum, & obſtrueret. Exponens autem uerba Ariſtotelis,primum confutauit expoſitionem Auerrois,exiſtimantis Ariſtotelem uelle probare ipſum non eſſe mixtum cum corpore; deinde,quod uoce illa (omnia) ſignificet Ariſtoteles omnes formas materiales,ſicut expoſuit Auerroes: qua expoſitione confutata,uolens probare rationis ſuæ illationes,altius exorditur in ſect.5.& exponit uerba Ariſtotelis in 3. de Anima a tex.3.uſque ad 7.Sed quoniam in expoſitione tex.4. ſignificauimus ſatis eius expoſitionem nobis non probari, & longum nimis eſſet eius opinionem, & rationes,quas Ariſtoteli tribuit,examinare; idcirco,ut breui-

tati conſulamus, hæc omnia conſulto dimittemus, & rationes alias, ab alijs pro immortalitate animæ adductas, quam breuiſſime expendemus, ut intelligatur, comparatione aliarum, quantam uim habeant rationes Ariſtotelis.

D. Thomæ laus. D. Thomas, non ſolum ſanctitate uitæ, ſed & litterarum gloria præſtantiſſimus pro ſua ſingulari pietate, & ſingulari ueri uidédi ſtudio, ad quod uidetur omnino natus, & a Deo factus, ut ſcilicet ſplendidiſſimo ingenij lumine non ſolum naturales ſcientias, ſed etiam Chriſtianam Theologiam illuſtraret, & omni hæreſum errore purgaret, ille, inquam, uir diuinus ſemper conatus eſt probare animæ noſtræ immortalitatem, neque ſolum in ſuis diuinis, in Ariſtotele explicando, commentarijs, & præſertim in 3. de Anima, ubi magis, quam ceteri omnes, tum Græci, & Latini, tum etiam Arabes Ariſtotelis explanatores uim & efficaciam rationum Ariſtotelis pro immortalitate animæ noſtræ cognouit, & explicauit: ſed & alibi ſæpe in ſuis ſcriptis Theologicis idem argumentum egregie tractauit, & præſertim in prima q. 75. ar. 6. & 2. contra gentes cap. 79. & quodlib. 10. q. 3. ar. 2. & inter alias rationes utitur duabus in doctrina Ariſtotelis efficacioribus, quæ uim, & robur ſuum accipiunt ab illis, quibus uſus eſt Ariſtoteles in 3. lib. loco citato. Quarũ altera eſt: unũquodque, quod recipitur in alio, ſecundum modum, & naturam recipientis recipitur: ſed formæ, quæ recipiuntur in intellectu poſſibili, recipiuntur, ut ſunt actu intelligibiles, ſunt autem actu intelligibiles, ut ſunt immateriales, & uniuerſales: ergo, & ipſe eſt immaterialis; non tamen ex perpetuitate ipſorum uniuerſalium poſſumus omnino inferre perpetuitatem intellectus, quod ipſe uidetur tentare; quia uniuerſalia illa, quæ ſumuntur a rebus corruptibilibus, non ſunt perpetua, niſi per continuam indiuiduorum ſucceſſionem. Altera uero ratio eſt: ſi intellectus corrumperetur corruptione corporis, læderetur etiam, & debilitaretur læſione, & debilitatione eiuſdem: ſed intellectus eſt uirtus animæ, quæ non indiget organo: ergo non debilitatur, neque per ſe, neque per accidens debilitatione corporis. Quod ſi in operatione

intelle-

intellectus accidit fatigatio, & impedimentum propter infirmitatem corporis, hoc non accidit ex læſione, aut infirmitate intellectus, ſed ex debilitate uirium, quibus indiget intellectus, imaginatiuæ, ſcilicet, & memoriæ. Hæc quoque ratio ſuam uim, & efficaciam recipit à ſecunda illa ratione Ariſtotelis, ducta a priuatione organi. & re uera, ut ſua cuique laus tribuatur, D. Thomas inter omnes, quos ego audiuerim, aut legerim, uidetur mihi magis cognouiſſe uim, & robur rationum Ariſtotelis; & ad demonſtrandam animæ immortalitatem propius acceſſiſſe. D. Thom. propius acceſſit ad uer. quam reliqui.

Argumentatur præterea idem S. Doctor: ſi intellectus corrumperetur, uel per ſe, uel per accidens corrumperetur; ſed neutro modo poteſt corrumpi: quia nulla forma per ſe ſubſiſtens ullo illorum duorum modorum corrumpitur: ergo neque intellectus. Quod uero forma per ſe ſubſiſtens, non corrumpatur per accidens, probat ipſe: quia, cum habeat eſſe per ſe, non poteſt generari, neque corrumpi per accidens: quia, ut unumquodque eſt, ſic generatur, & corrumpitur: neque etiam corrumpitur per ſe: quia, quod competit alicui per ſe, eſt inſeparabile ab ipſo: quare non poteſt deſinere eſſe. Non poteſt etiam anima intellectiua corrumpi per ſe, quamuis eſſet cõpoſita ex materia, & forma: quia non corrumpitur per ſe id, quod non habet contrarium: quare, cum anima intellectiua, immo nulla forma ſubſtantialis habeat contrarium, non poteſt corrumpi per ſe: quod ſi corrumpatur, ratione ſubiecti corrumpitur: ſed animam intellectiuam non corrumpi per accidens, ſcilicet ratione ſubiecti, indicant rationes illæ, quibus uſus eſt Ariſtoteles, ut ſupra dicebamus in tex. 6. 3. de Anima; quod tamen Ariſtoteles fortaſſe non admitteret: aſſumptum illud S. Thomæ, licet ueriſſimum, ſcilicet animam intellectiuam eſſe formam per ſe ſubſiſtentem, ſatis eſt ambigendum; & ideo Scotus in 4. ſent. diſt. 43. q. 2. conatur diſſoluere hanc rationem, cum qua fundamentum ruet, ſi negetur animam intellectiuam eſſe formam per ſe ſubſiſtentem. Rationes uero, quibus idẽ S. Thomas in eadem quæſt. 75. art. 6. conatus eſt probare

animam

animam intellectiuam eſſe formam ſubſiſtentem, & conſequenter habētem operationem propriam, quam poſſit obire ſeparatam a corpore; Ariſtoteles fortaſſe non probaret. Argumentatur præterea idem B. Thomas 2. contra gentes loco citato: primum ſuſceptiuum formarū intelligibilium, quod eſt intellectus poſſibilis, ipſum quoque, cum ſit præſtantius, quam primum ſuſceptiuum formarum ſenſibilium, eſt incorruptibile. Probatur conſequentia, quia eſſe intelligibile eſt diuturnius, quam eſſe ſenſibile. quare, cum natura de rebus perfectioribus ſit magis ſolicita, uidetur conſentaneum rationi, ipſum intellectum eſſe incorruptibilem, & magis, quam materiam primā. Hæc ratio licet ſit probabilis, a natura tamen demonſtrationis longe recedit: eamq; ſoluerent aduerſarij, dicentes, non eſſe parem rationem materiæ, & intellectus, materiamq. eſſe ingenitam, & incorruptibilem, ut ratio Ariſtotelis primo de naturali auſcultat. allata demōſtrat: æternitatem uero intellectus dicerent ipſi non ita demonſtrari: adderent præterea, nobilitatem rei nō inferre neceſſario eius æternitatem: nam formæ materiales ſunt nobiliores materia prima, & tamen ſunt corruptibiles.

Argumentatur præterea ibidem idem S. Doctor: anima ſeparata a corpore magis perficitur: quare ſeparatio huiuſmodi non eſt eius corruptio, ſed potius perfectio: quod autem magis perficiatur, oſtendit ipſe, quia perfectio animæ conſiſtit in abſtractione quadam a corpore: quod cōfirmat ex ſcientia, & uirtutibus, quæ maiores fiunt, quo maior fit ſeparatio animæ a corpore. Perfectionem etiā uirtutis moralis in eo conſiſtere dicit, quod homo non ſequatur paſſiones corporis, ſed eas ratione temperet. Quare, ſi anima eò maiorem cōſequatur perfectionem, quo magis a corpore ſe abduxerit, ſequitur, eā, ut omnino, & penitus perfecta reddatur, tandem aliquādo ſeparari, & ſeparatam manere. Hæc fuit ratio, qua Socrates in Phædone ſuam maxime conſolabatur mortem, dicens, ſe uelle reddere rationem, ob quam uir, qui per omnem uitam philoſophiæ incubuerit, merito magna cum fiducia mortem exſpectare imminentem debet;

atque bona ſpe eſſe, ſe, poſtquam hinc migrauerit, maxime bona reportaturum: quia hoc eſt ſummum philoſophi ſtudium, ut animum quam maxime poteſt a corporis commercio ſegreget. Etenim, ubi cum corpore tentamus aliquid intelligere, decipimur a corpore. ſi ergo, quando uolumus res bene, & pure intelligere, oportet a corpore recedere, idque tunc maxime aſſequimur, cū mortui fuerimus: iure ſubiungebat Socrates magnam ſpem ſibi eſſe illuc eunti, quo perfecturus erat: quod ibi maxime illud aſſecuturus eſſet, cuius rei gratia tantum negotium ſuſcepiſſet in uita. Sed dicerent aduerſarij, hoc argumēto non probari immortalitatē, quia, licet anima perficiatur in quadam abſtractione a corporis paſſionibus, non tamen perficitur in omnimoda ſeparatione a corpore: cum ex ſententia Ariſtotelis illa non intelligat ſine phantaſia, quæ non ſeparatur a corpore: & ideo dicerent talem ſeparationem, uel eſſe eius interitum; uel, ſi poſt ſeparationem maneret, ipſam fore otioſam.

Alia ratio pro immortalitate ſumitur ab appetitu naturali; qui non poteſt eſſe fruſtra: nam homo naturaliter appetit eſſe, & perpetuo eſſe, neque ſolum apprehendit eſſe præſens, ut bruta, ſed eſſe ſimpliciter. quare neceſſe eſt, ut homo per animam, qua eſſe ſimpliciter, & per omne tempus apprehendit, æternitatem conſequatur. Ad hanc tamen rationem licet reſpondeant aduerſarij, nō ſolum homines, ſed & cetera omnia appetere æternitatem, ut natura eorum patitur, & tamen non aſſequi illam, niſi ut nata ſunt aſſequi: aſſequuntur autem in ſpecie, non autem in indiuiduo: licet, inquam, ita reſpondeant, non tamen infringunt uim rationis: quia homines, qui per animam apprehendunt eſſe ſimpliciter, & per omne tempus, neque ſolum eſſe præſens ut bruta; uteriſimile eſt, ut æternitatem quam apprehendunt, & idcirco appetunt, conſequantur.

Scotus autem in 4.d.43.q.2. conatur eam ſoluere, dicēs, omne medium ſumptū ex deſiderio naturali eſſe inefficax, quia ad efficaciam eius oportet oſtēdere uel potentiam naturalem ad illud, uel quod recta ſit apprehenſio, quam ſequitur

quitur

quitur illud deſideriũ. Horum primum, inquit ipſe, eſt idem concluſioni, quæ concluditur ex deſiderio naturali: ſecundum uero difficilius, uel concluſione ipſa ignotius, ſed ad efficaciam huius medij, quod ſumitur ex deſiderio naturali, facit recta apprehenſio, quam ſequitur illud deſiderium, propterea quod homo apprehendit eſſe ſimpliciter, & per omne tempus: & quia illud habet rationem boni, neceſſe eſt, ut ipſum appetat, potentiam uero naturalem ad illud oſtendunt rationes allatæ pro immortalitate, quæ non ſunt ipſa concluſione ignotiores, ſed longè notiores. Efficacior tamen ratio, & illa quidem demonſtratiua, cum ſit per cauſſam propriam finalem, efficacior, inquam, & inſolubilis ratio ad demonſtrandam animæ noſtræ immortalitatem ſumitur ex appetitu naturali felicitatis, quam homo naturaliter appetit, cum quo appetitu cõiuncta eſt recta apprehenſio. nam ſummũ illud bonum, quod felicitas appellatur, naturaliter appetunt homines omnes: uerũ, quia reuera, quidquid ſenſerit Ariſtoteles, non poſſunt felicitatem illam naturaliter deſideratã conſequi in hac uita, neceſſe eſt, ne concedatur appetitum illum naturalem eſſe fruſtra, quod nullus ſanæ mentis concederet, neceſſe eſt inquam, ut concedatur, eoſdem aſſequi eam in alia uita. quare neceſſe eſt animam eſſe immortalem, & pro numero hominum multiplicatam, dari etiam aliũ ſtatum animæ neceſſe eſt, ubi felicitatem naturaliter appetitam conſequi poſſit, &, ut illã perfectam, & omnibus numeris abſolutam conſequatur, conſentaneum eſt, fieri iteratam coniunctionem corporis cum anima: neceſſe eſt præterea, reperiri obiectum excellentiſſimum, & perfectiſſimum, quod naturalem hominis appetitum explere poſſit, nempe Deum Opt. Max. in cuius uiſione, & fruitione anima noſtra, & tandem totus homo beatiſſimum naturaliter appetitum conſequi poſſit. Quod uero beatitudinem non poſſit homo aſſequi in hac uita, quotidiana nos docet experientia, docet etiam ratio huic experientiæ innixa: nam, illo præſuppoſito, quod conceſſit etiam ipſe Ariſtoteles, nempe dari ultimum finem hominis, qui ſit

ſum-

ſummum eius bonum per ſe expetibile, & per ſe ſufficiens; adeo, ut, habito ipſo, quieſcat intellectus, ſiue appetitus naturalis, poſſumus colligere hanc rationem, quam colligit S. Thomas 3. contra gentes cap. 48. uidelicet ultimus finis hominis terminat naturalem eius appetitum, ſic ut eo habito nihil ultra quæratur. ſi enim ad aliud moueatur, nondum habet finem, in quo quieſcat. hanc autem docet experientia non poſſe homines conſequi in hac uita, & ideo neceſſe eſt, ne appetitus eorum naturalis fruſtretur, ut in alia uita conſequatur.

Alia ratio ſolet afferri communiter pro immortalitate, quia, niſi anima eſſet immortalis, homo, qui eſt præſtantiſſimus omnium animalium, eſſet deterioris condicionis, & omnium miſerrimus; quia, cum homo magis cognoſcat bona uitæ, quam bruta omnia, longe magis doleret iacturam eorum, quæ fit per mortem, niſi aliam uitam ſperaret. hæc ratio eſt admodum probabilis, non tamen demonſtratiua: & ideo conſequentiam negarent aduerſarij, quia, ſi magis dolent homines amiſſione bonorum, magis etiam gaudent, & delectantur præſentia, & fruitione ipſorum: adde, quod uis illa cognitionis particeps, per quam malum cognoſcimus, nobis adiumento eſt ad conſolandũ dolorem inde prouenientem. Præterea ſequeretur, dicerent ipſi, expertia cognitionis eſſe melioris condicionis, quã cognoſcentia: quod tamen abſurdum eſt. Quod ſi aliquando aliqui homines appetant ſe non cognoſcere, ut aliqua mala non uideant, non tamen iccirco oderunt cognitionem, quæ præſtantiſſima res eſt, & maxime expetenda: ſed uellent carere eo malo, quod ipſis moleſtum non eſſet, ſi cognitione carerent: ſimpliciter tamen nullus ſanæ mentis odit cognitionem. Multa alia eſſent dicenda ad ſignificandam probabilitatem huius rationis: quæ ad Theologos Chriſtianos conſulto reiicio.

Arguunt præterea aliqui, ut ex ratione naturali, & Ariſtotelis auctoritate probent animæ immortalitatem, uidelicet, ſi anima humana non eſſet immortalis, nemo umquam ulla de cauſa deberet ſe exponere morti: & tamen Ariſto-

teles 3. Ethi, ratione naturali ductus præcipit fortem debe-re ſe exponere morti: ſed, ſi anima eſſet mortalis, nulla ſpes eſſet ipſam poſt mortem remanſuram, & reportaturam præ-mium ſuorum benefactorum, nõ deberet fortis ulla de cauſ-ſa exponere ſe morti: quia nemo propter aliquod genus bo ni, uel etiam boni honeſti poteſt appetere non eſſe: quando-quidem, ut dicebat B. Auguſtinus 5. de libero arbitrio, non eſſe non poteſt appeti: ſed, ſi anima nõ eſſet immortalis, mo riens tenderet ad non eſſe.

Ad hanc tamen rationem reſpondebat Scotus, fortem ui rum multum conſequi, dum exercet illum actum magnum uirtutis, quo priuaret ſe: immo uitioſe uiueret, ſi tunc negle ctõ illo actu ſeruaret uitam ſuam per quantumcumque tem pus: aduerſarij quoque mortalitatis fautores, ex ijs, quæ di-cuntur ab Ariſtotele in eodem 3. lib. cap. 6. ſuam potius ſen tentiam confirmare ſtuderent: ſed male: quia, ibi dixit Ari-ſtoteles, mortem omnium maxime terribilem eſſe: quia fi-nis eſt uitæ, ſcilicet ipſius compoſiti, non animæ: idq. ex eo oſtendebat, quod homini mortuo nihil aut bonum, aut ma-lum eſſe deinceps uidetur, quod ſcilicet ad uitam compoſiti pertineat: & in hoc ſenſu locutum fuiſſe Ariſtotelem indi-cat ratio ſui dicti, quam reddidit, dicens, mortem omnium maxime terribilem eſſe: quia finis eſt uitæ, ſcilicet ipſius cõ-poſiti, ipſiq. maxime terribilis eſt: immo ex ijs, quæ ibidem dicuntur, licet non ſequatur Ariſtotelem fauere mortalita-ti, uidetur poſſe colligi, fortiorem eſſe illum fortitudine illa morali, de qua ibi loquebatur Ariſtoteles, qui extra ſpem ſe ſe morti expoſuerit, quam illum, qui bene ſperans ſeſe expo nat: etenim in eodem 3. lib. cap. 8. hæc ſcripſit. *aliqua autem ex parte, qui ſpe ad agendum impelluntur, fortibus ſimiles ſunt, neque ta-men, quia ſunt ſpe freti, fortes ſunt: nam ex eo quod ſæpe, multosq. uic-erunt, fiduciam in periculis habent: ſunt autem fortibus ſimiles, quia utrique confidunt, ſed fortes quidem ob eas res, quas paullo ante diximus; illi uero, quia ſeſe ſuperiores eſſe putant, & nihil uiciſſim ſuſcepturos ma-li, tale & ipſi ebrij faciunt ſperantes omnia ſibi proſpere euenire. cum uero ra huiuſmodi ipſis non contingunt, quæ ſperauerunt, fugam arripiunt.*

 Ex qui-

Ex quibus intelligitur, ſpem humanam, quæ eſt paſſio iraſcibilis, non autem uirtus, qualis illa præſtātiſſima ſpes, quæ in tribus uirtutibus Theologicis numeratur; intelligitur, inquam, ex illis uerbis Ariſtotelis, ſpem illam, de qua ibi loquitur, non ſolum non augere, ſed detrahere aliquid de fortitudine. & ideo ſubiungit Ariſtoteles hæc uerba: *At uiri fortis erat, res eas, quæ ſunt hominibus, uidenturq. formidoloſa, ferre: quia bonum eſt ferre, & non ferre turpe.* In quā ſententiam & ipſe Cicero in epiſtola ad Lucceium hæc ſcripſit: *itaque hoc etiam me fortiorem puto, quam te ipſum præceptorem fortitudinis; quod tu mihi uideris ſpem aliquam habere hæc aliquando futura meliora.* Deinde ſubiungit: *ergo & domeſtica feremus; ut cenſes, & publica paullo etiam fortius, quam tu ipſe, qui præcipis: Te enim ſpes aliqua conſolatur, ut ſcribis, nos erimus etiam in omni deſperatione fortes.* Quod ſi quærat aliquis, an deceat fortem uirum mortem illam moleſte ferre: Ariſtoteles in eodem 3. lib. cap. 9. reſpondet, quod, quo magis ille uirtute pollet, & quo felicior eſt, eo magis ob mortem ſane dolebit: uir enim talis maxime dignus uita, maximisq. bonis priuatur, id ipſum ſciens, quod quidem dolorē affert; uerum nihilominus eſt fortis, & ideo magis fortaſſe; quod honeſtatem, quæ in bello eſt, ijs ſcilicet bonis anteponit. Et, quia potuiſſet quis obijcere mortem illi, qui habitū fortitudinis eſt conſecutus, iucundam eſſe oportere, non moleſtam, cum idem Ariſtoteles docuerit illud eſſe indicium uirtutis iam acquiſitæ, quod cum uoluptate operetur: reſpondebat Ariſtoteles, declarans illud ſuum documentum, & dicens: Nec fit, ut omnibus in uirtutibus cum uoluptate operemur, niſi quatenus finis attingitur. Quare ſubiungebat Ariſtoteles, nihil prohibere illos, qui maximis bonis per mortem priuantur, & maxime digni ſunt uita, non eſſe præſtantiſſimos milites; immo præſtantiores fore, qui minus fortes ſunt, & nullum aliud bonum habent, & ideo audaciores ſunt, & minus timent, quam uiro forti conueniat. Et huius ſententiæ rationem reddit Ariſtoteles, dicens, præſtantiores fore milites, qui minus fortes ſunt: quandoquidem illi parati ſunt obiectare ſe periculis, & uitam pro paruo emolumento per-

Cic. 5. lib. epiſt. fam. epiſt. 13.

to perdunt. Aliam rationem pro immortalitate animæ ſumunt alij ex ordinato naturæ proceſſu: natura enim numquam tranſit ab extremo ad extremum, niſi per media; immo ita gradatim, & ſenſim ab uno ad alterum extremũ proficiſcitur, ut continuatione ipſa lateat eorum confinium, & medium utriuſnam ſit extremi, ut dicebat Ariſtoteles 8. de hiſt. animal. cap. 1. Quare, ſicut in natura dantur formæ omnino coniunctæ materiæ, ut uegetatiua, & ſenſitiua datur, & forma ſimpliciter ſeparata, & quoad eſſentiã, & quoad operationem: ita conſentaneum eſt rationi, dari formam omnino ſeparatam, quoad eſſentiam, ex accidenti tamen, & quoad operationes coniunctam: & huiuſmodi eſt anima intellectiua, quæ ratione ſenſus, cui in operando connexa eſt, cõiuncta eſt cum materia, ſiue cum corpore. Sed hæc ratio, licet magnam habeat probabilitatem, non tamen inſolubilis eſt. immo ſimili argumento utuntur aduerſarij, ut probent intellectum humanum ſimpliciter eſſe mortalem, ſecundũ quid uero immortalem.

Efficacius autem argumentum ſumitur ex uerbis Ariſtotelis 7. de naturali auſcult. ubi dicebat, ſedatis paſſionibus appetitus ſenſitiui, & motibus corporeis fieri progreſſus maiores in ſapientia. Quo fit, ut uirtus intellectus, ſicq. ſubſtantia eius ſit ſupra motum: quare & ſupra tempus; quod ſi ſupra tempus, ergo immaterialis: quia ex Ariſtotele 4. illius operis libro, quæ non ſubijciuntur tempori, ſunt æterna; quæ autem ſubijciuntur, omnia ſunt corruptibilia. Aduerſarij tamen falſo accipiunt animam intellectiuam eſſe ſubiectam tempori: & inde perperam inferũt ipſam eſſe mortalẽ.

Argumentatur præterea B. Thomas: proprium perfectiuũ hominis, ſecundum animam, eſt aliquid incorruptibile: propria enim operatio hominis, quatenus homo, eſt intelligere: ſed intelligere eſt uniuerſalium, & incorruptibilium, quatenus talia ſunt: quare neceſſe eſt animam eſſe incorruptibilẽ: quia perfectio debet eſſe proportionata rei perfectibili.

Sed ad hoc argumentum reſponderent aduerſarij: uniuerſalia, quæ intelligũtur ab anima, ſi ſint uniuerſalia ſum-

pta a corruptibilibus, eſſe incorruptibilia tantum ſecundum ſpeciem: quare & animam intellectiuam tantum ſecundum ſpeciem eſſe incorruptibilem: & ideo argumẽtum ſumptum ab intellectione uniuerſalium nõ habet uim ad demonſtrandam immortalitatẽ animæ noſtræ, niſi ut ſuperius ipſo utebamur, dum ſecundam Ariſtotelis rationem explicaremus, ſumptam à defectu organi.

Argumentatur etiam idem in eodem loco, ſcilicet 2. contra gentes, intelligibilia actu, quatenus talia, ſunt incorruptibilia: ergo & intellectus agens. probatur conſequentia, quia faciens eſt honorabilius facto. ſed intellectus agens facit actu intelligibilia, & per conſequens facit ea incorruptibilia, quo fit, ut ipſe ſit incorruptibilis: quare ſequitur, & ipſum intellectum poſſibilem eſſe incorruptibilem. Sed, ut concedatur, intellectum agentem eſſe partem animæ noſtræ, non uidetur tamen concedendum, ipſum facere uniuerſalia incorruptibilia. Etenim uniuerſalia nõ ſunt incorruptibilia, quia fiant talia ab intellectu agente, ſed quia ſeruatur eorum perpetuitas per cõtinuam ſucceſſionem indiuiduorum.

Caput II.

SEd, quoniam plerique multum deferunt rationi ſumptæ a motu, qua in Phædro uſus eſt Plato pro immortalitate animæ noſtræ, operæpretium eſt, eam æqua iudicij tamquam trutina expendere, & maxime cum alia uia ingreſſus Ariſtoteles motum ipſi omnino ademerit. Plato igitur in Phædro, cum dixiſſet, oportere prius, ad perfectionem eius, quod agebat de natura animæ diuina, & humana affectus, & opera intuentes uerum nouiſſe, ſubiungebat hæc uerba: *Sit autem huius demonſtrationis principium: Anima omnis immortalis:* uolens autem oſtendere omnem animam eſſe immortalem, ſic arguebat: quod ſemper mouetur, eſt immortale: ſed id, quod ſeipſum mouet, ſemper mouetur: ergo id, quod ſeipſum mouet, eſt immortale. Minorem probat, quia id, quod

aliud

alius mouet, & ab alio mouetur, cum terminum habeat motus, habet etiam terminum uitæ: *ſolum ergo* ſubiungit, *quod ſeipſum mouet, quia numquam ſe deſerit, numquam ceſſat moueri: immo uero & alijs, quæcumque mouentur, id fons, & principium eſt mouendi: principium autem ſine ortu eſt. ex principio enim neceſſe eſt, quidquid generatur, oriri, ipſum autem ex nullo. nam, ſi principium oriretur ex aliquo, ex principio utique non oriretur. cum uero ſit abſque ortu, & abſque interitu ſit neceſſe eſt. Nam, ſi principium interiret, neque ipſum ex alio, neque ex ipſo aliud naſceretur: ſiquidem ex principio omnia oriantur, oportet. Si ergo principium motus eſt, quod ſe ipſum mouet, hoc autem,* ſubdit idem Plato, *neque mori, neque naſci poteſt, alioquin omne cælum, omniſq. generatio concidat, deſinatque, neceſſe eſt, neque rurſus conſtare poſſit, unde hæc motum nacta oriantur. Cum ergo appareat, immortale eſſe, quod ſeipſum mouet, hanc infert eſſe animæ ſubſtantiam, & rationem, principium, quod ſeipſum moueat; quia omne corpus, cui motus extrinſecus incidit, inanime eſt: cui uero intrinſecus ex ſe ipſo, id eſt animatum, tamquam hæc animæ natura ſit: quod ſi ita eſt, ut non ſit aliud quidquam, quod ſe ipſum moueat præter animam; neceſſario ingenita, & immortalis eſt anima.* Quare ſic argumentatur: id, quod ſe ipſum mouet, eſt immortale: anima ſe ipſam mouet: ergo eſt immortalis. Ex his uero, quæ fideliter narrauimus, Platonis uerbis, patet, ipſum loqui de uero, & naturali motu, ipſumq. tribuere animæ; tum, quia diſtinguit animata ab inanimatis, quod illa mouentur a ſe ipſis, inanimata uero ab extrinſeco; tum etiam, quia dicit, quamuis erret, exiſtimans cælum animatum, cælum, omnemq. generationem concidere, niſi principium motus ſit anima, quæ ſe ipſam mouet, neque rurſus conſtare poſſit, unde hæc motum nacta oriantur. Cum ergo iis conueniat uerus, & naturalis motus, & conueniat ratione animæ, & quia ſe ipſam mouet, neceſſario ſequitur, ut moueat ſe, uero, & naturali motu. Hæc autem ratio Platonis multis urgetur difficultatibus: ac primum, quia, ſi hæc ratio probaret, animam noſtram eſſe immortalem, probaret etiam, omnem animam & brutorum, & plantarum eſſe immortalem: quia per Platonem omnis anima ſe ipſam mouet. & hæc eſt natura animæ, ut ſe ipſam moueat. Item diſtinguit animata ab inanimatis, quod hæc habent extrinſecum principium

motus,

motus, illa uero intrinſecum, ſcilicet animam. ſecundo uero, quia, ut demonſtrauit Ariſt. 6. phyſ. omne, quod per ſe mouetur, eſt corpus, & ſola corpora ſunt mobilia, quod quidem antequam probaſſet, diſiunctiue locutus eſt in illa ſuppoſitione, quam in primo illius operis libro accepit, tamquam principium philoſophiæ naturalis, dicens, ſubiiciatur nobis eorum, quæ ſunt a natura omnia, aut quædã moueri: ſed, cum in 6. libro oſtendiſſet motum ſolis corporibus per ſe conuenire, iccirco in primo de caelo abſolute dixit, *corpora, & magnitudines ſecundum ſe mobiles ſecundum locum eſſe dicimus*. Si ergo motus per ſe conuenit omnibus corporibus, qui fieri poteſt, ut dicamus, animam, quæ eſt incorporea, moueri per ſe. Et ideo in primo libro de Anima loquens Ariſt. indefinite de anima, dixit, motum nõ poſſe tribui animæ, niſi ex accidẽti. quod uerificatur tamen de anima educta e potentia materiæ. illa enim, dum mouet corpus, mouetur ex accidenti motione corporis: anima uero immaterialis, qualis eſt intellectiua, neque per ſe, neque ex accidenti mouetur. nam, ſi moueretur ex accidenti, a ſe ipſa eſſet corruptibilis: quoniam, ut eſt apud Ariſtotelem 8. de naturali auſcult. tex. 52. moueri per accidens a ſe ipſis conuenit ſolis corruptibilibus. Quod ſi dicas, corpus mouetur per animam, ergo motus prius, & per ſe conuenit animæ, quia, propter quod unumquodque tale, eſt illud magis: reſpondebo, propoſitionem illam habere locum in illis tantum prædicatis, ut colligitur ex Ariſtotele princ. 2. Metaphyſ. quæ cõmunia ſunt utrique illorum, in quibus fit comparatio, ſcilicet, cauſſæ, & cauſſato, & quæ conueniunt cauſſato, quia prius conueniunt cauſſæ, cuiuſmodi non eſt motus ratione animæ, & corporis.

6. Phyſ. tex. 32. & tex. 86. & ſequen. illius capituli.

Primo de cælo. tex. 5.

2. Metaph. tex. 4.

Praeterea, ſi id, quod eſt principium, fons, & origo motus, moueret ſeipſum, ut ſupponit Plato, nũmquam potuiſſet Ariſtoteles probare, dari unum primum mouens immobile. quod tamen efficatiſſime probauit: & probationem eius acceperunt Theologi noſtri, & præſertim S. Thomas: Quare ad cognoſcẽdam falſitatem, & peccata rationis Platoni-

tonicæ, præter ea, quæ contra Platonem dixit Ariſt. in 1. de Anima, faciunt & ea, quæ demonſtrauit in 6. & multo magis in 8. libro de naturali auſcult. ut nos in explanatione illius libri copioſe, & clare (ni fallor) demonſtrauimus: ad quæ tamen, breuitatis cauſſa, me reiicio. ſi quis tamen dicat, Platonem nõ tribuiſſe animæ uerum, & naturalem motum, ſed operationes eius appellando motum dixiſſe eam per ſeipſam moueri, quia per ſeipſam operatur, tunc ſequetur eadem ratione, omnes animas, non ſolum brutorum, ſed etiam plantarum, ut ante attigimus, eſſe immortales, quia & ipſæ per ſeipſas dicentur operari, ſicut dicit Plato animã intellectiuam per ſe ipſam moueri. Præterea Ariſt. in 1. de Anima demonſtrauit, operationes, quæ animæ tribuuntur, eſſe totius compoſiti, licet proueniant ab anima. Demum, ſi motum pro operatione animæ accipiat Plato, oſtendo, ipſum non aſſequi propoſitum, neque ſibi conſtare: quia, cum argumentatur, quod ſemper mouetur eſt immortale: intellectus ſemper mouetur, ergo eſt immortalis: negabo, intellectũ ſemper moueri, & ſemper intelligere, quia, cum ſit intellectus in potentia, non poteſt ſemper intelligere, quare neque ſemper operari, & ideo non erit immortalis: Platonis igitur ratio dialectica eſt, ne (quod pace tanti uiri dictum ſit) dicam ſophiſtica, cũ accipiat propoſitiones falſas, ex quibus etiã multa ſequũtur falſa, & maxime abſurda. Rationes etiã aliæ Platonis pro immortalitate, probabiles tantũ ſunt, non demonſtratiuæ, adeo, ut recte mihi uideatur loqui auditor ille apud Cic. primo lib. Tuſc. quæſ. a ſe ſcilicet cũ poſuit librũ Platonis, & ſecum de immortalitate animorũ cogitat: aſſenſionẽ omnẽ illam elabi. Rationes uero, quibus uſus eſt Cicero, ipſæ quoque ſunt dialecticæ, ſic, ut ibi potius dialecticũ, quã phyſicũ agat: nam, licet rẽ phyſicã tractet, rationibus tamẽ cõmunibus, & probabilibus utitur.

Caput III.

ALiæ quoque ſolent afferri rationes pro demonſtranda immortalitate animæ, & alio eius ſtatu in alia uita: quæ

ta: quæ licet dialecticæ tantum,& probabiles uideantur ijs, qui lumen fidei Chriſtianæ,& principia eius,uel non cognouerunt, uel ea non admittunt: & ideo Ariſtoteles, qui ſenſu,& ratione tantum ſenſibus innixa in philoſophia naturali ducebatur, eas fortaſſe non probaret, niſi ſecundum religionem ſui temporis loqueretur; nobis tamen, qui ueram philoſophiam, & illam quidem Chriſtianam profitemur, non ſolum probabiles ſunt,ſed demonſtratiuæ: ducuntur enim ex proprijs principijs religionis,& fidei noſtræ, nempe ex articulis fidei,quæ licet omnia non euidentia ſint ſenſui, ſicut principia naturalium,& humanarum ſcientiarum,ſunt tamen certiſſima per diuinam reuelationẽ, cui, cum fallere, & falli non poſſit,longe magis credendum eſt, quam ſenſui, & rationibus plerumque fallacibus. Arguitur igitur pro immortalitate animæ noſtræ pro multiplici eius numero, & alio eiuſdem ſtatu in alia uita: quia,ſi negetur immortalitas, multiplex eius numerus,& alius ſtatus extra hanc uitã, peribit iuſtitia diuina: quandoquidem neque bonos præmio, neque malos pœna afficiet: cum uideamus,in hac uita multa ſcelera remanere impunita, & multa bona irremunerata: quę res contra diuinam iuſtitiam,& diuinam prouidentiam maximam dubitationem ingerit.

Ad hoc argumentum non uideo ſolutionem, quæ poſſit auferre omnem dubitationem. licet enim Põponatius, qui, ut euerteret immortalitatem, pro qua facit argumentum; reſpondeat, nullum malum remanere eſſentialiter impunitum, neque ullum bonum irremuneratum; quia,cum duplex ſit præmium uirtutis,alterũ eſſentiale,& inſeparabile,quod eſt uirtus ipſa,ſiue operatio ex uirtute; duplex etiam ſit pœna uitij,ſeu peccati,altera eſſentialis,& inſeparabilis,& huiuſmodi eſt uitium; altera uero accidentalis, quæ eſt pœna damni: uirtus, ſeu operatio ex uirtute ſemper habet annexum ſibi præmium eſſentiale, uitium uero pœnam eſſentialem: licet,inquam,Pomponatius ita reſpondeat,hæc tamen reſponſio non ſoluit argumentum: quia, ſi duplex eſt præmium, ſi etiam duplex eſt pœna, uidetur conuenire diuinæ

iuſtitiæ, quod utroque præmio benefacta, atque etiã utraque poena malefacta afficiat: quod cùm in hac uita nõ fiat, neceſſe eſt fieri in alia, & eo magis, quòd attinet ad uitia, & peccata, quia uidemus aliquos ex uitiis, & peccatis capere uoluptatem. Et, quamuis illæ non ſint uoluptates, niſi corruptis, & deprauatis hominibus, ut dicebat Ariſt. 10. Ethic. cap. 5. tamen, cum homines illi corrupti, & deprauati ſuas pro malefactis habeant uoluptates, & delectationes, conſentaneum eſt rationi, & congruens diuinæ iuſtitiæ, ut poenas aliquando luant; &, quando in hac uita non luunt, in alia luant. Adde, quod ad benefacta pertinet, nos eſxpectare copioſam mercedẽ benefactorum, nempe ipſam beatitudinem, quæ ſuperat quoduis præmium eſſentiale: quam tamen non poſſumus conſequi niſi in alia uita. Arguitur præterea, quia, poſita mortalitate, & ablato alio ſtatu animæ extra corpus, peribunt omnes uirtutes morales, & præſertim fortitudo, quia, ſi nulla ſit ſpes alterius, & illius quidem melioris uitæ, nemo ſe morti exponet, quæcumque adſit cauſſa. Ad hoc tamen argumentum, quod ſupra attigimus, & nunc etiam, ut quæſtioni proponẽdæ ſatisfaciamus, conſultò repetimus, fortaſſe reſpõderet Ariſtoteles negando conſequentiam: quia ipſe dixit, uirtutem eſſe ſibiipſi præmium, & actum bonum eſſe præmium operantis, atque omnino præmia benefactorum eſſe ipſa benefacta. Quare ferunt, ipſum interrogatum, quid ex philoſophia conſecutus eſſet, reſpondiſſe, ſe id cõſecutum eſſe, ut uirtutis amore ea faceret, quæ alij, ducti ſpe præmiorum, faciebant: & uitij turpitudine, atque odio, ab illis abſtineret, a quibus ceteri timore poenæ abſtinebant. Sed, ut paullo ante attigimus, hæc reſponſio non tollit uim argumenti pro immortalitate allati, cum præmium uirtutis, ut dicebamus, ſit duplex: duplex quoque ſit poena uitij & peccati.

Ad argumentum uero de fortitudine diceret ipſe, potius minui fortitudinem, ſi adeſſet ſpes euadendi pericula: etenim 3. Ethic. cap. 6. dicebat, eos, qui ſpe ad agendum impelluntur, eſſe fortibus ſimiles, non tamen eſſe fortes: ubi lo-

quebatur de illis, qui, ſperantes ſe pericula euaſuros, ſeſe illis exponunt: ſed, quamuis nulla ſit ſpes alterius uitæ, dummodo homines exponāt ſe morti, præſertim quæ eſt in bello; illamq. ſubeant, quia ſubire honeſtum eſt, non ſubire turpe, eos fortes iudicabit Ariſtoteles. Sed quæret aliquis, an ſpes melioris uitæ detrahat de fortitudine, quia, ſi detraheret, detraheretur etiam de fortitudine martyrum, qui ſpe melioris uitæ acerbiſſimas mortes forti animo pertulerunt. Reſpondeo, quod, licet de hac fortitudine non loquatur Ariſtoteles, non tamen doctrinæ ſuæ repugnat, quin hanc martyrum appellemus fortitudinem, & eximiam fortitudinem. Et, ut in hac re ſententiam eius indicarem, repetij hunc eundem ſermonē. Ariſtoteles ergo in eodem libro 3. Ethic. cap. 6. cum dixiſſet fortitudinem circa terribilia uerſari, & circa terribilia maxima; mortem uero maxime omnium eſſe terribilem; quærebat, circa quam mortem fortitudo uerſetur, & reſpondebat, circa illam, quæ eſt pulcherrima, & talem eſſe eā, quæ eſt in bello. Reddebatq. rationem ſui dicti, quia in maximo fit, & pulcherrimo periculo: eidem ſubiungebat accidere honores, qui tum a Ciuitatibus, tum a Regibus ſunt inſtituti. Quare ex inſtitutione honorum probat illam eſſe pulcherrimam mortem. illi ergo, qui ſubeunt illam mortem, poſſunt ſperare illos honores, qui ſunt præmium uirtutis: & tamen ſpes illa nihil detrahit fortitudini ipſorum: quare ſpes melioris uitæ nihil detrahit de fortitudine martyrum. Præterea, cruciatus, & mortem ſubierunt, & ſubeunt martyres in maximo periculo, in quo agitur de ueritate fidei, de religione, de cultu, & honore Dei, de ſalute animarum: quare illa eſt inſignis, & præcipua fortitudo. Præterea ſubiungit ibidem Ariſtoteles, illum hominem proprie dici fortem, qui circa honeſtam mortem, & omnia, quæ repente eueniunt, illamq. ipſam afferunt, intrepidus eſt. Quare, cum mors martyrum ſit honeſtiſſima, illi proprie, ex ſententia, quæ colligi poteſt ex uerbis Ariſtotelis, fortes appellari poſſunt.

Item in cap. 7. eiuſdem libri dicit, illum hominem eſſe

fortem, qui ea, quæ oportet, & gratia cuius oportet, & ut oportet, & quando oportet, fert, ac metuit, & identidem confidit, & ſubiungit fortem pro dignitate, & ut ipſa ratio iubet tam pati, quam agere. Deinde, ſubiungit, fortem honeſti cauſſa ſubire, & agere ea, quæ ad fortitudinem pertinent: quare, cum honeſtum ſit, immo omnium honeſtiſſimum, teſtimonium perhibere ueritati, tueri religionem, & honorem Dei, ſatis intelligitur, fortitudini martyrum maxime, & excellentiſſime propoſitum eſſe finem illum, quem Ariſtoteles tribuit fortitudini, immo in eodem genere altiorem, & præſtantiorem finem, quam ipſe cognouerit.

Quod ſi dicas, martyres non obire mortem in bello: reſpondet B. Thomas 2.2.q.123.art.5. duplex eſſe bellum iuſtum, generale ſcilicet, & particulare: Particulare dicit ipſe, cum aliquis iudex, uel etiam priuata perſona non recedit a iuſto iudicio timore gladij imminentis, uel cuiuſcumque periculi, etiamſi ſit mortiferũ. Pertinet autem ad fortitudinem, firmitatem animi præbere contra pericula mortis, non ſolum quæ imminet in bello communi, ſed etiam quæ imminet in particulari in pugnatione, quæ communi nomine bellum dici poteſt. Et ſecundum hoc dicit concedendum, quod fortitudo proprie eſt circa pericula mortis, quæ eſt in bello. Hac diſtinctione præmiſſa, dicit, martyres ſuſtinere perſonales impugnationes propter ſummum bonum, quod eſt Deus; & ideo eorum fortitudinem proprie commendare, nec extra genus fortitudinis eſſe, quæ eſt circa bellica, unde dicuntur, ſubiungit ipſe, fortes facti in bello.

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS

LIBER IV.

Caput I.

HIS ſic pertractatis, quæ ad diſputationis noſtræ partem pertinent, iam ſecundam aggrediamur, in qua pollicebamur nos reſponſuros eſſe ad ea, quæ pro mortalitate contra concluſionem noſtram afferuntur: &, quia in demonſtranda ipſa primū teſtimonia Ariſtotelis, deinde rationes attulimus; ſeruantes in hac parte eundem ordinem, primū interpretabimur nonnulla Ariſtotelis uerba, quæ contra nos afferuntur: deinde rationes, quæ contra eandem concluſionem facere uidentur, diſſoluemus.

In primis igitur uidentur contra noſtram concluſionem afferri poſſe uerba Ariſtotelis ſcripta in calce primi lib. de naturali auſcult. ubi dum dixiſſet, primæ philoſophiæ opus eſſe agere de principio ſecundum ſpeciem, hoc eſt de primis formis, ſubiunxit, *de phyſicis autem, & corruptibilibus ſpeciebus in poſterıs demonſtrandis dicemus*. Quare, cum anima intellectiua ſit forma naturalis, & eam poſterius tractaturus ſit, uidetur omnino eandem in formis corruptibilibus collocare. Reſpondeo, hoc non ſequi ex uerbis Ariſtotelis: immo, licèt anima intellectiua ſit corruptibilis, iure propoſuit Ariſtoteles ſe dicturum de formis naturalibus, & corruptibilibus, quia aliæ omnes formæ naturales, quæ ſunt admodum plurimæ, ſunt corruptibiles, ſolus intellectus huma-

nus in-

nus inter formas naturales eſt incorruptibilis, & ideo ab eo, quod ſuperabundat, denominationem formarum ſumens, dixit, ſe dicturum de corruptibilibus, neque tamen iccirco excluſit, quin de aliqua re incorruptibili dicturus ſit. Quod ſi quæras, quare non exceperit intellectum humanum? dico, hoc non fuiſſe neceſſarium; tum, quia, quando proponit ſe dicturum de multis rebus, quarum una tantum ſit incorruptibilis, aliæ uero omnes corruptiblles, optimo iure poteſt dicere, ſe de corruptibilibus dicturum; tum etiam, quia non fuit congruum ſolitæ Ariſtotelis modeſtiæ, ut intellectū exciperet, quia nondum manifeſtum erat, immo dubium erat, & demonſtrandum ab ipſo intellectum humanum eſſe incorruptibilem, neque etiam ſatis compertum erat, an eſſet forma naturalis. Eſt & alius locus in 8. de naturali auſcultat. tex. 52. ubi cum dixiſſet, non eſſe idem mouere ſecundum accidens a ſeipſo, & ab altero, reddebat rationem huius diuerſitatis, dicens moueri ſecundū accidens ab alio, & eorum, quæ ſunt in cælo quibuſdam principijs ineſſe, quæ ſecundum plures feruntur lationes: alterum autem corruptibilibus ſolum: moueri ergo ſecundum accidens ab alio in eſt orbibus planetarum, non ipſis intelligentijs, quidquid alij dicant: hoc enim intelligitur etiam ex eiuſdem Ariſtotelis uerbis 12. Metaphyſ. cap. 8. quia orbes ipſi, non autem intelligentiæ mouentur pluribus lationibus, immo nullis lationibus mouentur: alterum uero, quod eſt moueri ſecundum accidens, a ſeipſo ineſſe ſolis corruptibilibus: quare, ſi anima humana mouendo corpus, moueat ſeipſam, quemadmodum uidetur mouere, uidetur etiam ſequi, ipſam eſſe corruptibilem. Quod uero anima moueatur ex accidenti motu corporis, uidetur conſtare ex ijs, quæ paulo ante tex. 51. dixerat his uerbis: *In omnibus autem his mouetur primum mouens, & cauſa, ut ipſum ſeipſum moueat a ſeipſo, ſecundum accidens tamen: mutat enim locum corpus, quare & quod in corpore exſiſtit.* Cum igitur anima rationalis ſit in corpore, uidetur ſequi, eam moueri motu corporis: id quod etiam uidentur confirmare uerba eiuſdem ſcripta primo de Anima tex. 61. ubi dixit: *Quod*

igitur neque harmoniam poſſibile eſt eſſe animam, neque circulariter moueri, manifeſtum ex dictis: ſecundum accidens autem moueri, ut diximus, eſt & mouere ſeipſam, & moueri quidem id in quo eſt, hoc autem moueri ab anima: aliter autem non eſt poſſibile ſecundum locum moueri ipſam. ſupra uero tex. ſcilicet 43. qui eſt locus, iudicio meo, quem citat, Ariſtoteles dixerat animam non moueri, niſi ex accidenti. Ad hæc quoque facile eſt reſpondere: &, licet plerique, non ſatis conſiderantes naturam animæ rationalis, & iccirco concedentes eam moueri ex accidenti, reſponderent fortaſſe, Ariſtotelem dixiſſe in 8. de naturali auſcult. illum motum conuenire ſolum corruptibilibus, quia nondũ demonſtrauerat, animam rationalem eſſe incorruptibilem, & uidebat, omnia alia, quæ ex accidenti mouentur, a ſeipſis eſſe corruptibilia: nobis tamen non uidetur concedendum, animam rationalem moueri ex accidenti: tum, quia, quæ ſunt ſeparata a materia, ſunt etiã ſeparata a motu; tum etiã, quia anima rationalis eſt indiuiſibilis, & ideo nõ ſolum per ſe, ſed etiam ex accidenti immobilis eſt: quare abſolute mihi uidetur reſpõdendum, moueri ex accidenti a ſeipſis conuenire ſolis corruptibilibus, quia non conuenit animæ rationali, cum ipſa ſit immobilis cum per ſe, tum uero etiam ex accidenti. Quod ſi dicas, moto corpore mouẽtur omnia, quæ ſunt in corpore: reſpondeo, moto corpore moueri ea, quæ ſunt in corpore corporeo modo, ſic ut ſint mixta cum corpore, ita, ut eorum exſiſtentia pendeat a corpore: ſed exſiſtentia animæ rationalis non pendet a corpore, ipſaq. indiuiſibiliter eſt in corpore, & ideo, cum non ſit capax motus, non poteſt moueri motu corporis. Quod uero, moto corpore, non moueantur omnia, quæ ſunt in corpore, ex eo patet, quod, moto firmamento, nullo modo mouetur primus motor, motis etiam orbibus planetarum nullo modo mouentur intelligentiæ, quæ, ex ſententia ipſius falſa, & erronea, ſunt formæ ſuorum orbium: ſed, etiam quod illæ tantum aſſiſtant, non poſſunt moueri motu illorum, quia non ſunt capaces motus, quoniam ſunt indiuiſibiles.

Ad id uero, quod afferebatur ex 1. de Anima, dico, Ariſtotelem

telem locutum eſſe de anima ibi indefinite,cum dixit ipſam moueri ex accidenti,&,quia indefinita æquipollet particulari,ſatis eſt,illa uerba uerificari de aliqua anima,ut puta de uegetatiua,& ſenſitiua: non poſſunt autem uerificari de intellectiua, cuius natura non eſt capax motus, illam tamen non excepit, quia nondum peruenerat ad locum proprium, in quo explicaturus erat hanc eius naturam incapacem motus,& demonſtraturus ipſam non eſſe mixtam cum corpore, ſicq. eſſe immaterialem,& conſequenter indiuiſibilem. Ex quo ſequitur,ipſam nullo modo,quod ad eius eſſentiam pertinet, moueri poſſe motu corporis. Quod ſi dicas, ſi anima rationalis non mouetur,ſaltem ex accidẽti,ſequetur, ipſam non eſſe formam naturalem,neque ad philoſophum naturalem pertinere,cum nihil immobile, ut ſæpe teſtatũ reliquit Ariſtoteles,ad naturalem pertineat; quod etiam confirmauit ſecundo de naturali auſcult.tex.71. ubi dicit, quæcunque mota mouent, eſſe phyſicæ conſiderationis; quæcunque uero nõn,non eſſe amplius phyſicæ. & in tex.72. dixit, duplicia eſſe mouentia phyſice, quorũ alterum non eſt phyſicum: tale uero eſt, ſi aliquid mouet, quod non mouetur, ut id, quod penitus immobile eſt,& quod omnium primum.

Reſpondeo, animam rationalem eſſe formam naturalem, quia eſt forma hominis ad naturalem pertinentis,& non eſt cauſſa entis, ut ens; neque prima ſpecies entis, quales ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quibus nominibus pertinent ad primũ philoſophum. Ea uero,quæ pertinent ad naturalem per ſe, & primo, ſunt corpora naturalia, quæ ſunt mobilia per ſe: alia uero,quæ non pertinent principaliter, neque ut ſubiecta,ſunt mobilia per accidens. Horum uero alia ſunt mobilia per accidens,& quoad eſſentiam, & quoad operationes, alia uero quoad operationes tantum, & huiuſmodi eſt anima intellectiua,quæ licet quoad eſſentiam ſit immobilis, tũ per ſe,tum ex accidenti,eſt tamen mobilis quoad operationes,quæ mutantur ex accidenti mutatione corporei temperamenti,licet ipſa nihil mutetur. Poteſt etiam dici mobilis ex accidenti ratione ſenſus,quem ſociũ habet in operando,

Ad con-

Ad confirmationem uero ſumptam ex tex. 72. illius 2. lib. de naturali auſcult. reſpondeo, Ariſtotelẽ ibi loqui de cauſſis efficientibus generationis, cuiuſmodi non eſt anima intellectiua: nam homo generat ex ſententia Ariſtotelis per animam ſenſitiuam, quatenus ſubit uicem uegetatiuæ; & ita intelligitur, locum illum nihil contra nos facere. Non negamus tamen, ut ante diximus, quin anima noſtra moueatur; tum, ratione ſuarum operationum, quæ mutantur ratione corporei temperamenti; tum, quia non mouet ſine ſenſitiua, immo ex illis duabus efficitur unũ principium motiuũ. Et, quia ſenſitiua mouetur ex accidenti, iccirco anima rationalis ratione ipſius poſſet dici mobilis ex accidenti, quare non poteſt excludi hoc nomine a philoſophia naturali, quia non eſt penitus, & omnino immobilis, quales ſunt mentes illæ cæleſtes, quas intelligentias appellamus.

Eſt & alius locus 6. Metaphyſ. tex. 3. qui contra nos uidetur facere: ubi cum dixiſſet, definitiones naturales cum materia ſumendas eſſe, ſubiunxit, manifeſtum eſſe, quonam modo naturalibus in rebus ipſum quid eſt quærere, & definire oportet, & quamobrem ad naturalẽ philoſophum pertineat contemplari de aliqua anima, quæ non ſine materia: cui loco conſimilis eſt alius locus in 1. de Anima tex. 15. Sed ad hæc, & alia id genus, quæ contra nos uidentur facere, facile reſpondetur, ſi dicamus, animam rationalem non eſſe ſine materia, quia, licet eſſentia eius non ſit materia, dicit tamen ordinem eſſentialem ad illam. Quare, etſi ſecundum ſe ſit ſeparabilis a materia, cum illam non includat eſſentialiter, definiri tamen non poteſt eſſentialiter abſque ordine ad materiam, & corpus organicum: ideoque neceſſe eſt, ut in eius definitione ponatur corpus, ſicuti Ariſtoteles definiuit animam actum corporis organici potentia uitam habentis. Sed contra id, quod dictum eſt animam intellectiuam eſſe formam naturalem, & ad philoſophum naturalem pertinere, non ad metaphyſicum, obijceret aliquis fortaſſe ea, quæ ſcripta ſunt ab Ariſtotele 1. de partibus animalium, cap. 1. ubi cum dixiſſet maiorem habendam eſſe ratio-

 nem

nem formæ, quam materiæ in contemplatione animalium, ſubiunxit dubitationem, in cuius ſolutione uidetur negare animam eſſe naturam; uideturq. eius contemplationem adimere philoſopho naturali. ſed, quoniam pro explicatione illius loci, in quo uideo multos lapſos eſſe, multa ſunt dicenda, icc irco, ne longius digrediamur a principali noſtro inſtituto, huic tractationi de immortalitate animę adiungemus, ſimulq. cum ea, fauente Deo, in lucem edemus diſputationem de genere ſcientiæ de anima; in qua & locum illum 1. de partibus explicare, & multa alia ad eam pertinentia pro ingenij, & doctrinæ noſtræ imbecillitate declarare conabimur, uel, ſi poterimus, una cum commentarijs noſtris in libros Ariſtotelis de Anima, in quorum prolegomenis de his abunde tractauimus, hæc quoque dilucidabimus: pro tempore tamen, ne locus ille 1. de partibus alicui occaſionem erroris præbeat, dicimus, Ariſtotelem ibi nihil decreuiſſe, aut determinaſſe, ſed propoſuiſſe tantum dubitationem aduerſus ea, quæ dixerat: quod unuſquiſque inſpiciens uerba eius facile intelliget: uidebit enim ipſum dicere, poſſe aliquem dubitare, animaduertentem id, quod paullo ante dixerat, utrum ne philoſophi naturalis interſit, loqui de omni anima, an de aliqua tantum parte animæ: cauſſam dubitationis illam eſſe dicebat: quia, ſi de omni anima nulla præter naturalem ſcientiam relinquetur philoſophia: quia, ſi de omni anima agit philoſophus naturalis, aget etiam de intellectu, quare de omni intelligibili, quia intellectus, & intelligibile ad inuicem referuntur. poſita hac dubitatione, & cauſſa dubitationis, uidebatur Ariſtoteles reſpondere per methodum interrogationis, non tamen reſpondet, ſed affert aliam rationem, in qua reuocatur in dubiũ id, quod eſt fundamentum diſputationis. nam, cum ſuperius oſtendiſſet, pertinere ad naturalem, diſſerere de anima, ea præſertim ratione, quod anima eſt natura, reuocat in dubium in ſecunda ratione, an omnis anima ſit natura: & dubitanter loquens innuit hanc rationem, quæ uidetur perſuadere, omnem animam non eſſe naturam: uidelicet, ad naturalem pertinet,

onſiderare illas animas, quæ ſunt naturæ: ſed non omnis
nima eſt natura: ergo ad philoſophum naturalem non per
inet agere de omni anima. minorem ponit, dubitanter ta-
nen loquens, & probat ipſam ratione ſumpta a definitione
aturæ, in hunc modum: omnis natura eſt principium mo-
us in eo, cuius eſt natura: ſed omnis anima non eſt princi-
pium motus: &,quia anima intellectiua non eſt principium
uctionis,propterea quod plantæ augentur, quæ ſolam ha-
pent animam uegetatiuam; nec etiam eſt principium alte-
rationis, quia hoc eſt opus animæ ſenſitiuæ; neque etiam
motus localis, quoniam bruta ex alio in alium locum a ſeip-
ſis mouentur, & tamen carent intellectu: circo ex hac ra-
tione, quę & ipſa quoque ad confirmandam illam dubitatio
nem fuit adducta, inferebat Ariſtoteles, perſpicuum eſſe, nō
pertinere ad phyſicum diſſerere de omni anima: quandoqui
dem omnis anima non eſt natura, ſed aliqua eius pars, una,
aut etiam plures. Has igitur duas dubitationes ad confir-
mandam dubitationem propoſitam attulit Ariſtoteles, qui-
bus crediderunt aliqui, & illi quidem egregij uiri, Ariſtote-
lem addere tertiam rationem in eandem ſententiam, cum
ſtatim ſubiũgit *amplius*, ſupple tu perſpicuum eſt, nullius rei,
quæ ex abſtractione ſit, phyſicam eſſe contemplatricem: ſed
in illis uerbis conuertit Ariſtoteles ſermonem ad res mathe
maticas, ut oſtendat, phyſicum non conſiderare aliquam rē
mathematicam, ut talis eſt, hoc eſt per abſtractionem intel-
lectus conſiderata: quare duæ tantum in eo loco afferuntur
rationes, quæ contra noſtram concluſionem uidentur face-
re: nos uero pro ſolutione dicimus, Ariſtotelem nihil ibi de
cernere, ex quo ſententiam eius colligere poſſimus, ſed pro
dubitatione, & ratione dubitationis afferre illas rationes
probabiles tantum, & apparentes, ex quibus inferebat, non
pertinere ad naturalem, diſſerere de intellectu. quæ illatio
inferebatur ab Ariſtotele, non tamquam dogma ab ipſo pro
batum, ſed tamquam conſequens ex illis rationibus dialecti
cis, & pro confirmatione dubitationis allatis, ſicut ſolemus
nos, ex rationibus dialecticis, atque etiam ſophiſticis, & pro

O 2 parte

parte falſa adductis, ſæpe inferre concluſiones, quæ ex illis ex ui,& neceſſitate conſequentiæ ſequuntur: quod ita ſe habere, facile intelligetur, ſi rationes illas conſideremus. etenim facile ſolubiles, & defectuoſæ ſunt utræque: & ex ijs, quæ alibi ab Ariſtotele dicta ſunt; facile colligitur ſolutio, & defectus earum: & ideo ſolutionem earum prætermiſit Ariſtoteles. cum enim primum argumentatur, ſi phyſicus agit de intellectu, ergo de omni intelligibili; ſequitur, tantum ipſum agere de omni intelligibili, quatenus intelligibile eſt,& quatenus refertur ad intellectum. quod cognoſcitur ex natura relatiuorum, cui ratio Ariſtotelis nititur. qui enim conſiderat unum relatiuum, cōſiderat & alterum, quatenus eſt ei correlatiuum, non autem conſiderat naturam, & accidentia eius abſoluta: & ideo non ſequitur, ſi phyſicus conſiderat intellectum, alias ſcientias fore ſuperuacaneas, quia intelligibile, quatenus ad propoſitum pertinet, habet duplicem rationem; alteram, qua eſt intelligibile, & eſt aptum ad mouendum intellectum; alteram uero, quatenus eſt tale ens. ſi ratio Ariſtotelis probaret omnia intelligibilia, ſecundum utramque rationem conſiderari à phyſico conſiderante intellectum, ſic quidem ſequeretur, omnes ſcientias eſſe ſuperuacaneas, ſed probat ea pertinere tantū; quatenus pertinent, ſiue referuntur ad intellectum. quare non ſequitur, alias ſcientias fore ſuperuacaneas. Secunda uero ratio, quæ maiorem poterat ingerere dubitationem, facile ſoluitur,& ſoluta fuit ab Ariſtotele, cum peruenit ad locum proprium, ubi erat agendum de intellectu. Etenim in 3. de Anima tex. 48. & 49. & in libro de communi motu animal. docuit, intellectum practicum, qui ſolo fine differt a ſpeculatiuo, eſſe principiū motus progreſſiui in hominibus, & conſequenter ipſum eſſe naturam. Quare in libro de partibus, qui antecedit librum de anima, atque etiam librum de communi motu, propoſuit dubitationem, an omnis anima eſſet natura;& adduxit rationem pro parte falſā, ut in loco proprio ſolueretur. cum enim argumētatur Ariſtoteles; intellectus non eſt in brutis,& tamen in ipſis non eſt motus

calis, quare intellectus non eſt principium motus in animalibus: reſpondeo, rationem illam nihil aliud probare, niſi quod intellectus non eſt ſolum, & adęquatum principium motus progreſſiui, quia ſic bruta, quæ carent intellectu, non mouerentur eo motu: ſed, ſi ſub intellectu comprehendamus ipſam imaginationem, quemadmodum fecit Ariſtoteles 3. de Anima, dicens, ſi quis imaginationem ſumat, ut quandam intellectionem; intellectus ſic acceptus erit principium adæquatum motus animalium: itaque intellectus proprie dictus practicus tamen, & uoluntas erunt principium motus in homine: phantaſia uero, & appetitus erunt principium in brutis: & conſequenter cum intellectus, tum phantaſia erit natura: ſic igitur oſtenſum ſit, uerba Ariſtotelis 1. de partibus ſcripta, & eiuſdem rationes nihil contra nos facere, quia Ariſtoteles, ut diximus, nullam ſententiam ſibi probatam eo loco ſtatuit; ſed propoſuit tantum dubitationem, & attulit rationes pro parte falſa, quas non diſſoluit; tum, quia erant faciles ſolubiles, & ſolutio primæ ex iis, quæ ibi dixerat, facile conſtabat; tum, quia uidebat, illum non eſſe locum proprium explicandi ſecundam illam dubitationem. cum enim liber de partibus ordine, doctrina antecedat librum de Anima, ut in diſputatione de ordine librorū Ariſtotelis alias oſtendimus, & ſuo loco oſtendemus, iccirco reiecit ad librum de Anima, & ad librum de cōmuni motu, explicationem dubitationis, & ſolutionē ſecundæ rationis.
11 Afferunt præterea Petrus Pomponatius, & Caietanus de Vio duos locos Ariſtotelis in 3. de anima: quorum alter eſt in tex. 20. ubi loquens Ariſtoteles, ut putant ipſi, de intellectu agente, dixit: *ſeparatum autem eſt ſolum hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, & perpetuum*. Id eſt, exponunt ipſi, ſeparatus eſt in eſſendo, ſcilicet intellectus agens, ad differentiā ſeparationis formalis tantum, quæ conuenit etiam, dicunt ipſi, intellectui poſſibili, qui ſeparatur, ſicut rectum. Alter uero locus eſt in tex. 36. ubi ſupponens, intellectum poſſibilem non eſſe ſeparatum, proponit quæſtionem: Vtrum intellectus poſſibilis, cum ſit in magnitudine, non autem ab ea ſeparatus,

paratus, poſſit intelligere ſubſtantias ſeparatas. Ad primum locum ſatis reſponſum eſt in expoſitione illius loci, ubi diximus, Ariſtotelem ibi loqui de intellectu in actu, ut etiam paullo ſupra diximus: in quo cum duo ſint, ſubſtantia ſcilicet, & eius operationes; ne quis, auctoritate Platonis deceptus, crederet, operationes eius, ſiue ſpecies intelligibiles eſſe perpetuas, qualis eſt ſubſtantia ipſius, dixit, ſolam ſubſtantiam eius, quæ uere eſt, eſſe perpetuam, non autem operationem. quod uero non loquatur Ariſtoteles de intellectu agente, ſi ille ſit Deus, uel alia intelligentia, ut fingunt, ex eo poſſumus intelligere, quod ſolus Deus, ſiue alia intelligentia non eſt immortalis, & perpetua. Sed, quamuis loqueretur Ariſtoteles de intellectu agente, ille locus nihil illis faueret, quia diceremus, ſenſum illorum uerborum eſſe hunc, quod eſt, ſubſtantiam ſcilicet intellectus agentis ſolã, non autem eius operationem eſſe perpetuam; etenim operatio eius, quæ eſt illuſtratio phantaſmatum, hoc eſt ſeparatio eorum a condicionibus materialibus, & indiuiduis, non eſt perpetua; niſi, ſicut fortaſſe diceret Ariſtoteles, intellectionem eſſe perpetuam, quia ſemper eſt in aliquo homine.

Ad ea uero, quæ obiiciebant ſecundo loco ex tex. 36. tertij lib. de Anima, dico, quod, licet Ariſtoteles concederet, intellectum eſſe in corpore, & eſſe coniunctum cum magnitudine, non tamen concederet, neque inde ſequitur, ipſum abſolute eſſe inſeparabilem: quia ex ſententia etiam ipſius eſt ſeparabilis ab hoc, & illo corpore. Addamus etiam, ipſum eſſe ſeparabilem ſecundũ cauſſalitatem, quia non educitur e potentia materiae, licet quoad operationes ſit coniunctus cum materia, ſiue cum magnitudine. Et hoc eſt, quod ibi in dubitatione ſupponebat Ariſtoteles, & unde ibi oritur quæſtio propoſita. Adſunt & alia uerba, quæ uidentur fauere mortalitati. ſed illa interpretabimur, dum rationes, quæ iis innituntur, diſſoluemus. Quare ad diſſoluendas ipſas accedamus.

Caput II.

ALexander Aphrodiſeus, primus inter Peripateticos, ſiue Ariſtotelis interpretes auctor, & acerrimus pro ugnator mortalitatis, quattuor potiſſimum uidetur uti ra- ionibus: quas ſigillatim afferemus, & diſſoluemus.

Prima, quæ ſumitur a definitione animæ, eſt hæc: omnis ndelechia eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt endelechia: ſed mnis anima eſt endelechia corporis naturalis organici: er o omnis anima eſt inſeparabilis a corpore naturali organi- o: quare omnis anima eſt mortalis. Maiorem propoſitio- iem probat Alexander: quia, ſicut terminus eſt inſeparabi- is ab eo, cuius eſt terminus, ſic endelechia eſt inſeparabilis b eo, cuius eſt endelechia. Minor uero uidetur conſtare ex erbis Ariſtotelis, aſſerentis in tex. 7. & clarius in tex. 8. 2. le Anima, definitionem illam animæ, quam tradidit, eſſe ommunem omni animæ animantis corruptibilis. Confir- natur hæc ratio teſtimonio Ariſtotelis 2. de Anima tex. 26. ibi cum dixiſſet, animam eſſe endelechiam, ſiue actum cor- oris, & non e contra, ſubiunxit, illos bene dixiſſe, quibus ne que ſine corpore, neque corpus aliquod, anima uidetur eſſe.

Ad hanc rationem diuerſi diuerſimode reſpōdent. Ioan- nes Grammaticus in commentarijs ſuis 2. de anima dicit, eſſe aliqua opera animæ intellectiuæ, ratione quorum eſt actus corporis, ut uita, & motus, & ratione horum eſt inſepa rabilis; alia uero eſſe ratione quorum non eſt actus corpo- ris, ut intellectio, & uolitio, ratione horum non eſt actus cor poris, & ita eſt ſeparabilis. (Ioannes Gramm. 2. de anima comm. 16.)

Sed hæc reſponſio multis urgetur incommodis. ac pri- mum, ne laboremus in æquiuoco, quæro ex ipſo, quid per Vi tam ſignificat? an Vitam accipiat, ut Ariſtoteles in 2. de Anima tex. 3. cum dicit, *uitam autem dicimus, quæ per ipſam fit ali tionem, auctionem, & diminutionem.* Et in tex. 14. cum dixit, Vi- uere per hoc principiū, ſcilicet per animā uegetatiuā ineſſe omnibus uiuentibus, nempe corruptibilibus. Et in tex. 24. cū Vitam tribuit animæ uegetatiuæ. Et in tex. 34. cū dicit, per ue

getati-

getatiuã animã omnia uiuere: ſi ſic, inquã, Vitam accipiat, cum illa pertineat tantũ ad uegetatiuam: expoſitio, & reſponſio ipſius nihil ad propoſitam dubitationem pertinebit: ſi uero Vitam, pro uita intellectiua accipiat, quemadmodũ in propoſito eſt accipienda, & quemadmodum accepit Ariſtoteles in tex. 13. cum inter gradus uitæ ipſum etiam intellectum numerat; & in tex. 37. cum dixit uitã eſſe eſſentiã uiuentium, quæ uita proculdubio non ſolum in uegetatiuam, ſed ſenſitiuam, & intellectiuam, & ſecundum locum motiuã diuiditur, patet, cum intellectus ſit principium, & cauſſa huius uitæ, ratione huius uitæ, & conſequenter ratione intellectionis, intellectum eſſe actum corporis: quare ſequitur, ex conceſſione ipſius Ioannis, ipſum etiam ratione intellectionis eſſe inſeparabilem a corpore.

Idem confirmatur ex ratione Ariſtotelis in tex. 24. 2. lib: ubi demõſtrauit, omnem animam eſſe formam, & inter alias expreſſit eam, qua primo intelligimus: quare anima, ut eſt primum principium intellectionis, eſt forma, & actus primus corporis: ergo ratione etiam intellectionis erit inſeparabilis a corpore. Quare reſponſio Ioannis non ſolum non tollit, ſed cõfirmat, & auget difficultatem. Præterea, hæc eiuſdem Ioannis diſtinctio omnino confundit naturam animæ: quia Ariſtoteles in tex. 30. oſtendit, definitionẽ illam, quod ſcilicet anima ſit actus primus corporis organici, eſſe communem omni animæ, nullius tamen propriam. & ſupra in tex. 7. & 8. dixerat uniuerſaliter dictum eſſe, quid ſit anima: quare omnis anima abſolute eſt actus corporis: &, quia eſt actus primus, & principium operandi, iccirco, ratione omnium operationum, neceſſe eſt, ipſam eſſe actum primum. nam, ſi darentur aliquæ operationes, ratione quarum ipſa non eſſet actus primus, illæ non poſſent referri in animam, tamquam in ſuam cauſſam. Quare, cum intellectio, & uolitio referantur in animam intellectiuam, tamquam in ſuam cauſſam, neceſſe eſt, ipſam ratione etiam harum operationũ eſſe actum primum corporis.

Huc accedit, quod anima intellectiua, quoad omnes ſuas

ꝑperationes,pendet a corpore,eo modo,quo diximus : qu o
it, ut ratione omnium ſit actus corporis. Amplius, anima
ntellectiua,ut intelligit, & uult, eſt anima, ergo ut intelli-
git,& uult,eſt actus primus corporis;quia omnis anima ani-
nalis corruptibilis,ut talis,eſt actus primus corporis organi
ci, ſeu potentia uitam habentis. Item, ſi anima intellecti-
ua,ut dat uitam,& motũ,eſt inſeparabilis,ergo ut talis, per
ea,quæ dicuntur a Ioanne,erit mortalis : ſed ut talis, per ea
quæ demonſtrata ſunt ab Ariſtotele,non afficitur affectione
corporis,neque habet organum corporeum immediate ſci-
licet : ergo ut talis non poteſt eſſe mortalis. Quare ex his
ntelligitur,nullã eſſe illam Ioannis Grammatici diſtinctio-
nem,cum ex ipſo inferantur contradictoria.

Demum, homo eſt homo per animam intellectiuam, ut
eſt principium intelligendi,& uolendi. ergo anima intelle-
ctiua, ut tale principium, dat eſſe homini : quare eſt forma
hominis, & actus primus : ergo ratione intellectionis eſt a-
ctus corporis. Quare, ſi omnis actus abſolute eſſet inſepa-
rabilis, quemadmodum uidetur concedere Ioannes,ſeque-
retur omnino ipſam eſſe inſeparabilem : quod tamen alie-
num eſt a ueritate, & natura ipſius intellectus, a ſententia
Ariſtotelis,atque etiam ipſius Ioannis. Marcus Antonius
Zimara in contradictionibus 2. de Anima ſuper tex. 26. di-
cit, animam rationalem poſſe dupliciter concipi : altero
modo, ut animam; altero uero, ut intellectum. Si primo
modo concipiatur, ſic eſt inſeparabilis a corpore; ſi uero ſe-
cundo modo, ſcilicet quatenus intellectus, & ſecundum ſe
abſolute conſideretur, ſic eſt inſeparabilis a corpore, & ſic
non pendet a phantaſia,neque concernit corpus.

Sed hæc reſponſio ſecum, & cum Ariſtotele pugnat, ne-
que tollit dubitationem. quod ſecum pugnet,oſtẽdo:quia,
cum dicit,animam rationalem poſſe dupliciter concipi; al-
tero modo,ut animam; altero uero,ut intellectum; non po-
teſt ſignificare,per hunc ſecundum modum eam conſidera-
ri,niſi ut intellectum humanum, non autem, quatenus no-
men intellectus cõmune eſt etiam intelligentijs ipſis : quod

cognoiſcitur ex uerbis ipſis: quia, ſi conſideretur ut nomen intellectus patet etiam in intellectum diuinum, intellectus ſic acceptus non conſideratur in libris de Anima. Neque uerum eſt, intellectum tam late ſumptum, quam late patet, intelligere ſine phantaſia, quia ſic omnis intellectus intelligeret ſine phantaſia, ſine qua tamen intellectus humanus non intelligit.

Cum ergo dicit, animam conſiderari ut intellectum, neceſſe eſt, ut ſignificet, eam conſiderari ut intellectum humanum: ſed intellectus humanus, ut talis, eſt intellectus in potentia: quare non poteſt intelligere ſine phantaſia repræſentante ipſi phantaſmata, per quę in actū deducatur. Quod etiam demonſtrauimus in diſputatione huic argumento deſtinata, qua quærebatur, an intellectus noſter aliquid umquam ſine phantaſmate intelligat. Si ergo loquitur ipſe Zimara de intellectu humano, cum ipſe, ut talis eſt, non intelligat ſine phantaſia, ergo ipſe, ut talis, erit inſeparabilis: at ipſe dicit, cum hoc modo acceptum eſſe ſeparabilem: quare cogitur ſibimet repugnantia aſſerere.

Præterea, ſi intellectus accipiatur, ut intellectus humanus, cum ille, ut talis, ſit idem re, quod anima intellectiua: ſi anima intellectiua eſt inſeparabilis, & ipſe quoque intellectus, ut talis, erit inſeparabilis. ſic igitur ſibi aduerſatur Zimara. Aduerſatur etiam Ariſtoteli in 2. de Anima tex. 11. ubi loquens Ariſtoteles de intellectu, ut eſt pars animæ, concedit, ipſum eſſe ſeparabilē, quia dixit, nihil prohibere quaſdam partes animę ſeparari, quia nullius corporis ſunt actus: & huiuſmodi proculdubio ſunt intellectus, & uoluntas: ſic igitur intellectus, ut pars animæ, erit ſeparabilis: quare & ſibi, & Ariſtoteli aduerſatur. Non tollit etiam dubitationem, quia homo eſt homo per intellectum, ut eſt intellectus humanus: quare neceſſe eſt, ut forma ſit, ſitq. actus primus: & ideo, cum actus ſit inſeparabilis ab eo, cuius eſt actus, ipſe erit inſeparabilis a corpore. Quare alij reſpondent, duplicem eſſe actum; alterum quidem eductum de potentia materiæ, & hunc eſſe inſeparabilem; alterum uero non eductum,

ctum,& hunc eſſe ſeparabilem, intellectum autem humanũ
ſſe huiuſmodi actum. Cum uero dicitur,omnis actus eſt in
eparabilis ab eo,cuius eſt actus, tandem eo confugiunt, ut
icant, omnem actum eſſe inſeparabilem ſecundum ſitum,
cet non ſecundum cauſſalitatem, cum non educatur e po-
entia materiæ.

Sed,licet diſtinctio illa actus ſit uera,non tamen omnino
ollit dubitationem, neque conciliat omnia dicta Ariſtote-
s: quia, ſicut Ariſtoteles in tex. 11. 2. libri de Anima ne-
at,partes alias animæ eſſe inſeparabiles,quia ſunt actus ali
uarum corporis partium: ita concedit,intellectum eſſe ſe-
arabilem, propterea quod nullius corporis eſt actus. ſed
egat,alias partes animæ eſſe inſeparabiles,non ſolũ ſecun-
um cauſſalitatem,ſed etiam ſecundum ſitum: ergo conce-
it,intellectum non ſolum eſſe ſeparabilem ſecundum cauſ-
alitatem,ſed etiam ſecundum ſitum.

Præterea,ratio,qua adductus eſt Ariſtoteles in tex. 11. ut
iceret,intellectum eſſe ſeparabilem, quia nullius corporis
ſt actus, eſt eadem fere cum illa, qua uſus eſt in 3. de Ani-
na tex. 6. & 2. de generat. animalium cap. 3. cum dixit, in-
ellectum non habere organum corporeum: quare,cum illa
robet, intellectum eſſe ſeparabilem, non ſolum ſecundum
auſſalitatem,ſed etiam ſecundum ſitum,hæc quoque idem
robabit.

Caput III.

ALij uero,diſtinguentes actum,qui eſt forma ſubſtantia
lis,in illum,qui informat,ſiue dat eſſe, & perficit eſ-
entiam; & in eum,qui tantum aſſiſtit, ſicq; operationes dũ-
axat perficit, reſpondent, omnem actum eſſe inſeparabilẽ
lantem eſſe,aſſiſtentem uero minime, & huiuſmodi eſſe in-
tellectum humanum.

Sed hæc reſpõſio nititur diſtinctioni dubiæ, ne dicam fal
ſæ, alienæ certe a ſententia Ariſtotelis: quandoquidem ex
ſententia ipſius omnis forma ſubſtantialis dat eſſe: & for-

telem locutum eſſe de anima ibi indefinite,cum dixit ipſam moueri ex accidenti,&c,quia indefinita æquipollet particulari,ſatis eſt,illa uerba uerificari de aliqua anima,ut puta de uegetatiua,& ſenſitiua: non poſſunt autem uerificari de intellectiua, cuius natura non eſt capax motus, illam tamen non excepit, quia nondum peruenerat ad locum proprium, in quo explicaturus erat hanc eius naturam incapacem motus,& demonſtraturus ipſam non eſſe mixtam cum corpore, ſicq. eſſe immaterialem,& conſequenter indiuiſibilem. Ex quo ſequitur,ipſam nullo modo,quod ad eius eſſentiam pertinet, moueri poſſe motu corporis. Quod ſi dicas, ſi anima rationalis non mouetur,ſaltem ex accidẽti,ſequetur, ipſam non eſſe formam naturalem,neque ad philoſophum naturalem pertinere,cum nihil immobile, ut ſæpe teſtatũ reliquit Ariſtoteles,ad naturalem pertineat; quod etiam confirmauit ſecundo de naturali auſcult.tex.71. ubi dicit, quæcunque mota mouent, eſſe phyſicæ conſiderationis; quæcunque uero non,non eſſe amplius phyſicæ.& in tex.72. dixit, duplicia eſſe mouentia phyſice, quorũ alterum non eſt phyſicum: tale uero eſt, ſi aliquid mouet, quod non mouetur, ut id, quod penitus immobile eſt,& quod omnium primum.

Reſpondeo, animam rationalem eſſe formam naturalem, quia eſt forma hominis ad naturalem pertinentis,& non eſt cauſſa entis, ut ens; neque prima ſpecies entis, quales ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quibus nominibus pertinent ad primũ philoſophum. Ea uero,quæ pertinent ad naturalem per ſe, & primo, ſunt corpora naturalia, quæ ſunt mobilia per ſe: alia uero,quæ non pertinent principaliter, neque ut ſubiecta,ſunt mobilia per accidens. Horum uero alia ſunt mobilia per accidens,& quoad eſſentiam, & quoad operationes, alia uero quoad operationes tantum, & huiuſmodi eſt anima intellectiua,quæ licet quoad eſſentiam ſit immobilis, tũ per ſe,tum ex accidenti,eſt tamen mobilis quoad operationes,quæ mutantur ex accidenti mutatione corporei temperamenti,licet ipſa nihil mutetur. Poteſt etiam dici mobilis ex accidenti ratione ſenſus,quem ſociũ habet in operando.

Ad con-

Ad confirmationem uero ſumptam ex tex. 72. illius 2. lib. de naturali auſcult. reſpondeo, Ariſtotelē ibi loqui de cauſis efficientibus generationis, cuiuſmodi non eſt anima intellectiua: nam homo generat ex ſententia Ariſtotelis per animam ſenſitiuam, quatenus ſubit uicem uegetatiuæ; & ita intelligitur, locum illum nihil contra nos facere. Non negamus tamen, ut ante diximus, quin anima noſtra moueatur; tum, ratione ſuarum operationum, quæ mutantur ratione corporei temperamenti; tum, quia non mouet ſine ſenſitiua; immo ex illis duabus efficitur unum principium motiuū. Et, quia ſenſitiua mouetur ex accidenti, iccirco anima rationalis ratione ipſius poſſet dici mobilis ex accidenti, quare non poteſt excludi hoc nomine a philoſophia naturali, quia non eſt penitus, & omnino immobilis, quales ſunt mentes illæ cæleſtes, quas intelligentias appellamus.

Eſt & alius locus 6. Metaphyſ. tex. 3. qui contra nos uidetur facere: ubi cum dixiſſet, definitiones naturales cum materia ſumendas eſſe, ſubiunxit, manifeſtum eſſe, quonam modo naturalibus in rebus ipſum quid eſt quærere, & definire oporteat, & quamobrem ad naturalē philoſophum pertineat contemplari de aliqua anima, quæ non ſine materia: cui loco conſimilis eſt alius locus in 1. de Anima tex. 15. Sed ad hæc, & alia id genus, quæ contra nos uidentur facere, facile reſpondetur, ſi dicamus, animam rationalem non eſſe ſine materia, quia, licet eſſentia eius non ſit materia, dicit tamen ordinem eſſentialem ad illam. Quare, etſi ſecundum ſe ſit ſeparabilis a materia, cum illam non includat eſſentialiter, definiri tamen non poteſt eſſentialiter abſque ordine ad materiam, & corpus organicum: ideoque neceſſe eſt, ut in eius definitione ponatur corpus, ſicuti Ariſtoteles definiuit animam actum corporis organici potentia uitam habentis. Sed contra id, quod dictum eſt animam intellectiuam eſſe formam naturalem, & ad philoſophum naturalem pertinere, non ad metaphyſicum, obijceret aliquis fortaſſe ea, quæ ſcripta ſunt ab Ariſtotele 1. de partibus animalium, cap. 1. ubi cum dixiſſet maiorem habendam eſſe ratio

nem formæ, quam materiæ in contemplatione animalium, ſubiunxit dubitationem, in cuius ſolutione uidetur negare animam eſſe naturam, uideturq. eius contemplationem adimere philoſopho naturali. ſed, quoniam pro explicatione illius loci, in quo uideo multos lapſos eſſe, multa ſunt dicenda; iccirco, ne longius digrediamur a principali noſtro inſtituto, huic tractationi de immortalitate animę adiungemus, ſimulq. cum ea, fauente Deo, in lucem edemus diſputationem de genere ſcientiæ de anima; in qua & locum illum 1. de partibus explicare, & multa alia ad eam pertinentia pro ingenij, & doctrinæ noſtræ imbecillitate declarare conabimur, uel, ſi poterimus, una cum commentarijs noſtris in libros Ariſtotelis de Anima, in quorum prolegomenis de his abunde tractauimus, hæc quoque dilucidabimus: pro tempore tamen, ne locus ille 1. de partibus alicui occaſionem erroris præbeat, dicimus, Ariſtotelem ibi nihil decreuiſſe, aut determinaſſe, ſed propoſuiſſe tantum dubitationem aduerſus ea, quæ dixerat: quod unuſquiſque inſpiciens uerba eius facile intelliget: uidebit enim ipſum dicere, poſſe aliquem dubitare, animaduertentem id, quod paullo ante dixerat, utrum ne philoſophi naturalis interſit, loqui de omni anima, an de aliqua tantum parte animæ: cauſſam dubitationis illam eſſe dicebat: quia, ſi de omni anima nulla præter naturalem ſcientiam relinquetur philoſophia: quia, ſi de omni anima agit philoſophus naturalis, aget etiam de intellectu, quare de omni intelligibili, quia intellectus, & intelligibile ad inuicem referuntur: poſita hac dubitatione, & cauſſa dubitationis, uidebatur Ariſtoteles reſpondere per methodum interrogationis, non tamen reſpondet, ſed affert aliam rationem, in qua reuocatur in dubiū id, quod eſt fundamentum diſputationis. nam, cum ſuperius oſtendiſſet, pertinere ad naturalem, diſſerere de anima, ea præſertim ratione, quod anima eſt natura, reuocat in dubium in ſecunda ratione, an omnis anima ſit natura: & dubitanter loquens innuit hanc rationem, quæ uidetur perſuadere, omnem animam non eſſe naturam: uidelicet, ad naturalem pertinet,

onſiderare illas animas, quæ ſunt naturæ: ſed non omnis
nima eſt natura: ergo ad philoſophum naturalem non per
inet agere de omni anima. minorem ponit, dubitanter ta-
nen loquens, & probat ipſam ratione ſumpta a definitione
aturæ, in hunc modum: omnis natura eſt principium mo-
us in eo, cuius eſt natura: ſed omnis anima non eſt princi-
ium motus: &, quia anima intellectiua non eſt principium
uctionis, propterea quod plantæ augentur, quæ ſolam ha-
ent animam uegetatiuam; nec etiam eſt principium alte-
ationis, quia hoc eſt opus animæ ſenſitiuæ; neque etiam
notus localis, quoniam bruta ex alio in alium locum a ſeip-
ſis mouentur, & tamen carent intellectu: iccirco ex hac ra-
tione, quę & ipſa quoque ad confirmandam illam dubitatio
nem fuit adducta, inferebat Ariſtoteles, perſpicuum eſſe, nō
pertinere ad phyſicum diſſerere de omni anima: quandoqui
dem omnis anima non eſt natura, ſed aliqua eius pars, una,
aut etiam plures. Has igitur duas dubitationes ad confir-
mandam dubitationem propoſitam attulit Ariſtoteles, qui-
bus crediderunt aliqui, & illi quidem egregij uiri, Ariſtote-
lem addere tertiam rationem in eandem ſententiam, cum
ſtatim ſubiūgit *amplius*, ſupple tu perſpicuum eſt, nullius rei,
quæ ex abſtractione ſit, phyſicam eſſe contemplatricem: ſed
in illis uerbis conuertit Ariſtoteles ſermonem ad res mathe
maticas, ut oſtendat, phyſicum non conſiderare aliquam rē
mathematicam, ut talis eſt, hoc eſt per abſtractionem intel-
lectus conſiderata; quare duæ tantum in eo loco afferuntur
rationes, quæ contra noſtram concluſionem uidentur face-
re: nos uero pro ſolutione dicimus, Ariſtotelem nihil ibi de
cernere, ex quo ſententiam eius colligere poſſimus, ſed prò
dubitatione, & ratione dubitationis afferre illas rationes
probabiles tantum, & apparentes, ex quibus inferebat, non
pertinere ad naturalem, diſſerere de intellectu. quæ illatio
inferebatur ab Ariſtotele, non tamquam dogma ab ipſo pro
batum, ſed tamquam conſequens ex illis rationibus dialecti
cis, & pro confirmatione dubitationis allatis, ſicut ſolemus
nos, ex rationibus dialecticis, atque etiam ſophiſticis, & pro

O 2 parte

parte falſa adductis, ſæpe inferre concluſiones, quæ ex illis ex ui, & neceſſitate conſequentiæ ſequuntur: quod ita ſe habere, facile intelligetur, ſi rationes illas conſideremus. etenim facile ſolubiles, & defectuoſæ ſunt utræque: & ex ijs, quæ alibi ab Ariſtotele dicta ſunt; facile colligitur ſolutio, & defectus earum: & ideo ſolutionem earum prætermiſit Ariſtoteles: cum enim primum argumentatur, ſi phyſicus agit de intellectu, ergo de omni intelligibili; ſequitur, tantum ipſum agere de omni intelligibili, quatenus intelligibile eſt, & quatenus refertur ad intellectum. quod cognoſcitur ex natura relatiuorum, cui ratio Ariſtotelis nititur. qui enim conſiderat unum relatiuum, cõſiderat & alterum, quatenus eſt ei correlatiuum, non autem conſiderat naturam, & accidentia eius abſoluta: & ideo non ſequitur, ſi phyſicus conſiderat intellectum, alias ſcientias fore ſuperuacaneas, quia intelligibile, quatenus ad propoſitum pertinet, habet duplicem rationem; alteram, qua eſt intelligibile, & eſt aptum ad mouendum intellectum; alteram uero, quatenus eſt tale ens. ſi ratio Ariſtotelis probaret omnia intelligibilia, ſecundum utramque rationem conſiderari à phyſico conſiderante intellectum, ſic quidem ſequeretur, omnes ſcientias eſſe ſuperuacaneas, ſed probat ea pertinere tantũ, quatenus pertinent, ſiue referuntur ad intellectum. quare non ſequitur, alias ſcientias fore ſuperuacaneas. Secunda uero ratio, quæ maiorem poterat ingerere dubitationem, facile ſoluitur, & ſoluta fuit ab Ariſtotele, cum peruenit ad locum proprium, ubi erat agendum de intellectu. Etenim in 3. de Anima tex. 48. & 49. & in libro de communi motu animal. docuit, intellectum practicum, qui ſolo fine differt a ſpeculatiuo, eſſe principiũ motus progreſſiui in hominibus, & conſequenter ipſum eſſe naturam. Quare in libro de partibus, qui antecedit librum de anima, atque etiam librum de communi motu, propoſuit dubitationem, an omnis anima eſſet natura; & adduxit rationem pro parte falſã, ut in loco proprio ſolueretur. cum enim argumẽtatur Ariſtoteles, intellectus non eſt in brutis, & tamen in ipſis non eſt motus

ocalis, quare intellectus non eſt principium motus in animalibus: reſpondeo, rationem illam nihil aliud probare, niſi quod intellectus non eſt ſolum, & adæquatum principium motus progreſſiui, quia ſic bruta, quæ carent intellectu, non mouerentur eo motu: ſed; ſi ſub intellectu comprehendamus ipſam imaginationem, quemadmodum fecit Ariſtoteles 3. de Anima, dicens, ſi quis imaginationem ſumat, ut quandam intellectionem, intellectus ſic acceptus erit principium adæquatum motus animalium: itaque intellectus proprie dictus, practicus tamen, & uoluntas erunt principium motus in homine; phantaſia uero, & appetitus erunt principium in brutis. & conſequenter cum intellectus, tum phãtaſia erit natura: ſic igitur oſtenſum ſit, uerba Ariſtotelis 1. de partibus ſcripta, & eiuſdem rationes nihil contra nos facere, quia Ariſtoteles, ut diximus, nullam ſententiam ſibi probatam eo loco ſtatuit, ſed propoſuit tantum dubitationem, & attulit rationes pro parte falſa, quas non diſſoluit; tum, quia erant facile ſolubiles, & ſolutio primæ ex ijs, quæ alibi dixerat, facile conſtabat; tum, quia uidebat, illum non eſſe locum proprium explicandi ſecundam illam dubitationem. cum enim liber de partibus ordine, doctrina antecedat librum de Anima, ut in diſputatione de ordine librorũ Ariſtotelis alias oſtendimus, & ſuo loco oſtendemus, icirco reiecit ad librum de Anima, & ad librum de cõmuni motu, explicationem dubitationis, & ſolutionẽ ſecundæ rationis.

Afferunt præterea Petrus Pomponatius, & Caietanus de Vio duos locos Ariſtotelis in 3. de anima: quorum alter eſt in tex. 20. ubi loquens Ariſtoteles, ut putant ipſi, de intellectu agente, dixit: *ſeparatum autem eſt ſolum hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, & perpetuum.* Id eſt, exponunt ipſi, ſeparatus eſt in eſſendo, ſcilicet intellectus agens, ad differentiã ſeparationis formalis tantum, quæ conuenit etiam, dicunt ipſi, intellectui poſſibili, qui ſeparatur, ſicut rectum. Alter uero locus eſt in tex. 36. ubi ſupponens, intellectum poſſibilem non eſſe ſeparatum, proponit quæſtionem: Vtrum intellectus poſſibilis, cum ſit in magnitudine, non autem ab ea ſeparatus,

paratus, poſſit intelligere ſubſtancias ſeparatas. Ad primum locum ſatis reſponſum eſt in expoſitione illius loci, ubi diximus, Ariſtotelem ibi loqui de intellectu in actu, ut etiam paullo ſupra diximus: in quo cum duo ſint, ſubſtantia ſcilicet, & eius operationes; ne quis, auctoritate Platonis deceptus, crederet, operationes eius, ſiue ſpecies intelligibiles eſſe perpetuas, qualis eſt ſubſtantia ipſius, dixit, ſolam ſubſtantiam eius, quæ uere eſt, eſſe perpetuam, non autem operationem. quod uero non loquatur Ariſtoteles de intellectu agente, ſi ille ſit Deus, uel alia intelligentia, ut fingunt, ex eo poſſumus intelligere, quod ſolus Deus, ſiue alia intelligentia non eſt immortalis, & perpetua. Sed, quamuis loqueretur Ariſtoteles de intellectu agente, ille locus nihil illis faueret, quia diceremus, ſenſum illorum uerborum eſſe hunc, quod eſt, ſubſtantiam ſcilicet intellectus agentis ſolã, non autem eius operationem eſſe perpetuam; etenim operatio eius, quæ eſt illuſtratio phantaſmatum, hoc eſt ſeparatio eorum a condicionibus materialibus, & indiuiduis, non eſt perpetua; niſi, ſicut fortaſſe diceret Ariſtoteles, intellectionem eſſe perpetuam, quia ſemper eſt in aliquo homine.

Ad ea uero, quæ obiiciebant ſecundo loco ex tex. 36. tertij lib. de Anima, dico, quod, licet Ariſtoteles concederet, intellectum eſſe in corpore, & eſſe coniunctum cum magnitudine, non tamen concederet, neque inde ſequitur, ipſum abſolute eſſe inſeparabilem: quia ex ſententia etiam ipſius eſt ſeparabilis ab hoc, & illo corpore. Addamus etiam, ipſum eſſe ſeparabilem ſecundũ cauſſalitatem, quia non educitur e potentia materiae, licet quoad operationes ſit coniunctus cum materia, ſiue cum magnitudine. Et hoc eſt, quod ibi in dubitatione ſupponebat Ariſtoteles, & unde ibi oritur quæſtio propoſita. Adſunt & alia uerba, quæ uidentur fauere mortalitati. ſed illa interpretabimur, dum rationes, quæ iis innituntur, diſſoluemus. Quare ad diſſoluendas ipſas accedamus.

Caput II.

ALexander Aphrodiſeus, primus inter Peripateticos, ſiue Ariſtotelis interpretes auctor, & acerrimus pro pugnator mortalitatis, quattuor potiſſimum uidetur uti rationibus: quas ſigillatim afferemus, & diſſoluemus.

Prima, quæ ſumitur a definitione animæ, eſt hæc: omnis endelechia eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt endelechia: ſed omnis anima eſt endelechia corporis naturalis organici: ergo omnis anima eſt inſeparabilis a corpore naturali organico: quare omnis anima eſt mortalis. Maiorem propoſitionem probat Alexander: quia, ſicut terminus eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt terminus, ſic endelechia eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt endelechia. Minor uero uidetur conſtare ex uerbis Ariſtotelis, aſſerentis in tex. 7. & clarius in tex. 8. 2. de Anima, definitionem illam animæ, quam tradidit, eſſe communem omni animæ animantis corruptibilis. Confirmatur hæc ratio teſtimonio Ariſtotelis 2. de Anima tex. 26. ubi cum dixiſſet, animam eſſe endelechiam, ſiue actum corporis, & non e contra, ſubiunxit, illos bene dixiſſe, quibus neque ſine corpore, neque corpus aliquod, anima uidetur eſſe.

Ad hanc rationem diuerſi diuerſimode reſpődent. Ioannes Grammaticus in commentarijs ſuis 2. de anima dicit, eſſe aliqua opera animæ intellectiuæ, ratione quorum eſt actus corporis, ut uita, & motus, & ratione horum eſt inſeparabilis; alia uero eſſe ratione quorum non eſt actus corporis, ut intellectio, & uolitio, ratione horum non eſt actus corporis, & ita eſt ſeparabilis. Ioannes Gramm. 2. de anima comm. 26.

Sed hæc reſponſio multis urgetur incommodis. ac primum, ne laboremus in æquiuoco, quæro ex ipſo, quid per Vitam ſignificat? an Vitam accipiat, ut Ariſtoteles in 2. de Anima tex. 3. cum dicit, *uitam autem dicimus, quæ per ipſam ſit alitionem, auctionem, & diminutionem*. Et in tex. 14. cum dixit, Viuere per hoc principiũ, ſcilicet per animã uegetatiuã ineſſe omnibus uiuentibus, nempe corruptibilibus. Et in tex. 24. cũ *Vitam* tribuit animæ uegetatiuæ. Et in tex. 34. cũ dicit, per ue

getati-

getatiuã animã omnia uiuere: ſi ſic, inquã, Vitam accipiat, cum illa pertineat tantũ ad uegetatiuam: expoſitio, & reſponſio ipſius nihil ad propoſitam dubitationem pertinebit: ſi uero Vitam, pro uita intellectiua accipiat, quemadmodũ in propoſito eſt accipienda, & quemadmodum accepit Ariſtoteles in tex. 13. cum inter gradus uitæ ipſum etiam intellectum numerat; & in tex. 37. cum dixit uitã eſſe eſſentiã uiuentium, quia uita proculdubio non ſolum in uegetatiuam, ſed ſenſitiuam, & intellectiuam, & ſecundum locum motiuã diuiditur, patet, cum intellectus ſit principium, & cauſſa huius uitæ, ratione huius uitæ, & conſequenter ratione intellectionis, intellectum eſſe actum corporis: quare ſequitur, ex conceſſione ipſius Ioannis, ipſum etiam ratione intellectionis eſſe inſeparabilem a corpore.

Idem confirmatur ex ratione Ariſtotelis in tex. 24. 2. lib. ubi demõſtrauit, omnem animam eſſe formam, & inter alias expreſſit eam, qua primo intelligimus: quare anima, ut eſt primum principium intellectionis, eſt forma, & actus primus corporis: ergo ratione etiam intellectionis erit inſeparabilis a corpore. Quare reſponſio Ioannis non ſolum non tollit, ſed cõfirmat, & auget difficultatem. Præterea, hæc eiuſdem Ioannis diſtinctio omnino confundit naturam animæ: quia Ariſtoteles in tex. 30. oſtendit, definitionẽ illam, quod ſcilicet anima ſit actus primus corporis organici, eſſe communem omni animæ, nullius tamen propriam. & ſupra in tex. 7. & 8. dixerat uniuerſaliter dictum eſſe, quid ſit anima: quare omnis anima abſolute eſt actus corporis: &, quia eſt actus primus, & principium operandi, iccirco, ratione omnium operationum, neceſſe eſt, ipſam eſſe actum primum. nam, ſi darentur aliquæ operationes, ratione quarum ipſa non eſſet actus primus, illæ non poſſent referri in animam, tamquam in ſuam cauſſam. Quare, cum intellectio, & uolitio referantur in animam intellectiuam, tamquam in ſuam cauſſam, neceſſe eſt, ipſam ratione etiam harum operationũ eſſe actum primum corporis.

Huc accedit, quod anima intellectiua, quoad omnes ſuas opera-

perationes,pendet a corpore,eo modo,quo diximus: quo
t, ut ratione omnium ſit actus corporis. Amplius, anima
ntellectiua,ut intelligit, & uult, eſt anima, ergo ut intelli-
git,& uult,eſt actus primus corporis,quia omnis anima ani-
nalis corruptibilis,ut talis,eſt actus primus corporis organi
i, ſeu potentia uitam habentis. Item, ſi anima intellecti-
ua,ut dat uitam,& motũ,eſt inſeparabilis,ergo ut talis, per
ea,quæ dicuntur a Ioanne,erit mortalis: ſed ut talis, per ea
quæ demonſtrata ſunt ab Ariſtotele,non afficitur affectione
corporis,neque habet organum corporeum immediate ſci-
licet: ergo ut talis non poteſt eſſe mortalis. Quare ex his
ntelligitur,nullã eſſe illam Ioannis Grammatici diſtinctio-
nem,cum ex ipſo inferantur contradictoria.

Demum, homo eſt homo per animam intellectiuam, ut
eſt principium intelligendi,& uolendi. ergo anima intelle-
ctiua, ut tale principium, dat eſſe homini: quare eſt forma
hominis, & actus primus: ergo ratione intellectionis eſt a-
ctus corporis. Quare, ſi omnis actus abſolute eſſet inſepa-
rabilis, quemadmodum uidetur concedere Ioannes,ſeque-
retur omnino ipſam eſſe inſeparabilem: quod tamen alie-
num eſt a ueritate, & natura ipſius intellectus, a ſententia
Ariſtotelis,atque etiam ipſius Ioannis. Marcus Antonius
Zimara in contradictionibus.2.de Anima ſuper tex. 26. di-
cit, animam rationalem poſſe dupliciter concipi: altero
modo, ut animam; altero uero, ut intellectum. Si primo
modo concipiatur, ſic eſt inſeparabilis a corpore; ſi uero ſe-
cundo modo, ſcilicet quatenus intellectus, & ſecundum ſe
abſolute conſideretur, ſic eſt inſeparabilis a corpore, & ſic
non pendet a phantaſia,neque concernit corpus.

Sed hæc reſponſio ſecum, & cum Ariſtotele pugnat, ne-
que tollit dubitationem. quod ſecum pugnet,oſtẽdo:quia,
cum dicit,animam rationalem poſſe dupliciter concipi; al-
tero modo,ut animam; altero uero,ut intellectum; non po-
teſt ſignificare,per hunc ſecundum modum eam conſidera-
ri,niſi ut intellectum humanum, non autem, quatenus no-
men intellectus cõmune eſt etiam intelligentijs ipſis: quod

cognoſcitur ex uerbis ipſis: quia, ſi conſideretur ut nomen intellectus patet etiam in intellectum diuinum, intellectus ſic acceptus non conſideratur in libris de Anima. Neque uerum eſt, intellectum tam late ſumptum, quam late patet, intelligere ſine phantaſia, quia ſic omnis intellectus intelligeret ſine phantaſia, ſine qua tamen intellectus humanus non intelligit.

Cum ergo dicit, animam conſiderari ut intellectum, neceſſe eſt, ut ſignificet, eam conſiderari ut intellectum humanum: ſed intellectus humanus, ut talis, eſt intellectus in potentia: quare non poteſt intelligere ſine phantaſia repræſentante ipſi phantaſmata, per quę in actũ deducatur. Quod etiam demonſtrauimus in diſputatione huic argumento deſtinata, qua quærebatur, an intellectus noſter aliquid umquam ſine phantaſmate intelligat. Si ergo loquitur ipſe Zimara de intellectu humano, cum ipſe, ut talis eſt, non intelligat ſine phantaſia, ergo ipſe, ut talis, erit inſeparabilis: at ipſe dicit, cum hoc modo acceptum eſſe ſeparabilem: quare cogitur ſibimet repugnantia aſſerere.

Præterea, ſi intellectus accipiatur, ut intellectus humanus, cum ille, ut talis, ſit idem re, quod anima intellectiua: ſi anima intellectiua eſt inſeparabilis, & ipſe quoque intellectus, ut talis, erit inſeparabilis. ſic igitur ſibi aduerſatur Zimara. Aduerſatur etiam Ariſtoteli in 2. de Anima tex. 11. ubi loquens Ariſtoteles de intellectu, ut eſt pars animæ, concedit, ipſum eſſe ſeparabilẽ, quia dixit, nihil prohibere quaſdam partes animę ſeparari, quia nullius corporis ſunt actus: & huiuſmodi proculdubio ſunt intellectus, & uoluntas: ſic igitur intellectus, ut pars animæ, erit ſeparabilis: quare & ſibi, & Ariſtoteli aduerſatur. Non tollit etiam dubitationem, quia homo eſt homo per intellectum, ut eſt intellectus humanus: quare neceſſe eſt, ut forma ſit, ſitq. actus primus: & ideo, cum actus ſit inſeparabilis ab eo, cuius eſt actus, ipſe erit inſeparabilis a corpore. Quare alij reſpondent, duplicem eſſe actum; alterum quidem eductum de potentia materiæ, & hunc eſſe inſeparabilem; alterum uero non edu-

ctum,& hunc eſſe ſeparabilem, intellectum autem humanũ eſſe huiuſmodi actum. Cum uero dicitur, omnis actus eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt actus, tandem eo confugiunt, ut dicant, omnem actum eſſe inſeparabilem ſecundum ſitum, licet non ſecundum cauſſalitatem, cum non educatur e potentia materiæ.

Sed, licet diſtinctio illa actus ſit uera, non tamen omnino tollit dubitationem, neque conciliat omnia dicta Ariſtotelis: quia, ſicut Ariſtoteles in tex. xı. 2. libri de Anima negat, partes alias animæ eſſe inſeparabiles, quia ſunt actus aliquarum corporis partium: ita concedit, intellectum eſſe ſeparabilem, propterea quod nullius corporis eſt actus. ſed negat alias partes animæ eſſe inſeparabiles, non ſolũ ſecundum cauſſalitatem, ſed etiam ſecundum ſitum: ergo concedit, intellectum non ſolum eſſe ſeparabilem ſecundum cauſſalitatem, ſed etiam ſecundum ſitum.

Præterea, ratio, qua adductus eſt Ariſtoteles in tex. xı. ut diceret, intellectum eſſe ſeparabilem, quia nullius corporis eſt actus, eſt eadem fere cum illa, qua uſus eſt in 3. de Anima tex. 6. & 2. de generat. animalium cap. 3. cum dixit, intellectum non habere organum corporeum. quare, cum illa probet, intellectum eſſe ſeparabilem, non ſolum ſecundum cauſſalitatem, ſed etiam ſecundum ſitum, hæc quoque idem probabit.

Caput III.

Alij uero, diſtinguentes actum, qui eſt forma ſubſtantialis, in illum, qui informat, ſiue dat eſſe, & perficit eſſentiam; & in eum, qui tantum aſſiſtit, ſicq. operationes dũtaxat perficit, reſpondent, omnem actum eſſe inſeparabilẽ dantem eſſe, aſſiſtentem uero minime, & huiuſmodi eſſe intellectum humanum.

Sed hæc reſpõſio nititur diſtinctioni dubiæ, ne dicam falſæ, alienæ certe a ſententia Ariſtotelis: quandoquidem ex ſententia ipſius omnis forma ſubſtantialis dat eſſe: & for-

mam uniuerſaliter deffiniuit, per quid erat eſſe: quare ipſe non concederet hanc formam aſſiſtentem, ut alias abunde, & præſertim in 2. lib. de Anima commentarijs demonſtrauimus. Hæc igitur reſponſio utitur diſtinctione, quæ aliena eſt a doctrina Ariſtotelis, & falſò aſſumit intellectum noſtrum eſſe actum aſſiſtentem tantum corpori humano, ut infra in diſputatione propria oſtendemus. Neque tollit dubitationem, quia omnis actus, quicũque ille ſit, ut talis, actus eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt actus: nam & nauta, ut actus nauis, eſt inſeparabilis à naui, licet, ut homo, ſit ſeparabilis. Quamobrem poſſet quis, in doctrina Ariſtotelis perſiſtens, iuxta eius mentem reſpondere, ſalua tamen ueritate, quam poſtea, ueram adhibentes reſponſionem, aperiemus, quod, cum omnis anima animalis mortalis ſit actus corporis naturalis organici, hoc tamen intereſt inter ipſas animas, quod animæ, eductæ e potentia corporis, ſunt actus certi, & determinati corporis, e cuius potentia ſunt eductæ, & ideo ſunt inſeparabiles a corpore illo certo, & definito; aliæ uero ſunt actus nullius certi, & definiti corporis, ſed corporis in ſpecie, & hæ ſunt illæ, quæ nõ ſunt eductæ e potentia materiæ; huiuſmodi eſt anima intellectiua, quæ, ut ſenſit Ariſtoteles, falſo tamen, non eſt actus corporis Socratis, aut Platonis, uel alterius ſingularis hominis, ſed eſt actus corporis humani, ut tale corpus eſt ſcilicet humanum: & ideo inſeparabilis eſt a corpore humano, cum a Socrate, & Platone, & alijs ſingularibus hominibus ſit ſeparabilis. Ariſtoteles uero in tex. illo XI. 2. lib. de Anima comparat animas ad ſingula corpora, & ideo dicit, aliquas partes ſeparari, quia nullius corporis ſcilicet certi, & definiti ſunt actus: & ideo ſeparantur ab hoc, & ab illo corpore; aliquas uero nõ ſeparari, quia non ſunt actus certi, & ſingularis corporis: anima ergo intellectiua, quæ eſt in Socrate, eſt ſeparabilis ab ipſo, & a ſingulis hominibus, non tamen (ut exiſtimat Ariſtoteles) a corpore humano; quia, cum ipſe cenſeat, falſò tamẽ, quòd ſemper durent ſpecies per continuam ſucceſſionem indiuiduorum, ſemper erit corpus humanum: quare anima intellectiua ſem-

a ſemper erit in ipſo: & ideo eſt inſeparabilis ab eo, quia ſt actus proprius,& adæquatus ipſius,quatenus humanum orpus,non autem Socratis,& Platonis, niſi quatenus ſunt omines: ſenſitiua uero,& uegetatiua, ſicut & aliæ formæ ductæ e potentia materiæ,ſunt actus certi,& ſingularis cor oris,e cuius potentia ſunt eductæ, & ideo ſunt inſeparabiles ab illo corpore,& eius morte mortales,ut ſenſitiua, quæ eſt in hoc, & illo equo, eſt inſeparabilis ab ipſo. Quare ad rgumentum principale Alexandri, cum dicebatur, omnis ctus eſt inſeparabilis ab eo,cuius eſt actus,ſed anima intellectiua eſt actus corporis: reſponderet quis, ſequens Ariſto elem tantum,ipſam ex ſententia Ariſtotelis eſſe actum cor oris humani in ſpecie, non autem huius, uel illius indiui dui,& ideo ipſam eſſe inſeparabilem a corpore humano,cu us eſt actus proprius,ſeparabilem uero a corporibus ſingu aribus, quorum non eſt actus proprius. Contra uero, animæ brutorum,& plantarum non ſolum non ſunt ſeparabiles a corpore ſuæ ſpeciei,ſed neque etiam ab aliquo corpore ali cuius indiuidui ſub ea ſpecie contenti. Et, ut hæc res,& reſponſio fiat illuſtrior,fingamus, Socratem eſſe patrem ratione duorum filiorum: altero mortuo, remanet adhuc pater, quia ratione amborum erat pater: ita,licet anima intellectiua ſit actus corporis Socratis,ſic eſt actus eius, ut eadem ſimul,ex eiuſdem Ariſtotelis ſententia, ſit actus omnium hominum: quare,mortuo Socrate, non deſinit eſſe actus aliorum: nam,licet ſit tota in Socrate, eſt tamen tota, diceret Theophraſtus, ex ſententia, quam putauit eſſe Ariſtotelis, in omnibus hominibus: quare, moriente Socrate, remanet integra in alijs hominibus.

Ad confirmationem uero petitam a tex. xxvi. 2. libri de Anima,licet aliqui,in quibus ferunt fuiſſe Ammonium, dicant, Ariſtotelem ibi loqui tantum de anima ſenſitiua, & uegetatiua,tamen diceret alumnus Ariſtotelis, eundem loqui de omni anima animalis corruptibilis,& animam intellectiuam non eſſe ſine corpore, quia, licet ſit ſeparabilis ab hoc,& ab illo corpore,& licet ſit ſine hoc, uel illo ſingulari

corpore,

corpore,non tamen eſt ſine corpore humano, a quo diceret fortaſſe Ariſtoteles ipſam eſſe inſeparabilem ſecundum ſitum,licet ſeparabilis ſit ſecundum cauſſalitatem. Ceterum, quia reſponſio iſta deuiat a ueritate, & falſo innititur fundamento; nos hanc adhibemus reſponſionem. diſtinguimus quippe actum,ut ſupra, & dicimus, alterum eſſe eductum e potentia materiæ,& huiuſmodi eſſe omnino inſeparabilem; alterum uero,non eductum, & hunc eſſe ſeparabilem, licet tamen ſeparetur, non manere tamen perpetuo ſeparatum, quia tandem in die extremi iudicij cõiungetur cum ſuo corpore: & ideo ad rationem ſumptam a definitione animæ uidetur dicendum,omnem animam eſſe inſeparabilem,uel abſolute,ſic,ut numquam ſeparetur; uel,ſi ſeparetur, ut humana,quia tamen perpetuo tempore poſt diem extremi iudicij erit coniuncta cum corpore, iccirco hoc nomine poteſt dici inſeparabilis. Hinc intelligitur,rationem,quæ fecit,ut Ariſtoteles diceret,omnem actum eſſe inſeparabilem ab eo,cuius eſt actus,ſi recte intelligatur, non ſolum non diſcordare a fide Catholica,ſed cum ipſa maxime cõſentire, quia fides noſtra ponit animam intellectiuam,licet in morte ſeparetur a ſuo corpore, poſt diem tamen extremi iudicij fore ſemper coniunctam cum ipſo,ſicq. ab ipſo inſeparabilem.

Caput IV.

SEcundo argumentatur Alexander: anima intellectiua eſt per ſe immobilis,ergo mortalis: conſequentiam probat,quia,ſi poſt mortem remaneret,oporteret eam moueri, propterea quod non eſſet ubi prius erat. uel ergo moueretur per ſe,uel ex accidenti: non ex accidenti,quia formæ illæ mouentur ex accidenti,quæ motione ſui ſubiecti mouentur: ſed per mortem adimitur animæ humanæ ſuum ſubiectum: ergo ipſa non poteſt moueri ex accidenti. Per ſe uero non poſſe eam moueri, conſtat ex 6. de naturali auſcult. ubi hoc ipſum uniuerſaliter de omni forma demonſtrauit Ariſtoteles: quandoquidem ibi oſtenſum eſt, ſola corpora

eſſe per ſe mobilia: de anima uero præcipue in primo libro de Anima demonſtrauit[1], ipſam non moueri per ſe: demonſtrauit etiam idem Alexander 2.lib. quæſt. naturalium cap. 2. & 10.ubi cap.2. in hanc ſententiam attulit rationem Ariſtotelis 1. de Anima tex. 43.

Ad hoc argumentum copioſius infra reſpondebimus in quæſtione de unitate intellectus. Pro tempore tamen, negamus illam primam conſequentiam, uidelicet, anima non eſt per ſe mobilis, ergo mortalis. Ad probationem uero, cũ dicitur, moriẽte Socrate ſi anima ſuperſtes maneat, nõ erit, ubi prius erat: quare ſecundum locum erit mutata: negamus illam conſequentiam, nempe, ipſam eſſe mutatã ſecundum locum, quia, licet deſinat eſſe ubi prius erat, & incipiat eſſe ubi non erat, non tamen poſſumus dicere, eam per motum localem deſinere eſſe ubi prius erat, & incipere eſſe ubi non erat, quia ipſa non eſt apta moueri: & ideo in hominis morte deſinit eſſe ubi prius erat; & in generatione incipit eſſe ubi prius non erat, ſine tamen aliquo motu, quia ipſa non eſt capax motus, cum ſit immaterialis, & indiuiſibilis. Quod ſi contendat aliquis, eam, quando ſeparatur a corpore, & deſinit eſſe ubi prius erat, moueri, non niſi æquiuoce, poterit ei tribuere motum, ſic, ut dicatur, quod de Angelis in 1.q.53.ar.1. dicebat Angelicus Doctor, quod, ſicut æquiuoce, & abuſiue dicimus eos eſſe in loco, ita dicimus eos moueri localiter.

Tertio argumentatur idem Alexander: ſi anima intellectiua ſit immortalis, neceſſarium erit, ipſam eſſe re diuerſam a ſenſitiua propria hominis, quia mortale, & immortale nõ poſſunt eidem rei conuenire: quare in homine erunt duæ animæ re ſeiunctæ, nempe ſenſitiua, & intellectiua: at hoc conſequens eſt falſum: quia ſic unus homo erit duo animalia. Probatur conſequentia ex ratione Ariſtotelis contra Platonem ponentem in homine tres animas, loco, & ſubiecto diſtinctas: argumentatur enim Ariſtoteles: ſi in homine ſunt tres animæ, ergo homo erit tria animalia: quare, ſi ualet ratio Ariſtotelis contra Platonem, ratio etiam Alexandri

xandri uidetur eſſe efficax: & ideo, ne urgeatur Ariſtoteles illo eodem incommodo, quo ipſe urgebat Platonem, ſatius erit, inquit Alexander, ponere in homine unam tantum animam, & illam totam mortalem.

Ad hoc etiam argumentum infra in q. 6. ubi ſuus erit proprius locus, commode, & diſtincte reſpondebimus. Pro tẽpore tamen reſpondemus, quod, tametſi detur, (non tamen concedatur) ex ſententia Ariſtotelis, duas eſſe in homine animas re ſeiunctas, non tamen iccirco ſequitur, contra Ariſtotelem, hominem eſſe plura animalia, ſicut ſequitur contra Platonem, qui ponebat tres animas in homine, loco, & ſubiecto ſeparatas, ſic, ut una non referatur in alias, neque alia aliam contineat. Non ſic Ariſtoteles, qui poſuit ſenſitiuam referri in intellectiuam, & ad eam habere rationem materiæ, quare ſenſitiuam illam coniunctam cum intellectiua unum tantum animal efficere, ſicut materia & forma ſimul iunctæ efficiunt unum per ſe. Secundum tamen ipſam ueritatem Catholicam aliter reſpondendum eſt: &, poſita una tantum anima in homine, concedendum eſt, ipſam habere aliquas potentias mortales, aliquas uero immortales: quæ potentiæ ſi ponerentur realiter inter ſe, & ab anima diſtinctæ, quemadmodum de potentijs animæ ſenſit D. Thomas ipſas eſſe re diuerſas, & a ſe inuicem, & ab anima; nulla fere remaneret dubitatio: ſi uero ponantur, ut Græci explanatores, & Auerroes cum plerisque Latinis, & ut nos coacti aliqua ratione, & auctoritate Ariſtotelis ſolemus ponere ipſas eſſe idem re inter ſe, & cum anima, cuius ſunt potentiæ, maior eſt difficultas. Videtur tamen ſolui poſſe illud argumentum, in quo ſumebatur, mortale, & immortale non poſſe eidem rei conuenire: nam & relationes ſunt idem re cum fundamento ſuo, & tamen, corrupta relatione, remanet fundamentum. Item potentia uniuerſalis, ſiue illimitata materiæ primæ, & potentia particularis, ac limitata ſunt idem re cum materia, inter ſe quoque ſunt idem, & tamen potentia particularis eſt corruptibilis, uniuerſalis uero eſt incorruptibilis, qualis eſt ipſa materia.

Poſtremo

Poſtremo argumentatur Alexāder, argumento ducto ab ſa operatione, quod argumentum eſt, ut ipſi dicunt, Achil es, & tamquam anchora eorum, qui tuentur mortalitatem. x natura igitur operationis conatur oſtendere naturam ani æ noſtræ operantis: &, quia operatio, ex ſententia Ariſto- elis, non uidetur eſſe ſeparabilis a corpore, iccirco infert lexander, & ipſam animam eſſe inſeparabilē, & conſequē- er mortalem. Argumentatur ergo Alexander, ſumpta illa ppoſitione, qua uſus eſt Ariſtoteles 1. de Anima tex. 12. idelicet, ſi anima habet operationem propriam, & a corpo e ſeparatam, ſequitur, ipſam quoque poſſe a corpore ſepara : ſi uero nullam habet operationem propriam, fieri non oteſt, ut a corpore ſeparetur, quia ſic eſſet otioſa, quod a na uræ inſtituto ſuas cuique rei operationes tribuentis abhor et: ſed anima noſtra nullam habet operationem propriam, uam poſſit exercere ſine corpore, ergo anima noſtra non oteſt exſiſtere ſeparata a corpore. Quod uero ipſa nullam abeat operationem propriam, conatur Alexander probare odem argumento, quo in loco citato utebatur Ariſtoteles: uia, ſi aliqua eſſet animæ propria operatio, illa maxime eſ- et intellectio: ſed intellectio uel eſt imaginatio, uel non ſi- e imaginatione: ergo non poteſt eſſe ſine corpore: at, licet on ſit imaginatio, ut demonſtrauit Ariſtoteles in 3. de Ani na, non tamen eſt ſine imaginatione, ut ille idem teſtatus ſt in eodem 3. lib. tex. 20. ex diuiſione Auerrois tex. 30. 1. 32. & 39. & in libro de memoria, & reminiſcentia cap. 1. equitur ergo, intellectum non eſſe ſine corpore. Cum ergo nima noſtra nihil poſſit operari ſine corpore, ſequitur, ut ip a non poſſit exſiſtere ſine corpore: quare, ſi habet exſiſten- iam inſeparabilem a corpore, uidetur omnino ſequi, ut ſit nortalis.

Hoc argumentum diuerſi diuerſimode conati ſunt diſſol uere. A Theophraſto, & Eudemo non habemus propriam ſolutionem: quia hoc argumentum, ut infra oſtēdemus, nul- lum eis negotium faceſſebat. Non habemus etiam a The- miſtio: nam Themiſtius putauit, illum locum, cui nititur ra-

tio Alexandri,pertinere potiùs ad alium ſtatum animæ,quã ad eiuſdem mortalitatem,uel immortalitatẽ:putauit enim Themiſtius, Ariſtotelem eo loco quærere, an anima noſtra poſſit exſiſtere ſeorſum,& ſeparata a corpore, quemadmodum illam ſeparatam poſuit Plato,qui animas,antequam in corpora deſcenderent,ſecundũ diuerſa aſtra diſpoſitas fuiſſe uidetur exiſtimaſſe. Ad mortalitatem uero,ut dicebam, nihil eum locum pertinere exiſtimauit Themiſtius,exiſtimauit etiam Theophraſtus, & Eudemus, quia, poſita unitate eius,ut ipſi poſuerunt,non ſequitur,animam,licet ſit inſeparabilis a corpore humano,eſſe tamen mortalem: quia, cum ipſum corpus humanum in ſpecie ſemper duret, ipſa eadem in illo corpore ſemper durare poterit: nam, licet, ipſi quoque dicerent,ſeparetur ab hoc,& ab illo corpore,erit tamen inſeparabilis a corpore humano: & ideo ipſi in diſſoluendo illo argumento nihil laborarent. Simplicius tamen, & Ioannes Grammaticus conantur diſſoluere ipſum, dicentes, non eſſe illud uerum uniuerſaliter,nullã intellectionem eſſe ſine corpore: etenim illa,qua intellectus ſeipſum,& ſubſtantias ſeparatas intelligit,quæ quidẽ eſt operatio permanens, & firma, & eſt operatio intellectus perfecti; illa quidem eſt ſine imaginatione,& ſine corpore, licet illa, quæ intelligit ſenſibilia,non poſſit eſſe ſine imaginatione: & hanc operationem dicunt eſſe inſtabilem, conuenientem intellectui imperfecto,& quando a ſeipſo receſſit, quam dicunt eſſe paſſionem,cum altera ſit actio.

Sed hanc opinionem alias pluribus confutauimus. aduerſatur enim Ariſtoteli,inquam,plurimis locis,ut oſtẽdimus: aduerſatur etiam rationi,quia illarum uirtutum,quarum naturalis eſt cõnexio poſterior & perfectior, numquam poteſt operari ſine priore, & imperfectiore: ſed ſenſus, & intellectus habent naturalem cõnexionem: quare intellectus, qui perfectior eſt,& poſterior, nũquã poteſt operari ſine ſenſu.

Præterea,quam ſcientiam habemus de Deo, naturali lumine comparatam,quæ auxilio ſenſuum acquiſita non fuerit? non ne tota illa ſciẽtia,quam de Deo,& de reliquis ſub-

ſtantijs ſeparatis nobis tradidit Ariſtoteles,pendet a ſenſu?
x operationibus enim,quæ ſub ſenſum cadũt, cognouimus
ognitione naturali ſubſtantias operantes,quæ longe a ſen-
u recedunt. S. etiam Thomas in 1.q.84. ar.7. demonſtra-
uit,intellectum noſtrum in hac uita, dum coniunctus eſt cor
ori mortali, non poſſe intelligere aliquid, quin conuertat
e ad phantaſmata: idq. duabus rationibus: quarum altera
eſt: illa uirtus, quæ non utitur organo corporeo, non poteſt
ædi in ſua operatione per læſionem corporis, niſi ad eius
operationem concurrat operatio alicuius uirtutis utentis
organo corporeo: ſed intellectus non utitur organo corpo-
eo,& tamen eius operatio impeditur læſione organi corpo
ei,ut in phreneticis,& lethargicis uidemus: quare neceſſe
eſt,cum actione intellectus communicare actionem uirtutis
orporeæ, & organicæ: & ideo uſus imaginationis, & reli-
quarum uirtutum, ſubiungit ipſe,non ſolum neceſſarius eſt
ad acquiſitionem ſcientiæ, ſed etiam ad uſum ſcientiæ iam
acquiſitæ. Hoc idẽ experimento confirmat,quia unuſquiſ-
que in ſeipſo experitur,quod,quando aliquid ſtudet intelli
gere,format ſibi aliqua phantaſmata per modum exemplo-
um,in quibus quaſi inſpiciat,quod ſtudet intelligere: quo
it,ut,cum uelimus aliquem facile aliquid docere,propona-
nus ei exempla,ex quibus formare ſibi poſſit aliquod phan
aſma, quod ſibi ad intelligendum inſeruiat. Aduerſan-
ur ergo Simplicius,& Ioãnes Grammaticus, & ceteri,illius
ſententiæ, rationi, & experimento: aduerſantur etiam Ari-
ſtoteli locis nuper citatis ex 3. lib.de Anima tex.20.30.31.
32.& 39. & ex libro de memoria,& reminiſcentia: ubi Ari-
ſtoteles docuit,intellectum nihil umquam ſine imaginatio-
ne intelligere, immo neceſſarium eſſe intelligentem phan-
aſmata ſpeculari:qui loci a nobis copioſe fuerunt explicati
in quæſtione huic argumento deſtinata,& multa alia in hac
ſententiam dicta, ad quæ breuitatis cauſſa me reijcio.

Sed,quoniam nonnulli recentiores,qui ætate noſtra phi-
loſophiam in florentiſſimo gymnaſio Patauino cum ſumma
laude profeſſi ſunt,nempe Marcus Antonius Genua, uir pro

bus admodum,& doctus, quē honoris cauſſa appello,quia, inquam, dicunt Ariſtotelem non dixiſſe, abſolute animam intellectiuam nihil intelligere ſine phantaſmate, ſed διανοητικὴν ψυχὴν,id eſt diſcurſiuam,uel rationalem animam nihil intelligere ſine phantaſmate : & addunt ipſi id, quod dixit Simplicius, Ariſtotelē ibi loqui de intellectu practico: oſtendamus ,ipſum ſine ulla exceptione exiſtimaſſe, & dixiſſe, intellectum nihil umquam ſine phantaſia intelligere. Et, ut omittam illud, quod Ariſtoteles pro eodem ſolet accipere animam rationalem, & intellectiuam, ſiue intellectum humanum, (cui enim nomen intellectus non conuenire proprie exiſtimat ſignificare ſolet ex hoc, cum interdum non nominet abſolute ipſum intellectum ; ſed uocatum intellectum) ſi conſideremus uerba ipſius ſcripta in tex. 20. ſupra citato,ubi dixit,*non reminiſcimur autem,quod hoc quidem impaſſibile eſt,intellectus uero paſſiuus corruptibilis eſt, & ſine hoc non,intelligit*, uidebimus rem ita ſe habere, ut diximus : ibi enim loquebatur, quemadmodum in expoſitione illius loci dicebamus, de intellectu in actu, qui diuiditur in contemplatiuū, & practicum,& dixit abſolute,illum nihil intelligere ſine phantaſia,& recentiores iſti probant communem expoſitionem illius loci. Item in tex. 30. cum dixiſſet, phantaſmata ita ſe habere ad animam rationalem,ut ſenſibilia ad ſenſum, intulit illam concluſionem uniuerſalem, quapropter numquam ſine phantaſmate intelligit anima. Item in tex. 32.dixit,intellectiuum igitur ſpecies in phantaſmatibus intelligit :&, licet ibi loquatur de intellectu practico, ad quem bonum & malum pertinent,ſubiungit etiam de cōtemplatiuo, ad quē pertinent uerum, & falſum. Deinde in tex. 39. uniuerſaliter loquens ex eo,quod non dantur ideæ ſeparatæ a ſenſibilibus,quę intelligantur a nobis,ut ponebat Plato,inferebat, in ſpeciebus ſenſibilibus,hoc eſt in ipſis phātaſmatibus eſſe ipſa intelligibilia ; & ea,quæ in abſtractione, hoc eſt formas mathematicas,quæ pertinent etiam ad intellectum contemplatiuum,& quorumcumque ſenſibiliū ſunt habitus,& paſſiones : & propterea inferebat,qui non ſenſit aliquid, nihil

utique

ntique addiſcet, aut intelliget, id eſt nihil noui addiſcet: ſed, cum ſpeculatur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari, ubi utitur uerbo illo θεωρεῖν, quod ſignificat operationem intellectus contemplatiui,& reddit rationem,quare neceſſe ſit,eum,qui ſpeculatur,ſimul aliquod phantaſma ſpeculari: phantaſmata enim uelut ſenſibilia ſunt, hoc eſt, quemadmodum ſupra tex. 30. dixerat, phantaſmata ita ſe habent ad intellectum,ut ſenſibilia ad ſenſum, hæc uero nō ſolum ad intellectum practicum pertinent,ſed etiam ad contemplatiuū,ſicut & ea,quæ dixit,in 1.cap. lib. de memoria, & reminiſcentia: ubi,loquens de memoria,& reminiſcentia, quæ neceſſaria ſunt non ſolum ad operationem intellectus practici,ſed etiā contemplatiui; dixit: *quoniam autem de phantaſia prius in his, quæ ſunt de anima, dictum eſt, quod intelligere non eſt ſine phantaſmate, (accidit enim eadem paſſio in intelligendo, quæ quidem & in deſcribendo, ibi enim nulla utentes quantitate trianguli determinata, tamen finitum ſecundum quantitatem deſcribimus) & intelligens ſimiliter etſi non intelligit quantum, ponit tamen ante oculos quantum, intelligit autem non ſecundum quod quantum: ſi autem natura ſit quantorum infinitorum autem, ponit quidem quantum determinatum, intelligit autē ſecundum quod quantum ſolum*. Ex quibus facile intelligitur, phantaſmata non ſolum neceſſaria eſſe ad intellectionem intellectus practici,ſed etiam contemplatiui. Quare opinio illa,quam retulimus, aduerſatur Ariſtoteli, aduerſatur etiā ſuiſmet auctoribus, uel ſaltem non conſentit cum ſententia ipſorum,ſaltem Simplicij,quia,cum Simplicius poſuerit animam unicā in omnibus hominibus, illa per ipſum numquā erit ſeparata a corpore,quare nō oportet fingere intellectionem, quam ipſa poſſit obire ſeparata a corpore: & ideo illi ijdem recentiores,quos proxime nominauimus, fruſtra etiā mihi uidentur laborare in opinione Auerrois; uel,ſi ita ſenſerit Auerroes,quemadmodum ipſi exiſtimant, fruſtra laborat ipſe in ſolutione argumenti propoſiti,uel ſaltem non cōſtabit ſibi in ſententia, quam habuit de unitate intellectus, & in ijs,quæ ſcripta reliquit in commento 13. primi de Anima, dicens, quod, ſi operatio intellectus non ſit ſine imagi-

natione,

natione,ſequetur,ipſam non eſſe abſtractã a corpore, quam uis intellectus ſit abſtractus ab eo: ubi aperte ſenſit, quod, quamuis intellectus non intelligat ſine imaginatione, tamẽ eſt ſeparatus. At uero iſti recentiores, reſpondentes ex ſen tentia Auerrois ad argumentum Alexandri, ponunt duplicem ſtatum intellectus; alterum, ante felicitatem, quando adhuc non didicit,neque cognouit omnia,& in hoc ſtatu di cunt ipſum nihil intelligere ſine phantaſia, ſed ab ipſo obie ctiue pendere; alterum uero,quando, acquiſitis iam omnibus cognitionibus,factus eſt felix,& dicitur adeptus, & tũc dicunt,ipſum non pendere a phantaſia obiectiue, ſed conſo cutiue tamen,quia,licet tunc habeat eam comitem,nihil ta men accipit ab ea: & addunt,Auerroem accepiſſe ſecretum illud magnum a Simplicio,qui dixit,animam in primo ſui or tu,& in primo ſtatu eſſe egreſſam a ſe, & imperfectam: perfectam uero fieri,cum,ad ſe ipſam regreſſa, ſe ipſam, & ſubſtantias ſeparatas contemplatur; & declarant uerba Auerrois in comm. 13. primi de Anima,qui,cum dixiſſet,hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam, quod intellectus materialis id eſt poſſibilis eſt abſtractus a corpore,& quod non poteſt intelligere aliquid ſine imaginatione, ſubiunxit, hoc non eſſe ſuperficietenus intelligendum: hoc eſt,dicunt ipſi,quod intel lectus obiectiue ſemper pendeat a phantaſia, quia ſic eſſet corruptibilis, ut uoluit Alexander. ſed ille non uidetur mihi eſſe ſenſus uerborum Auerrois,quem ipſi tribuunt,cuius uerba hæc ſunt: uidelicet: *Et hæc ſententia eius in intellectu materiali,ſcilicet,quod eſt abſtractus a corpore,& quod impoſſibile eſt,ut in telligat aliquid ſine imaginatione;& non intendit per hoc,hoc quod appa ret ex hoc ſermone ſuperficietenus, ſcilicet, quod intelligere non ſit niſi cum imaginatione: tunc enim intellectus materialis erit generabilis, & corruptibilis,ſicut intelligit Alexander ab eo,& ſermo eius non eſt intellectus per ſe,ſed debes obſeruare quod diximus.* Hæc igitur ſunt uer ba Auerrois: in quibus ſi debeat ſibi conſtare, non uidetur mihi negare,intellectionem ſemper eſſe cum imaginatione, quia iam dixerat, impoſſibile eſſe, ut intelligat aliquid ſine imaginatione: ſed dixit, non eſſe hoc ſuperficietenus intel-
ligen-

ligendum,ut intellexit Alexander: quia ſic ſequeretur, intellectum eſſe generabilem, & corruptibilem: nam ex eo, quod intellectus non intelligit ſine corpore, ut quod operatio eius non eſt abſtracta a corpore,infert Alexander, ſubſtã tiam intellectus non eſſe ſeparatam a corpore: quod tamen falſum eſt: & ideo, ſubiungit Auerroes, debes obſeruare quod diximus: nam paullo ante dixerat in eodem commento,de unaquaque uirtute animæ eſſe duas quæſtiones: alteram,an eius operatio habeat communitatem cum corpore, id eſt, an fiat per inſtrumentum corporeum; alteram uero, ſi non habeat communitatem cum corpore, an ſaltem eius operatio perficiatur, ſiue adiuuetur ab aliqua uirtute communicante cum corpore. Et ſubiunxit, quod, ſi intellectio uel eſt imaginatio,uel non ſine imaginatione, fieri non poteſt,ut ſit extra aliquid habens communicationem cum corpore,quamuis intellectus nullam habeat cum ipſo communicationem: & ideo uidemus,Auerroem negare illam conſequentiam Alexandri, uidelicet, intellectio non ſeparatur a corpore, ergo neque intellectus: ſi uero alius ſit ſenſus Auerrois, ille non conſtabit ſibi; uel ſaltem non reſpondebit conuenienter illi opinioni,quam habuit de unitate intellectus: quia, tametſi intellectus nihil umquam intelligeret ſine imaginatione,ſicq. eſſet inſeparabilis a corpore humano,cum tamen ſeparabilis ſit a corpore huius,& illius hominis,non ſequitur,ipſum eſſe generabilem, & corruptibilem: Auerroes tamen non uidetur diſtinguere ſeparabilitatem, & inſeparabilitatẽ intellectus a corpore humano, uel a corpore huius,& illius hominis:per quam ſolam diſtinctionem ſoluitur optime,ex ſententia Ariſtotelis, argumentum Alexandri,& cõciliantur omnia eiuſdem Ariſtotelis uerba,quæ uidentur inuicem pugnare. Neque opus eſt,ut ipſe,uel qui cum ipſo cõſentiunt in unitate, laborent infingenda aliqua intellectione, quæ ſit ſine imaginatione: quia, licet omnis intellectio pendeat a phantaſia in ratione obiecti, tamen,ſi intellectus ſit cum corpore,ſemper in ipſo cum imaginatione intelliget.

Caput

Caput V.

QVamobrem ad argumentum Alexandri reſpondet S. Thomas in multis locis,& prẹſertim in 1.q.75.art.6. Item q.84.ar.7.& 2. contra gentes cap.8. animam poſſe dupliciter conſiderari: uno modo,ut eſt coniuncta corpori paſſibili in ſtatu præſentis uitæ; altero modo,ut ſeparata ab ipſo,ſic,ut coniuncta nihil intelligat ſine phantaſmate,& hũc modum intelligendi dicit eſſe naturalem animæ: ſeparata uero a corpore habeat alium modum intelligendi ſimilem alijs ſubſtantijs ſeparatis,quem tamẽ in q.89.ar.1. dicit eſſe præternaturalem, & ideo illam uniri corpori,ut ſic operetur ſecundum ſuam naturam. Quod uero alio modo intelligat anima ſeparata a corpore,alio uero modo coniuncta corpori, oſtendit hoc argumento: unumquodque, ſicut habet eſſe, ſic habet operationes: ſi ergo anima habet diuerſum eſſe, ſequitur, ut habeat diuerſum modum operandi. quod ſi quæras,quomodo intelligat anima ſeparata a corpore? reſpondet 89.q.ar.1.ipſam intelligere per ſpecies ex influentia diuini luminis participatas: non enim, inquit ipſe, anima ſeparata intelligit per ſpecies innatas, cũ nullas habeat, quandoquidem in principio eſt tamquam tabula nuda, in qua nihil eſt depictum; neque intelligit per ſpecies abſtractas a rebus,quia non habet organum ſenſus, & imaginationis,quibus mediantibus poſſit abſtrahere ſpecies intelligibiles; neque etiam intelligit per ſpecies prius abſtractas a rebus,& in ea conſeruatas, quia ſic anima pueri poſt mortem nihil intelligeret: quare ſequitur, eam intelligere per ſpecies intelligibiles ſibi diuinitus infuſas. Quod ſi dicas, ſic ſequeretur,hanc cognitionem non eſſe ei naturalem,ſed ex gratia; reſpondet,ipſam eſſe ei naturalem,quia Deus eſt auctor non ſolum influentiæ gratuiti luminis,ſed etiam naturalis. Ibi uero Caietanus dicit S. Thomam appellare hanc cognitionem naturalem, ut naturale diſtinguitur a miraculoſo. Et,cum ſupra in eodem art. idem dicit,illam eſſe præter naturalem, accepiſſe præternaturale non pro eo, quod eſt

contra

ontra naturam,ſed pro eo quod eſt ſupra naturam, ut dici-
tus, inquit ipſe, de motu ignis in concauo lunæ. Sed hanc
Caietani expoſitionem non poſſum probare, & maxime cũ
alias, ac præſertim in commentarijs primi libri de Cælo de-
monſtrauerim,illum motum ignis in concauo lunæ eſſe con-
trà naturam eius,& uiolentum, neque dari medium ex ſen-
tentia Ariſtotelis inter naturale,& præter naturam: quare
motum omnem,qui præter naturam ineſt alicui,eſſe uiolen-
tum,ut patet ex uerbis eius tertio de Cælo tex. 18. & 19. &
5.& 55. & 5. de naturali auſcultatione tex. 57. & 8. eiuſdē
operis libro tex. 27.& alibi ſæpius. Quare ego,ut tuear An-
gelicum Doctorem à contradictione, dicerē, animam poſſe
conſiderari,tum ut anima eſt,ſiue ut actus corporis, tum e-
tiam, ut ſubſtantia per ſe exſiſtens,& ſeparata à corpore: ſi
conſideretur ut anima,modus intelligendi per phantaſma-
ta eſt ei naturalis,modus uero intelligendi per ſpecies diui
nitus infuſas præternaturalis: ſed,ſi conſideretur ut ſubſtan
tia ſeparata,& per ſe exſiſtēs, cum,ſic conſiderata,alium,ut
dicebat ſanctus ille Doctor, habeat modum exſiſtendi, ſi-
mulq; alium modum operandi, ille modus intelligendi per
ſpecies diuinitus infuſas merito dicitur ei naturalis. Hanc
D. Thomæ reſponſionem ut ueriſſimam amplectendam eſſe
exiſtimo. Ceterum ad argumentum Alexandri aliter reſ-
ponderet Ariſtoteles: ipſe ſiquidem ſenſibus innixæ ratio-
ni tantum adhæreret,&,loquens congruenter ijs, quæ alibi
in Philoſophia naturali dixit,non concederet, animam ha-
bere illum duplicem modum exſiſtendi; immo hoc illud eſt,
quod ibi in dubitationem reuocauit Ariſtoteles, an anima
poſſit exſiſtere ſeparata a corpore: & pro ſolutione eius pro
poſuit aliam dubitationem: an anima habeat aliquam ope-
rationem propriam,hoc eſt,an habeat aliquam,quam poſſit
exercere ſine corpore. nam,ſi haberet,poſſet utique ſepara-
ri à corpore: at exiſtimauit Ariſtoteles, animam non habe-
re operationem ullam propriam: quia,ſi ullam haberet,illa
utique eſſet intellectio: ſed intellectio,ex ſententia eius,nō
eſt ſine phantaſia: quare ſenſit ipſe,quod anima non poteſt

Ariſt. 1. de anim. tex. 12. & 13.

exſiſtere ſeparata a corpore: etenim ex uerbis eius poſſumus colligere hanc rationem: Illa forma, quæ habet operationem propriam, poteſt exſiſtere ſeparata a corpore: quæ uero nullam habet operationem propriam, nullo modo poteſt exſiſtere ſeparata a corpore: ſed anima noſtra nullam habet operationem propriam: ergo numquam poteſt exſiſtere ſeparata a corpore. Quod ſi dicant, illam non habere operationem propriam, dum ipſa eſt in corpore, & hoc tantum uoluiſſe Ariſtotelem: ſequetur, ipſam, dum eſt in corpore, non exſiſtere ſeparatam a corpore: de quo nullus eſt, qui dubitare poſſit. Quare, ſi daretur alius modus intelligendi ſine phantaſmate, qualem uere habet anima noſtra ſeparata a corpore: uel, ſi illum dari putaſſet Ariſtoteles: nulla ratione uteretur Ariſtoteles, & cognoſceret, ſe nulla uti: etenim probaret tantum, ut dixi, animam dum eſt in corpore non eſſe ſeparatam a corpore: & ideo ad argumentũ Alexandri reſponderet Ariſtoteles, argumentum probare tantum, animam non ſeparari loco, & ſitu a corpore, ſic, ut anima habeat alium ſtatum, in quo degat ſeparata a corpore, quia neque ſenſus, neque ratio nixa ſenſibus oſtendebat ei alium ſtatum, & ea, quæ ad ipſum pertinent, quem nos, lumine fidei illuſtrati, firmiter credimus, & confitemur. Negaret tamen idem Ariſtoteles, illud argumentum probare, ipſam animam eſſe mortalem, licet non ſeparetur loco, & ſitu a corpore, quia exiſtimauit ipſe, quod anima ſemper eſt in corpore humano, & ideo non moritur cũ corpore, cum ſemper ſit in corpore humano, & ſicut ſeparatur ab hoc, & ab illo corpore, non tamen abſolute ſeparatur ab omni corpore humano: &, ſicut ſeparatur ab hoc, & ab illo corpore, ita intelligit ſine hoc, uel illo corpore, non tamen abſolute intelligit ſine corpore humano: quare, ſicut poteſt eſſe ſine hoc, uel illo corpore humano, ita ſine hoc, uel illo poteſt intelligere, non tamen abſolute ſine corpore humano. Quod ſi inſurgas contra Ariſtotelem: anima noſtra habet eſſentiã omnino ſeparabilem a corpore, ergo & operationem; quare poteſt exſiſtere ſeparata a corpore: reſpondere poterit, ipſam

habere eſſentiam ſeparatam (ut dicunt,) ſecundum cauſſa-litatem, quia non eſt educta e potentia alicuius corporis, ſed omnibus,& ſingulis extrinſecus accedit, non tamen habet eſſentiam ſeparatam ſecundum ſitum,ut falſo ſentit idē Ariſtoteles. ſi etiam arguas, anima noſtra habet operationem ſeparabilem ab hoc,& illo corpore, quare & ab omni: reſpondebit Ariſtoteles,ipſam habere operationem ſeparabilem quidem ab hoc,& ab illo corpore, non tamē ſimul ab omni,ſed abſolute inſeparabilem a corpore humano; quare & ſubſiſtentiam habere ſeparabilem ab hoc,& ab illo corpore,inſeparabilem tamen a corpore humano. Et,quia exiſtimauit Ariſtoteles quod ſemper erit corpus humanū,& ſpecies humana,iccirco ſentit etiā,quod erit in ipſo anima humana: ſed tamen reſponſiones iſtæ, cum falſo innitantur fundamento, abſolute ſpernendæ ſunt,atque abijciendæ;& illa,quam ex S. Thoma attulimus,recipienda.

Caput VI.

HActenus igitur diſſoluta ſunt argumenta Alexandri Aphrodiſei: cuius auctoritate decepti,ut dicebamus, multi,& illi quidem doctiſſimi, & grauiſſimi uiri, in quibus eſt S. Gregorius Nazianzenus,Diui Hieronymi præceptor, uir ſanctiſſimus,ſimulq. doctiſſimus,& eloquentiſſimus,Gregorius Nyſſenus,Iuſtinus Philoſophus, & martyr; ex recentioribus uero Peripateticis Petrus Pomponatius; Thomas de Vio,alioquī uir doctiſſimus,& plerique alij crediderunt, eam,quam habuit ipſe Alexander,fuiſſe Ariſtotelis ſententiam. Sed,quoniam recentiores addiderunt alias rationes, ut probarent animæ noſtræ mortalitatem,iccirco,ne quis ab ipſis decipiatur,& ipſas, ſaltem potiores, diſſoluemus. Verum, quia prima ratio Pomponatij fuit ultima Alexandri, ipſam tamquā ſatis diſſolutā dimittamus. Secunda quoque quæ fuit 2. Alexandri, qua quærit, ubi ſit anima ſeparata a corpore,an alicubi, an uero nullibi; &,ſi alicubi, quomodo potuerit illuc peruenire,an per alterationem,an per motum

localem, ipſa quoque iam ſoluta eſt: diceret enim Ariſtoteles, ipſam eſſe in alio corpore: nos uero, lumine fidei illuſtrati, dicimus, eam eſſe in alio ſtatu uitæ ſeparatam a corpore, neque tamen per motum localem uerum, aut per alterationem eo perueniſſe, quia non eſt capax horum motuum, ſed per motum æquiuoce dictum. Tertium uero eius argumentum, in quo ſupponens eſſentiale eſſe intellectui intelligere per phantaſmata, & inde inferens ipſum in omni operatione indigere organo, ſoluitur, ut ante etiam ſolutum eſt: nã, dato etiam aſſumpto, negamus, ipſum indigere organo immediate, indigere tamen phantaſia, quæ per ſe & immediate indiget organo.

Cum uero quarto loco argumentatur in hunc modum: quoniam in eſſentia animæ ſunt multa, quæ arguunt mortalitatem, nonnulla uero immortalitatem, cumq. longe plura ſint, quæ arguunt mortalitatem, quam quæ immortalitatẽ, dicendum eſt, potius ipſam eſſe mortalem, quam immortalem: reſpondemus, facile, quod, cum illæ potentiæ, quę ſunt propriæ hominis, etiam ex conceſſione ipſius Pomponatij, arguant potius immortalitatem, quàm mortalitatem; quæ uero ſunt communes ei cum ceteris uiuentibus, arguãt mortalitatem, ſequitur potius, ipſam eſſe immortalem. Cetera uero eiuſdem argumenta partim diſſoluimus ſupra, partim infra diſſoluemus.

Afferuntur præterea ab alijs pro mortalitate multa argumenta, quorum nonnulla ex dictis facile ſoluuntur: alia uero ſoluentur, ſi dicamus, ſeparationem intellectus a corpore eſſe ei uiolentam, & ideo coniungi corpori propter maiorem ſui perfectionem.

Soluuntur & alia, ſi dicamus, in morte hominis, una tantum poſita anima, in homine, quemadmodum ſecundum ueritatem ponendà eſt, uel corrumpi compoſitum, uel corrumpi potentiam ſenſitiuam, ſi realiter non ſit ipſa anima, ut ſupra dictum eſt de mente S. Thomæ.

Cum uero aliqui argumentantur, ſi anima intellectiua ſit ſuperſtes corpori, ſequitur, ipſam eſſe accidens, & accidenta-

entaliter eidem uniri,quia ex uulgata definitione acciden
is accidens eſt illud,quod adeſt & abeſt preter ſubiecti cor
uptionem : reſpondendum eſt,animam intellectiuam,licet
adueniat corpori ſine ullo eius detrimento,non recedere ta
nen ab eo ſine corporis corruptione,licet ſine ſui corruptio
e recedat. Item ex libro de longitudine, & breuitate uitæ
umitur illud argumentum pro mortalitate : ubi, cum dixiſ-
et Ariſtoteles,corruptis animalibus corrumpi ſcientiam,&
anitatem,quæ eſt in ipſis,ſubiunxit hæc uerba, & ratione,
x qua poſſet quis inferre mortalitatem,his uerbis: *Quapro-
ter & de anima ratiocinabitur quis utique ex his. ſi enim eſt non natu-
a,ſed quemadmodum ſcientia in anima,ſic & anima in corpore erit uti
ue ipſius & alia corruptio præter corruptionem, qua corrumpitur cor-
upto corpore: quare,quoniam non uidetur eſſe talis,aliter utique habe-
it ad corporis communionem*. Ibi ergo, cum dixiſſet, aliqua ha-
ere propriam corruptionem diuerſam ab ea, qua corrum-
untur corruptione ſubiecti, qualia ſunt accidentia, præ-
ertim quæ habent contrarium,illa enim non ſolum corrum
untur corruptione ſubiecti, ſed habent propriã corruptio-
em a contrario,ueluti ſanitas corrumpitur a morbo, ſcien-
ia ab obliuione : & ex hoc intulit, quod, ſi anima natura
non ineſt ipſi corpori, hoc eſt ſi non eſſet forma ipſius ſub-
tantialis,ſed eſſet in corpore ſicut accidens in ſuo ſubiecto,
quemadmodum ponebant illi Philoſophi,qui putabant ani
nam eſſe harmoniam,ſic ipſa poſſet corrumpi non ſolũ cor-
uptione ſubiecti,quemadmodum corrumpitur illa,quæ pẽ-
let a ſubiecto, & eſt educta e potentia materiæ, ſed etiam
oſſet corrumpi a contrario : at nulla anima corrumpitur a
contrario : quia,cum ſit ſubſtantia nullum habet contrariũ:
lla tamen,quæ pendet a corpore,& eſt mixta cum corpore,
qualis eſt uegetatiua, & ſenſitiua, in quibus tantum habet
ocum ratio illa Ariſtotelis, poſſunt corrumpi corruptione
ſubiecti,non intellectiua, quæ non pendet a corpore. Qua-
re ille locus,ſi recte intelligatur,nihil facit contra immorta
litatem animæ noſtræ.

Caput VII.

SImon Porcius, ætate noſtra celebris Philoſophus, qui eorum, quos ego audiuerim, aut legerim, poſtremus ſcripſit de mortalitate animæ, plura & ipſe congeſſit argumenta: quorum ego nonnulla breuiter diſſoluam. Et inter alia argumentatur contra Ioannem Grammaticum in hunc modum: ortus, & interitus hominis non eſt diuerſus ab ortu, & interitu ceterorum animalium: quare, ſicut ceterorum animalium forma educitur e potentia materiæ, & interit interitu corporis, ita forma hominum. Antecedẽs probat, quia in uno & eodem libro, qui de generatione animalium inſcribitur, hominis, & ceterorum animalium ortus & interitus complexus eſt Ariſtoteles, quod omnium æqua ſit cõdicio, idemq. gignendi, & occumbendi modus: ſed, ſi uera eſſent, ſubiungit Porcius ipſe, ea, quæ dicuntur a Ioanne Grammatico de immortalitate animæ noſtræ, aliud de generatione hominis opuſculum deſideraretur. Hæc ratio uidetur mihi ſimilis illi, immo eadem cũm ea, quæ ſub perſona inſipientium, & impiorum hominum adducitur Eccleſiaſtes 3. qua concluditur, unum eſſe interitum hominis, & iumentorum, & æquam utrorumque condicionem. Sed, quando ad ſacros libros confugerat, ut inde rationem impiam acciperet, ſaltem ab eiſdem ſolutionem accepiſſet: uidiſſet enim, non eſſe ſimile principium, ſiue modum generationis hominis, & iumentorum, quoad animã. nam de anima, & productione animæ brutorum dicitur Geneſis 1. *Producat terra animam uiuentem*: in quorum uerborum expoſitione Baſilius ille, doctrina, & ſanctitate uir Magnus, & eximius, Exameron hom. 8. dixit, *Cur animam tellus educit? ut, quid interſit inter animam iumenti, atque hominis, ediſcas*. & ideo de origine animæ dicitur in eodem loco, Deum inſpiraſſe in faciem eius, ſcilicet hominis, ſpiraculum uitæ. Et ideo Eccleſiaſtes ult. cõcluditur, *Reuertatur puluis ad terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad eum, qui dedit illum*.

Verum, quando non accepit inde ſolutionem ſuæ rationis,

is; accipiat illam ab Ariſtotele, a quo poterat addiſcere rtum, & interitum hominis, & ceterorum animalium ual- e inter ſe differre: etenim in eodem libro de generatione nimalium demonſtrauit Ariſtoteles apertiſſime, non eſſe undem modum generationis omnium animalium. nam ecundo illius operis libro cap. 3. dixit, mentem extrinſe- us accedere, eamq. ſolam antecedere corpori, ſolamq. di- inam eſſe; quia nihil cum eius actione communicat actio orporalis: immo, ſi ipſa non antecederet corpori, ut dice- at Ariſtoteles, ſed educeretur e potentia materiæ, ſicut a- iæ animæ, non eſſet dubium, quod de ipſa dubitari dixit Ariſtoteles, quonam tempore, quomodo, & unde acquira- ur in homine: ſi ergo ortus hominis eſt diuerſus ab ortu eterorum animalium, ſatis intelligitur, ipſum quoque in- eritum eſſe diuerſum: quare non eſt deſiderandum aliud opuſculũ. Quod ſi uelit egregius ille Porcius eo argumen- o, quod de generatione hominis, & brutorum in eodem opere egit Ariſtoteles, probare, mortalem eſſe animam ho- minis, qualis eſt anima brutorum: eodem argumento pro- bet etiam, ſi poteſt, cælum eſſe corruptibile, qualia ſunt ele- menta, quia in eodem libro de cælo, & quattuor elementis egit Ariſtoteles.

Argumentatur præterea idem Porcius: nulla operatio mentis eſt perpetua: ergo neque ſubſtantia eius. Sed ego pri mum reflecto argumentum: nulla eſt operatio materiæ pri- mæ, ſaltem in indiuiduo, quæ ita ſit perpetua, & continua, & nulla quiete intercipiatur: ergo ipſa materia non erit per- petua: reſpondeo, ſecundum doctrinam Ariſtotelis, quam poſt refellemus, modo formas illas, quæ habent ſubiecta particularia æterna, habere quoque operationes perpetuas & continuas: ſed anima intellectiua nullum particulare ſu- biectum habet æternum, nullumq. habet opus proprium, quod ſcilicet poſſit exercere ſine corpore: nihil ergo mirũ, ſi non habeat operationem perpetuam, & continuam, ſal- tem in indiuiduo: adde etiam, formas æternas, quæ ha- bent proprias operationes, habere illas æternas: cum uero

ille

ille idem ſubiungit, corruptibilium principia ſunt corruptibilia, æternorum uero æterna, ex Ariſtotele 3. de cælo, & ſubdit, conſimili ratione concludamus operationes corruptibiles a formis corruptibilibus, & ab æternis æternas prodire: quare, cum operationes hominis intereant, ipſam quoque eius formam interire, dicendum eſt: ad hæc, multa eſſent dicenda, quæ breuitatis ſtudio omitto; & pro tempore dico, uerba illa Ariſtotelis ex 3. de cælo deſumpta nõ eſſe in uniuerſum uera, cum materia prima, etiam ex ſententia Ariſtotelis, ſit æterna, & tamen eſt principium rerum corruptibilium: ita etiam fieri poteſt, ut a forma incorruptibili, & æterna operatio quoque corruptibilis aliquando procedat, ſicut fit in noſtro caſu.

Argumentatur præterea idem Porcius: formæ immateriales ſunt immobiles per ſe, & ex accidenti: ſed anima intellectiua mouetur per accidens motu corporis: ergo nõ eſt forma immaterialis: quia moueri per accidens a ſeipſis cõuenit ſolis corruptibilibus, ut eſt apud Ariſtotelem loco a nobis ſuperius citato ex 8. de naturali auſcultatione tex. 52. huius rationis maior propoſitio uera eſt, & Ariſtoteli conſentanea: uerum, quia argumentum hoc a nobis ſuperius diſſolutum, & oſtenſum, animam intellectiuam neque ex accidenti moueri, iccirco ad eam me reiicio ſolutionem.

His tamen ſic acceptis, colligit ipſe Porcius ſummã ſuarum rationum, dicens: ſi anima rationalis eſt æterna, ſequitur, ut uiæ, quibus uſus eſt Ariſtoteles ad demonſtrandum formas materiæ expertes eſſe æternas, non ſolum non demonſtrent, ſed etiam falſæ ſint: ſed ego nego iſtam iſtius docti hominis conſequentiam: quia, licet dicat Ariſtoteles, omnem formam habentem motum æternum eſſe æternam, non tamen reciprocatur, omnem formam æternam habere motum æternum: quandoquidem uniuerſalis affirmatio non conuertitur ſimpliciter, ut notum eſt ex principio Priorum Anal.

Licet tamen non poſſit Ariſtoteles ex æternitate motus arguere æternitatem animæ noſtræ, tamen ex immutabili-

tate,

tate, atque omnino impatibilitate ipſius, & ex operatione, quæ non eſt corporea, neque perficitur organo corporeo, & huiuſmodi ſimilibus, quæ excedunt limites materiæ, probat, ipſam eſſe ſeparatam. nam, ſi operatio arguit naturam operantis, cum intellectio non ſit operatio materialis, ſequitur omnino, ſubſtantiam animæ intellectiuæ ipſam quoque non eſſe materialem.

Præterea, argumentatur idem, æterna non poſſunt eſſe cauſæ efficientes immediatæ rerum corruptibilium, tanto minus poſſunt eſſe materiæ ipſarum: ſed intellectus eſt materia corruptibilium, quia mouetur & perficitur a phantaſmatibus, quæ ſunt corruptibilia, ergo ipſe non eſt æternus. hoc argumentum ſoluit ipſe, ante quam ipſum concluſerit, quia, ut phantaſmata moueant intellectum, nõ tamen mouent niſi media ſpecie intelligibili, quæ uniuerſalis eſt, ſicq. immaterialis: addimus etiam, intellectum non recipere immediate intelligibilia, & ideo ipſum non eſſe materiam immediatam ipſorum: etenim phantaſmata, in quibus ſunt ſpecies intelligibiles, non recipiuntur in intellectu: ſed ſpecies ipſæ, ut eſt apud Ariſtotelem 3. de Anima tex. 32. dicentem, *intellectiuum igitur ſpecies in phantaſmatibus intelligit.*

Argumentatur deinde in eandem ſententiam, argumento ſumpto ex uerbis Ariſtotelis ſectione trigeſima problematum, problemate quarto, ubi quærit, cur ſeniores magis ualeamus mente, iuniores uero citius diſcamus: reſpondet, huius rei illam eſſe cauſſam, quod natura nobis duo inſtrumenta tribuit, quorum opera externis inſtrumentis utemur: manum enim corpori dedit, animæ uero mentem: ſed, ſicut manu non ſtatim utimur, ſed cum natura abſoluit, atque perficit, ita mens, quæ res eſt naturalis, non protinus, ſed in ſenectute maxime contingit, atque tunc potiſſimum conſummatur, & abſoluitur, niſi detrimento aliquo lacera ſit, & læſa. Ex quo loco quattuor colligit Porcius: primum quidem, intellectum potẽtia eſſe nobis a natura inditum: ſecundum uero, quod læditur ſicut ceteræ facultates animæ, ex quo ſequitur, (inquit ipſe) ipſum non

eſſe æternum: tertium, cum in lucem edimur, non ineſſe nobis intellectum perfectum: quartum uero, & poſtremum, ipſum perfici in ſenectute.

Sed certe, locus ille, ſi recte conſideretur, tantum abeſt, ut Porcio faueat, ut eidem, atque omnino mortalitati animæ, quam maxime aduerſetur: præſertim cum dicit Ariſtoteles, intellectum in ſenectute perfici: quod quidem, ut planius accipiatur, ſic argumentor: illa forma, quæ naſcitur cũ corpore, & cum corpore moritur, ſicq. oritur ex temperatura corporis, uigente, & floreſcente corpore uiget, & floreſcit; debilitato uero, & defloreſcente corpore, debilitatur, & defloreſcit. ſed intellectus uigente corpore non uiget, immo debilitato corpore defloreſcit, & perficitur: quare nõ ſequitur, temperationem corporis, neque cum ipſo oriri, neque cum ipſo mori. Ex hac igitur ratione patet, intellectum, ſi eſſet forma materialis, ut ipſe Porcius opinatur, ſicq. inſequeretur nobiliſſimum, & perfectiſſimum corporis temperamentum, conſentaneum eſſe rationi; ipſum in iuuentute, & in ipſo ætatis flore, ſeu corporis uigore magis uigere, quam in ſenectute, corpore iam inclinante, & labefactato, quia inclinante ætate temperamentũ corporis fit impurius, & harmonia ipſius incipit diſſolui: & ideo, ſi intellectus penderet a temperamento corporis, proculdubio perfectior eſſet in iuuentute, & in uigore corporis, quam in ſenectute, in qua corpus debilitatur, perfectior eſſet, inquam, in iuuentute, ſicut reliquæ potentiæ animæ, quæ materiales ſunt, perfectiores ſunt, & magis uigent in iuuentute, & in uigore corporis, quam in ſenectute. ſed ex loco illo habemus, intellectũ magis uigere, cum corpus minus uiget. quare ex eodem habemus, ipſum non pendere a corpore ſicut formæ materiales. quod uero non uigeant ſimul intellectus, & corpus, alibi teſtatum reliquit Ariſtoteles, ſcilicet 2. Rhetoricorum cap. 14. ubi dicebat, uigere corpus a trigeſimo ętatis anno uſque ad trigeſimum quintum, animam uero uſque ad quadrageſimum nonum: & 7. Polit. cap. 16. dixit, intelligentiam, ut plurimum circa annum quinquageſimum in nobis uigere.

& ideo

& ideo Plato in Conuiuio recte dicebat, tum ſanæ mentis oculum acute incipere cernere, cum primum oculus corporis deflorescit. Ad ea uero, quæ colligit Porcius ex illis uerbis problematis quarti,& præſertim ad ſecundum, dico, ipſam mentem lædi,hoc eſt operationem mentis lædi: etenim ſubſtantia ipſa illæſa ſemper manet,& integra: uerum læditur eius operatio non per ſe,ſed ex accidenti, ut ſupra diximus ratione ſenſus,cuius operationi ipſa iuncta eſt ſemper, & copulata. Ariſtoteles uero in 2. de Anima in loco a nobis ſuperius citato tex. 162. dixit,mentem uelari,non lædi. quare,ex eo, quod colligit Porcius, non ſequitur, mentem ipſam eſſe mortalem.

Quod uero ad tertium pertinet,ſi putat Porcius, intellectum,cum in lucem edimur, non eſſe in nobis perfectum perfectione eſſentiali, a ſententia Ariſtotelis longe recedit: ſi uero putat,ipſum non eſſe perfectum perfectione accidentali,quæ conſiſtit in ipſa cognitione, hoc & nos concedimus, & dicimus,id patere ex uerbis Ariſtotelis,in quibus indicat ſe per mentem uſum,& habitum mentis perfectiorem ſignificare. dicit enim, mentem poſterius nobis aduenire, quia inſtrumenta mentis ſunt poſteriora inſtrumentis manuum, & inſtrumentum mentis dicit eſſe ſcientiam. Cum ergo habitus ſcientiæ perfectiores nobis adueniunt,tunc etiam mentem perfectiorem nobis aduenire dicit, & ideo nobis ſenioribus aduenire. Quod autem nomine mentis nobis non ſignificet Ariſtoteles illam ſubſtantiam,quæ eſt forma hominis,patet ex uerbis ſequentibus, quia dicit, nos iuniores citius diſcere,ſed diſcimus per mentem, quare tunc habemus mentem,nempe formam illam, qua principaliter & ſumus, & homines dicimur,licet illa non ſit prædita illis perfectionibus,quas poſtea acquirit, & ideo accipit mentem pro habitu mentis perfectiore,ſicut etiam accepit 7.Polit.cap.15. cum dixit, mentem, & rationem tempore procedente fieri.

Demum argumentatur Porcius, ſi intellectus eſſet æternus, ſequeretur,ipſum eſſe totum in toto corpore, & totum in qualibet parte corporis,quoniam eſſet indiuiſibilis.quod

licet non probet ipſe, poſſumus nos probare ex Ariſtotele 12. Metaphyſ. tex. 39. ubi dixit, omne immateriale eſſe indiuiſibile: & ideo maiorem propoſitionem illam Porcij probamus,& accipimus,ſed non ita minorem,cum dicit,ſed anima ex ſententia Ariſtotelis non eſt tota in toto corpore,neque tota in qualibet parte corporis, quia intellectus eſt in corde ex ſententia eiuſdem Ariſtotelis in libro de iuuentute,& ſenectute,& in libro de communi motu animalium, & in 7.Metaphyſ.tertio dicit ſedē animæ eſſe cor,aut cerebrū. qui loci ſi bene intelligantur,intelligetur etiam, hoc argumentum nullum eſſe,quia, ut demus animam intellectiuam ipſam quoque eſſe in corde,dicimus,eam eſſe ibi indiuiſibiliter,ita,ut ſit tota in toto corde,& tota in qualibet parte ipſius,ſic etiā tota ſit in toto corpore, & in tota qualibet parte corporis, quæ ſit capax ipſius, & ideo ita erit in corde, ut ſimul ſit in alijs partibus corporis. & hæc eſt doctrina Ariſtotelis 12. Metaphyſ. loco nuper citato, ubi exemplo mentis humanæ ſuam ſententiam confirmauit, dicens, *an omne immateriale indiuiſibile quemadmodum humana mens.* quare falſum eſt illud aſſumptum, animam eſſe in corde tantum, quia eſt in eo ſubiecto,cuius eſt actus, ſed eſt actus corporis phyſici organici,ergo etiam intellectiua eſt actus huiuſmodi corporis. Ad Ariſtotelem uero alias reſpondebimus, & præſertim in expoſitione 2.libri de Animæ: pro tempore tamen negamus,Ariſtotelem dixiſſe in libro de Iuuentute, & ſenectute,animam intellectiuam eſſe in corde: quandoquidem ibi locutus eſt de uegetatiua, & ſenſitiua: etenim ſtatim ſubiunxit hæc uerba: *quare neceſſe eſt ſenſitiuæ, & nutritiuæ animæ principium eſſe in corde ſanguine præditis: nam aliarum particularum opera circa alimentum,huius operis gratia ſunt:* deinde ſubiungit paullo infra: *per ea igitur,quæ apparent palam ex dictis, quod in hac,& in medio corporis trium partium ſenſitiuæ animæ principium eſt, & augumentatiuæ,& nutritiuæ:* deinde etiam paullo inferius addidit: *neceſſarium autem eſſe caliditatis huius principium in corde ſanguinem habentibus, & ex ſanguibus in proportionali: conficiunt enim, & concoquunt naturali calido alimentum omnia,maxime autē quod prin-*

12.Metaphyſ. tex. 39. iuxta partit.Ale. iuxta commu.tex.51.

Lib.de Iuuen. & ſenec.cap.2. & lib. de motu animal.c.7.& 7. Metaph. tex.30. iuxta part. Alex. tex.autem 35.iuxta partit. communē.

cipaliſſimum : quapropter alijs quidem partibus infrigidatis remanet uita, eo autem, qui in hoc, ſcilicet corde, *corrũpitur omnino, quia in hoc principium omnibus dependet caliditatis, & anima tamquam ignita in his particulis exſanguiũ quidem in proportionali, in corde autem ſanguine præditorum*. ex quibus patet, Ariſtotelem ibi loqui de ſola uegetatiua, & ſenſitiua animã: ſi tamen disertis uerbis dixiſſet idem, animã etiam intellectiuam eſſe tantum in corde, intelligendum eſſet, ſicut in 8. de Naturali auſcultatione, cum dixit, primum motorem eſſe potius in circulo, quam in medio, quia ibi magis uiget eius operatio, & quia phantaſia, ſine qua intellectus non intelligit, cum ſit tamquam liber, & tabula ipſius intellectus, ipſa quidem principaliter eſt in corde. Hactenus igitur ſoluta ſint argumenta Porcij. nam, ſi alia ſint, illa quidem putamus ex dictis ſuperius facile poſſe diſſolui.

8. Phyſic. tex. 84.

Caput VIII.

SEd, quoniam a pleriſque alijs alia cõtra immortalitatẽ afferuntur argumenta, & præſertim cõtra ſecundam rationẽ Ariſtotelis a defectu & priuatione organi deſumptã, qua, ut oſtendimus, utebatur Ariſtoteles in tex. 6. 3. de Anima, ut uis illius rationis ualidiſſimæ ſalua conſeruetur, operæpretium eſſe duximus ſoluere illas dubitationes. qua in re primo afferemus, & diſſoluemus rationes aliorum, deinde noſtras. Referebat ergo Auerroes, nonnullos circa id, quod dixit Ariſtoteles, rationalem animam carere organo, dubitaſſe in hunc modum: rationalis eſt uirtus cogitatiua: ſed cogitatiua eſt uirtus in corpore utens organo corporeo: quandoquidem ferunt imaginatiuam eſſe in anteriori parte cerebri, cogitatiuam in media, memoratiuam in poſtrema: quare inferebant ipſi, rationalem uti organo corporeo: ita, ut argumentarentur, cogitatiua habet organum, rationalis eſt cogitatiua, ergo rationalis habet organum. quod rationalis ſit cogitatiua, probant eo argumento, quod diſcurrit, componit, & diuidit, quæ ſunt officia cogitatiuæ. ſubiungit

autem

autem Auerroes: *quare Galenus, & alij crediderunt, has uirtutes eſſe in cerebro, ſic, ut cerebrum ſit organum ipſarum*: dicens, locum concomitantiæ ipſos in errorem traxiſſe: etenim arguebant ipſi, læſa una parte cerebri, læditur una uirtus, quo fit, ut illæ uirtutes ſint in cerebro, & ſingulæ in ſuis partibus cerebri: at Auerroes dicit, argumentum eorum peccare penes fallaciam concomitantiæ: etenim, cum cerebrum quoquo modo concurrat ad operationes ipſarum contemperando ſpiritus ipſis inſeruientes, crediderunt, ipſas eſſe in cerebro, quia cerebrum, ſiue operatio cerebri operationem earum comitatur: & ideo dicunt Peripatetici aliqui Latini, eas eſſe inſtrumentaliter in corde, manifeſtari autem in cerebro, ſed ubicumque ſint uirtutes ſenſitiuæ interiores, ſiue in corde, quæ fuit ſententia Ariſtotelis, & illa quidem (ni fallor) uera, ſiue in cerebro, certe ordo ille, quo diſponunt illas per partes cerebri, non eſt conſentaneus ueritati. non enim ita diſpoſiti ſunt uentriculi cerebri, ut ipſi finxerunt: quod ex ipſa corporis humani diſſectione facile conſpicitur: per quam apparet, non eſſe in cerebro uentriculum anteriorem, medium, & poſteriorem; ſed eſſe uentriculos duos ſuperiores, alterum dextrum, alterum uero ſiniſtrum, & duos inferiores: uerum, quod ad rationem eorum pertinet, qua contendebant oſtēdere rationalem habere organum: reſpondebat Auerroes, negando minorem illam propoſitionem, nempe rationalem eſſe cogitatiuam, quia cogitatiua, inquit ipſe, percipit tantū particularia, rationalis uero uniuerſalia: cogitatiuam enim appellat Auerroes uirtutem, quam Græci phantaſiam appellant, Latini uero imaginatiuam: ſed, ſi cogitatiuam accipiamus pro ea facultate animæ, quā Ariſtoteles τὴν διανοητικὴν appellat, quæ uox Latina ſatis commode reddit illam uocē, qua uſus eſt Ariſtoteles, & quæ ſemper in antiqua uerſione ſic reddita fuit: ſi, inquam, accipiamus cogitatiuam pro rationali, concedemus minorem propoſitionem, nempe, rationalem eſſe cogitatiuam; & negabimus maiorem, uidelicet cogitatiuam habere organum; negabimus etiam ipſam percipere tantum particularia, quandoquidē ipſa percipit uniuerſalia,

uerſalia, cũ ſit intellectiua, & immaterialis: quare damnãdus mihi uidetur error fere cõmunis eorũ, qui cogitatiuam pro uirtute ſenſitiua interiore, & illa quidẽ ceteris perfectiore accipiũt: etenim ſenſitiua interior alijs perfectior illa eſt, ut ante dicebamus, quã Græci phantaſiam appellant, nos uero imaginatiuã, quæ ex ſentẽtia Ariſt. nõ differt ſubiecto ab alijs ſenſitiuis interioribus, ſed ratione tantũ. ſunt enim tres dũtaxat ex ſententia Ariſt. uirtutes ſenſitiuæ interiores ſitæ in corde, nempe ſenſus communis, phantaſia, ſiue imaginatiua, & memoratiua. æſtimatiua enim, & ſi quam aliam fin gunt, ſenſitiuam interiorem, ad phantaſiam referenda eſt.

Referebat 2. loco Auerroes aliam dubitationem, quam dicebat fuiſſe Galeni, uidelicet: uirtus rationalis eſt propria hominis; uirtus cogitatiua eſt propria hominis; ergo uirtus cogitatiua eſt rationalis; ſed cogitatiua habet organum; ergo rationalis habet organum. Hanc rationem ſoluebat Auerroes, dicens, ipſam peccare fallacia conſequentis, quia ar gumentum eſt in ſecunda figura ex puris affirmatiuis: qui modus arguendi eſt uitioſus, niſi maior propoſitio ſit in ter minis paribus, ſic, ut poſſit conuerti ſimpliciter, cuiuſmodi non eſt maior propoſitio rationis allatæ. non enim uera eſt illa propoſitio: omnis uirtus propria hominis eſt rationalis: & hoc recte dicitur ab Auerroe, quia phantaſia humana, quam Ariſtoteles 3. de Anima tex. 57. deliberatiuam appellauit, & interdum ſolet appellare phantaſiam rationalẽ, quia eſt apta parere rationi, nonnumquam etiam appellat intellectum paſſiuum; hæc, inquam, phantaſia eſt propria hominis, non tamen eſt rationalis proprie: & ideo, ſi accipiamus cogitatiuam, ſicut ante diximus ipſam eſſe accipiendã, & ſicut Peripatetici multi ſolent accipere, & in antiqua Ariſtotelis uerſione ſemper accepta eſt, concedemus, cogitatiuam eſſe rationalem proprie, negabimus tamen ipſam uti organo corporeo: ſed Auerroes, uel interpres ipſius, qui ut linguam Latinam ignorauit; fortaſſe etiam, ut dicebat Buccaferreus, Arabicam ignorauit, Auerroes, inquam, ſiue eius interpres cogitatiuam appellat phantaſiam propriam hominis,

nis,quam phantaſiam negamus nos,& recte,eſſe rationalē, niſi quia eſt apta parere rationi.

Sed,quando propter ea,quæ referuntur ab Auerroe, incidit ſermo de Galeno, non alienum erit,ſi ea,quæ interdum dicuntur ab ipſo, & præſertim in libello, cui titulus de mutua conſecutione morum, & corporei temperamenti, paulliſper conſideremus. ipſe enim Galenus ſæpe fatetur ſe ignorare ſubſtantiam animæ. & in libello citato, cum dixiſſet, Platonem exiſtimaſſe,rationalē animā eſſe immortalē, ſubiunxit,ſe non reperire,quid ipſi obijciat,ut oſtendat, ſit ne, an non ſit immortalis: deinde ſtatim conatur oſtendere ipſam eſſe mortalem, hoc argumento, Anima rationalis eſt temperatura quædam cerebri: ſed interit ipſa temperatura: ergo & anima. conatur deinde oſtendere,ex ſententia Ariſtotelis, animam eſſe temperaturam, quia Ariſtoteles exiſtimauit, in quattuor qualitatibus, ſcilicet primis materiæ ingenitis naturalium corporum temperaturam exſiſtere. ſed, ut hoc ipſi concedamus,(nam Ariſtoteles ex quattuor primis qualitatibus temperaturam omnium mixtorum perfectorum cōflatam eſſe in libris de ortu, & interitu demonſtrauit) non tamen ſequitur, animam, aut formam aliquam mixti etiam inanimatam eſſe temperaturam illius mixti,ſed formam mixti præſupponere illam temperaturam,quia formæ naturales non introducuntur in materia, uel non educuntur ex potentia ipſius, niſi materia ſit diſpoſita ad ipſas accipiendas. diſponitur autem & præparatur per temperaturam conuenientem illis formis: quare formæ illæ nō ſunt temperatura, ſed ſupponunt illā temperaturam, tamquam præuiam diſpoſitionem materiæ, & tamquam inſtrumentum ſuarum operationum. licet enim operationes proueniant ab ipſis formis, non proueniunt tamen, niſi mediis ipſis inſtrumentis: hoc tamen intereſt inter animam rationalem, & alias formas animatas, atque etiam inanimatas, quod illæ immediate pendent a temperatura, illaq. immediate utuntur, tamquā inſtrumento: rationalis uero anima non pendet immediate a tēperamēto, neque illo utitur im-

mediate

mediate tamquam inſtrumento, ſed utitur illa uirtute, quæ pendet a temperamento, nempe ipſa phantaſia, & ideo ipſa non eſt actus corporis organici immediate, ſed media ipſa phantaſia. quare perperam ſupponit Galenus animam rationalem eſſe temperaturam cerebri: quandoquidem non eſt temperatura cerebri, neque totius corporis, ſicut neque alia forma mixti eſt temperatura illius, licet ipſam neceſſario præſupponat, & ab ipſa pendeat: & ideo formas, quæ educuntur e potentia materiæ, qualis eſt ſenſitiua, ſolet Ariſtoteles appellare rationes, ſiue proportiones primarũ qualitatum, quia pendent ab illis, & ex illis oriuntur. at anima intellectiua, cum non educatur e potētia materiæ, ſed extrinſecus adueniat, non eſt talis.

Cum uero quærit Galenus ex Platone, ſi anima eſt immortalis, cur cerebro uehementer refrigerato, aut calefacto, exſiccato, uel madefacto ipſa recedat a corpore? reſpondebit Plato, reſpondebit & Ariſtoteles, ipſam migrare e corpore, quia corrumpitur naturalis tēperies neceſſaria ad operationes phantaſiæ, qua intellectus utitur tamquam ſocia, & adminiſtra in ſuis operationibus. Item, cum quærit, cur ſanguinis copioſa euacuatio, cicutæ potus, & febris ardens diſiungat animam a corpore? reſpondebunt ſimiliter, quia corrumpitur naturalis temperies neceſſaria ad operationes phantaſiæ, ſine qua anima intellectiua nō poteſt informare corpus humanũ, neque poteſt intelligere. quod ſi uelit Galenus inferre animam eſſe temperaturã, quia, corrupta temperatura, anima recedit: inferat etiam, ſi poteſt, ipſam eſſe ſanguinem, quia, recedente ſanguine a corpore, ipſa recedit, ſed recedit, quia ex ſanguine nutritur animal, cum ſanguis ſit ultimum alimentum inter alimenta, quæ ſunt in potentia, & ex ſanguine generantur ſpiritus, quibus tamquam inſtrumentis utitur omnis anima animalium, licet uegetatiua, & ſenſitiua illis immediate utantur, intellectiua uero media ſenſitiua.

Ea uero, quæ ex doctrina Ariſtotelis in 2. de partibus animalium afferuntur a Galeno, ut oſtendat animæ uires conſe

qui temperiem ſanguinis, numquam alicui bene in philoſophia uerſato perſuadebunt, Ariſtotelem fuiſſe in ea ſententia, ut exiſtimaret, animam eſſe temperiem ſanguinis, licet exiſtimauerit, diuerſam ſanguinis temperiem diuerſos mores producere: qui mores licet neceſſario producantur in brutis, quorum animæ ſunt mixtæ cum corpore, non tamen res ita ſe habet in homine, in quo anima rationalis imperat corpori, atque etiam appetitui ſenſitiuo; &, ut ſuperius a nobis oſtenſum eſt, dum primam Ariſtotelis rationem pro immortalitate allatā explicaremus, imperat omnibus affectionibus, & propenſionibus corporeis, uel ſaltem eſt apta imperare, & ideo in homine mores animi neceſſario non ſequuntur temperaturam corporis, licet in quamplurimis, qui ſequuntur phantaſiam, & appetitum ſenſitiuum, frequenter ſequantur.

Argumenta uero, quæ ex phyſionomia afferuntur a Galeno, non ſolum non indicant, animam rationalem eſſe temperiem; ſed neque etiam indicant, ipſam, uel mores eius neceſſario ſequi illam temperiem: quod ſi in quamplurimis hominibus uerificentur ſigna illa phyſionomica, quæ oriuntur a temperatura: hoc tantum arguit, homines illos, ut ante attigimus, ſequi phantaſiam, & appetitum ſenſitiuum, nō autem rationem, quæ eſt apta imperare ipſi appetitui, & per quam homines, ut dicebat Ariſtoteles 7. Polit. multa agunt præter mores, & præter naturam, ſcilicet præter naturalem corporis temperiem.

Caput XI.

AFferuntur & alia argumenta a recentioribus, ut probent, animam rationalem eſſe organicam: quorū nos tria tantum afferemus, & diſſoluemus: cum alia partim ex dictis, partim ex dicendis nullo negotio ſolui poſſint. Argumentantur ergo communiter: omnis anima, quæ eſt actus corporis organici, eſt organica: ſed anima rationalis eſt actus corporis organici: ſequitur ergo, ut ſit organica. Nos

uero reſpondemus, maiorem illam propoſitionem, uniuerſaliter acceptam, & abſolute, eſſe falſam, licet etiam accipiatur de actu dante eſſe: etenim actus corporis organici eſt duplex; alter materialis, qui quidem non ſolum quoad operationes, ſed etiam quoad eſſentiam pendet à corpore; alter uero immaterialis, qui licet quoad operationes ſit inſeparabilis, tamen quoad eſſentiam ſeparatur, & hic non eſt organicus, utitur tamen in operãdo uirtute aliqua organica, quare omnis actus corporis organici, uel habet organũ, uel utitur potentia habente organum, ſicq. eſt actus corporis organici, uel immediate, uel mediate, & huiuſmodi eſt anima intellectiua; quæ dicitur actus corporis organici, quia utitur phantaſia, quæ eſt uirtus organica.

Argumentantur ſecundo: omnis potentia, cuius operatio impeditur impedimento, corporis mutatione mutatur, & læſione eius læditur. utitur corpore tamquam organo: ſed operatio intellectus impeditur, mutatur, & læditur impedimento, mutatione, & læſione corporis, ut conſtat in ebrijs, phreneticis, letargicis, & alijs id genus ægrotantibus, cuius rei nulla alia uidetur eſſe cauſſa, niſi depẽdentia ab organo corporeo: quare ſequitur, intellectũ uti organo corporeo.

Ad hoc argumentum reſpondent communiter, ueram eſſe illam propoſitionem: ſi uirtus illa, ſiue operatio eius impediatur, mutetur, & lædatur per ſe, & directe, non autem ſi ex accidenti ut intellectus, cuius operationem dicunt ex accidenti impediri, mutari, ac lædi.

Sed obijceret aliquis huic reſponſioni, quia hoc idẽ poteſt dici de ſenſu, quandoquidem ipſe nõ læditur per ſe, ſed ex accidenti, ratione ſcilicet organi, læſo uidelicet organo, in quo ita eſt ſenſus, ut eſſentia eius pendeat ab organo. & ita primo de Anima dicebat Ariſtoteles, ſenem, ſi acciperet oculum iuuenis, uiſurum eſſe, ut uidet iuuenis; & ſenectutem iccirco euenire, non quia anima aliquid paſſa ſit, ſed quia paſſum eſt id, in quo eſt anima, nẽpe ipſum corpus.

Quare aliam reſponſionem affert Ioannes Gandauenſis, dicens, operationem alicuius potentiæ dupliciter impediri

impedimento organi corporei; altero modo, quatenus illa operatio recipitur in corpore tamquam in ſubiecto,& ſic uera maior eſt illa propoſitio: nempe, omnem illam potentiam uti corpore, tamquam organo, cuius operatio impeditur, mutatur,& læditur impedimẽto, mutatione, & læſione corporis; altero uero modo, quatenus dependet ab aliquo exſiſtente, & recepto in organo corporeo, tamquam a mouente, quod moueat potentiam ad illum actum: & ſic non eſt uera maior illa propoſitio, & hoc modo operatio intellectus mutatur mutatione organi corporei. nam, licet intellectio non ſit, neque recipiatur in corpore tamquam in ſubiecto, pendet tamen a phantaſmate tamquam ab obiecto, quod phantaſma eſt in corpore: mutatur ergo, ut rem magis explicemus, intellectus mutatione corporis, non quia intellectus ſit mutatus per ſe, aut ex accidenti, ſed quia mutata ſunt phantaſmata, ſine quibus intellectus non poteſt intelligere. etenim, ut dicebat Ariſtoteles 3. de Anima tex. 32. quem locum alias ſæpe citauimus, intellectiuum ſpecies in phantaſmatibus intelligit: quare, cum phantaſia ſit tãquam liber intellectus; ſi phantaſmata ſint pura, & minime confuſa, recte intelliget; ſi uero impura, & perturbata, non recte: at illud nõ fit ratione organi, ſed ratione phantaſmatis, quod recipitur, & conſeruatur in illo organo. nam, quantumcũque lęderetur organũ, ſi phantaſmata non perturbarentur, intellectus operatio nihil mutaretur: ſed, ſi uteretur organo corporeo, læſo organo, ipſe lęderetur: quare maior illa propoſitio, quod ſcilicet potẽtia, cuius operatio impeditur impedimẽto organi, uera eſt, ſi impedimentũ proueniat ratione organi, non ratione eorũ, quæ ſunt in organo, uel ratione alterius potentiæ utentis organo; & ideo clarius eſt, & facilius poſſumus dicere, illam potentiã eſſe organi cauſſa, cuius operatio primo, & immediate impeditur impedimento organi, non autem ſi ſecũdario, ſiue per aliud, & mediate, ſicut impeditur operatio intellectus, non primo, neque immediate, ſed media phantaſia, qua tamquam miniſtra utitur in operando, & ideo ex operatione intellectus pẽ-

dente

dente hoc modo a corpore, nõ poſſumus arguere eius eſſentiam pendere a corpore, cum illa operatio nõ pendeat a corpore per ſe, primo, & immediate: quod quidem requiritur, ut ex aliqua operatione poſſimus recte inferre naturam facultatis operantis.

Quod uero illa mutatio animæ intellectiuæ nõ proueniat ex læſione, & mutatione eiuſdem animæ, ſed potius ex mutatione illius uirtutis, quæ eſt actus organi corporei, nempe phantaſiæ, conſtat ex rationibus, quibus ante demonſtratũ eſt, intellectum non eſſe mixtum cum corpore, ſed eſſe ſeparabilem, neque habere organum corporeum: ſolutionem uero, quam nos attulimus, docet Ariſtoteles in 1. de Anima, tex. 66. dicens: *ipſum igitur intelligere, & ſpeculari, marceſcit alio quodam interius corrupto, ipſum autem impaſsibile eſt*, docet & 2. eiuſdem operis tex. alias a nobis citato, ubi uolens ſignificare impedimentum intellectus, quo ratione corporis impeditur, ſic, ut minus recte poſſit fungi officio ſuo, appellat uelamen, ſiue tegmentum: dicit enim ibi, multa animalia ſequi phantaſiam, quia non habent intellectum, ut beſtiæ: aliæ uero, ut homines, quia aliquando uelatur, ſeu tegitur intellectus paſſione, ut ira, amore, & odio; aut morbo, ut lethargo, phrenetide, uel etiam ſomno. ſi ergo in his morbis, quando ſenſorium læſum eſt, dicit Ariſtoteles uelari, & tegi intellectum, ſatis ſignificat, ſe non cõcedere ipſum pati paſſione corporis, ſicut neque patitur lux ſolaris, quando nubibus obducitur, ſeu uelatur: ibi uero Ioannes Grammaticus, animaduertens uerba Ariſtotelis, dicebat, clarum eſſe, ex eo loco, Ariſtotelem opinari, intellectum eſſe immortalẽ, quia non dixit, in delirio pati, ſed tegi, aut uelari ipſam mentem.

Argumentatur tertio argumento ſumpto a labore, quia intellectus ſæpe fatigatur in longa contemplatione. uidemus enim ipſum ſæpe laborare in re difficili percipienda, ſic, ut corpus moleſtia afficiatur. quæ omnia uidentur arguere, ipſum uti organo corporeo, ſimulque illud eſſe cerebrum, uel partem eius aliquam.

Ad hoc argumentum reſpondet Auerroes: ſi intellectus fati-

fatigatur,ut in ſtudijs,hoc non fieri ratione ipſius,ſed ratione ſenſuum interiorum ipſi miniſtrantium; & quia ipſi fatigantur,iccirco intellectus per accidens fatigatur, quia fatigatur phantaſia,qua ſocia,ſeu miniſtra utitur in operando; neque enim alio ſenſu concedendum eſt, abſolute ipſum fatigari, etiam per accidens,quia,ſi id concederetur,ſequeretur,ipſum uti organo corporeo, & conſequenter, ipſum eſſe mixtum cum corpore.

Quare,ut tollatur omnis difficultas, quæ ex æquiuocatione eius,quod eſt per accidens,oriri poſſet,negemus,abſolute,& uniuerſaliter ipſum fatigari,propterea quod ipſe ſemper ſine ullo labore poſſet operari,&ſuapte natura eſt aptus ad operandum: quod ſi non ſemper operetur,hoc eſt ratione phantaſiæ,ſine qua non poteſt operari, quæ cum ſit uirtus corporea, in longa, ſeu difficili contemplatione fatigatur: quamobrem labor,& impotentia operandi referendus eſt,non in ipſum intellectum,ſed in phantaſiam,quam intelligendo,ut ſæpe diximus,tamquam ſociam, ſeu potius miniſtram habet; & ideo, licet operatio eius non pendeat a corpore,pendet tamen ab eo, quod pendet a corpore; propter hãc cauſſam intellectus,qui in omnibus hominibus eſt eiuſdem perfectionis eſſentialis,non operatur tamen æqualiter, neque æquali tempore in omnibus hominibus, ſed in alijs quidem melius, & citius; in alijs uero deterius,& ſerius.

Sic igitur ſoluta ſunt argumenta communia, quæ afferuntur contra rationem Ariſtotelis, aſſerentis, intellectum non habere organum.

Sed, quoniam dicunt etiam aliqui, Ariſtotelis eam eſſe ſententiam,quod intellectus non habeat organum certum, & determinatum, non quod non habeat indeterminatum, quia totum corpus eſt organum ipſius,licet ſuperius,contra Alexandrum Aphrodiſeum,oſtenſum ſit a nobis, hanc ſententiam alienam eſſe non ſolum a ſententia Ariſtotelis, ſed etiam a ueritate, non grauabimur eandem rem iterum repetere: ac primum quidem, ſi haberet organum indeterminatum; non eſſet ſeparabilis ab illo organo, ſed actus ipſius, ſicq.

ſicq. inſeparabilis ab ipſo: at Ariſtoteles in 3. de Anima tex. 7. dicit, ipſum eſſe ſeparabilem a corpore, immo dixit cauſſam diuerſitatis inter impatibilitatem ſenſus, & intellectus illam eſſe, quod ſenſus non eſt ſine corpore, intellectus uerò ſeparabilis eſt: & huius ſeparabilitatis, præter eas, quas ibi in 3. illo libro tex. 6. & 7. ualidiſſimas aſſignauit rationes, illam quoque in 2. eiuſdem operis libro tex. 11. rationem reddebat, quod intellectus nullius corporis eſt actus.

Præterea, quod etiam ante dicebamus, ſi anima intellectiua uteretur toto corpore pro inſtrumento, ipſa non eſſet locus ſpecierum, quia ſpecies non reciperentur in ſola anima, ſed in ipſo compoſito. Item ſequerentur & illa incommoda, quæ ſequi dicebamus, ſi intellectus haberet organũ, quodcumque illud ſit: etenim corporeo modo intelligeret, quare non intelligeret uniuerſalia, & quidditates non intelligeret etiam organum; eſſet ratio, & potentia illius organi; hoc eſt, penderet ab harmonia, & temperamento organi, quare læderetur, atque etiam deſtrueretur ab excellenti obiecto, & poſt apprehenſionem illius non poſſet inferiora obiecta apprehendere.

Demum ſequeretur, ut etiam ſuperius dicebamus, organa ſenſuum eſſe nobiliora organo intellectus, quia nobilius, & capax perfectioris temperamenti eſt organum determinatum, qualia ſunt organa ſenſuum, quam indeterminatũ, in quo ſunt oſſa, ligamenta, & alia id genus ignobilia. uidemus etiam inter alias potentias animæ, illas, quæ ſunt nobiliores, habere organa determinata; ignobiliores uero, ut altricem, & auctricem, habere organa indeterminata.

Caput X.

SI dubitaret præterea aliquis, quia ratio Ariſtotelis, probantis intellectum non habere organum, uidetur manca, & imperfecta, propterea quod uidetur tantummodo probare intellectum non habere organũ, quale habent ſenſus exteriores, non autem ipſum non habere tale organum,

quale

quale habent interiores, quia læduntur ab excellenti obiecto, & poſt apprehenſionem excellentis obiecti non poſſunt minora obiecta apprehendere: ſecus autem uidetur eſſe de ſenſibus interioribus: quare ſequitur, eandem impatibilitatem conuenire ſenſui interiori, quæ conuenit intellectui, & maxime cum experientia conſtet, excellentia ſenſibilia non corrumpere ſenſus interiores: præterea facile poterunt aduerſarij euadere illam rationem Ariſtotelis, quia, cũ dicit, intellectum non habere organum, propterea quod læderetur ab excellenti obiecto, uel poſt apprehenſionem excellentis nõ poſſet minora obiecta percipere; dicerent ipſi, hæc incommoda, quæ habent locum in ſenſu, non habere locum in intellectu, quia dicerent, intellectum habere organum purius, & ſpiritualius habere obiectum, quam ſenſus: quo fit, ut non lædatur ab excellenti intelligibili, neque ab ipſo impediatur in percipiendis aliis; ſecus uero in ſenſu, qui propter impuritatem organi, & uehementiam, ac maiorem (ut ſic dicamus) actiuitatem obiecti læditur ab excellenti obiecto.

Ad hanc dubitationem reſpondebat Ludouicus Buccaferreus, præceptor meus, (quem honoris cauſſa nomino) Ariſtotelem probare, etiam intellectum non habere organum, quale habent ſenſus interiores, quia illi quoque corrumpuntur ab excellenti ſenſibili, licet non perinde atque exteriores, qui immediate corrumpuntur. quod ſi quæſiſſet aliquis, quomodo corrumpantur interiores? reſpondebat, eos corrumpi ex reſolutione ſpirituum,& ex mala temperatura acquiſita in organis.

Sed, ſi ita corrumpantur, dicet aliquis, non ergo ab obiecto corrumpuntur, præterea, contendent aduerſarij, intellectum habere organum, &, licet non corrumpatur ab excellenti obiecto, corrumpi tamen ex mala tẽperatura acquiſita in organo,& ex reſolutione ſpirituum.

Quare uidetur mihi reſpondendum,quod,licet Ariſtotelis inſtitutum, ſaltem principale in tex. 7. 3. de Anima non eſſet,demonſtrare,intellectum non habere organum: ſed oſtendere

ſtendere differentiam inter impatibilitatem ſenſus, & intellectus, ut remoueret illam, quam in expoſitione illius loci dicebamus, obiectionem, ita tamen differentiam illam aſſignauit, ut ex ipſa innueret, colligi poſſe rationem illam, quę ualidiſſima colligitur ad probandum, intellectum non habere organum, ſaltem ſicut ſenſus exteriores, quorum organa, & obiecta ſunt notiora: quia, ſi haberent tale organum, ſequeretur, ipſum poſt apprehenſionem excellentis intelligibilis non poſſe inferiora intelligibilia apprehendere, quia ſpecies excellentis intelligibilis diutius remaneret in organo, & ita prohiberet, intellectum percipere nouum intelligibile, ſicut ſpecies ſenſibilium impreſſæ in organis ſenſuum exteriorum, & ibidem per aliquod ſpatium tẽporis propter uehementem impreſſionem factam ſeruatæ prohibent receptionem alterius ſenſibilis, ut declarauit Ariſtoteles in libello de ſomnijs cap. 2. quia, ſi quis inſpiciat Solem, poſtea ſe ad aliquid aliud uiſibile conuertat, non percipiet propriũ illius uiſibilis colorem, ſed uidebitur ei illud uiſibile ad albedinem declinare, propterea quod ſpecies luminis impreſſa oculo poſt remotionem eius a Sole remanet in ipſo, & impedit uiſionem ſaltem perfectam aliorum uiſibilium.

Ratio etiam ſumpta ex Ariſtotele, & ab eodem uſurpata in 2. lib. de Anima tex. 123. & lib. 3. tex. 143. ipſa quoque perſuadet, intellectum nõ habere organum, neque ſicut ſenſus exteriores, neque ſicut habent ſenſus interiores: quia, ſi haberet organum, qualecumque, & quodcumque illud ſit, neceſſarium eſſet, ipſum eſſe rationem, & potentiam illius organi, ſic, ut ſenſus non ſolum exterior, ſed etiam interior ſit ratio, & potentia ſui organi: quare, ſicut excellentia obiecta lædunt, atque interdum corrumpunt rationem, & temperaturam illam, a qua pẽdet ſenſus, ſic, ut ex ea oriatur, ita excellentia obiecta intellectus læderent, atque etiam corrũperent rationem organi ipſius; ſi organum haberet intellectus, & conſequenter a ratione, & proportione illius organi penderet: læderent autem illam rationem; quia obiecta illa non eſſent ei proportionata, & obiectum non proportionatum

3 lib. iuxta part. Græcor. 2. uero iuxta part. Auerr.

natum deſtruit rationem, & proportionem potentiæ perceptiuæ, ſicq. potentiam illam deſtruit, ſi illa pendeat ab illa ratione, & proportione, & ex illa oriatur. Ad illationem uero factam, cum dicebatur, eandem fore impatibilitatem ſenſus, & intellectus, quia non conſtat experientia, quod excellentia obiecta corrumpant ſenſus interiores: dico, idem omnino dicendum eſſe de illis ratione organi: quia, cum & ipſi ſint ratio organi, in eo ſenſu, quem diximus, neceſſe eſt illam rationem diſſolui a quocumque obiecto improportionato, ſi talia reperiantur: etenim excellentia obiecta illam quoque rationem diſſoluerent, ſi ſenſus interiores haberēt excellentia obiecta. quod ſi non diſſoluant hoc, iccirco uidetur euenire, quia ipſi non habent obiecta diuerſa ab obiectis ſenſuum exteriorum, & ideo ratione ipſorum, & præſertim ratione qualitatum tangibilium, ſi illæ admodum excedant, neceſſe eſt, ut organum ipſorum lædatur: & hinc ſequitur argumenti ſuperius adducti uis inſolubilis. uerum, ut illa cognoſcatur, uidetur nobis addendum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, quod, cum omnes ſenſus præſupponant ſenſum tactus, & rationem illius, læſo ipſo ab excellenti obiecto, læderetur organum ſenſuum interiorum: quod quidem neceſſario ratione tactus, quem præſupponit, & ſine quo nō poteſt conſiſtere, ratione, inquam, eius ſit calidum, uel frigidum, ſicq. læditur ab excellenti caliditate, aut frigiditate: quo fit, ut omnes ſenſus lædantur ab excellenti obiecto, uel ratione propria, uel ſaltem ratione tactus, quem omnes ſenſus de neceſſitate præſupponunt: & iuxta hanc ſententiam probari poteſt, & ad bonum ſenſum reduci reſponſio illa Buccaferrei, Præceptoris noſtri, dicentis, ſenſus interiores corrumpi ex mala temperatura acquiſita in organis.

Ad id uero, quod dicebatur, aduerſarios facile poſſe euadere illa incommoda a nobis allata, ſi dicāt, organum intellectus eſſe purius, & obiectum eiuſdem eſſe ſpiritualius: reſpondeo, ipſos non poſſe omnes difficultates euadere, neque omnes nodos enodare: quia, ſi intellectus haberet organū, quodcumque illud ſit, neceſſario ſequeretur, ipſum eſſe ra-

tionem

tionem illius organi: quare ratio illa ab excellenti admodũ,& immoderato obiecto læderetur, & diſſolueretur, quẽadmodum concentus fidium uehementi pulſatione diſſolui tur: immo fortaſſe illa incommoda magis haberent locum in intellectu,quam in ſenſu: quia,ſi fingas, intellectum habere perfectius, & purius organum, quod conſiſtat in ſumma mediocritate,excellentia, & immoderata obiecta, facilius dimouebunt illud ab illa mediocritate: &,quamuis obiectum intellectus ſit ſpiritualius, ſi tamen ipſe haberet organum, & ſpiritus ipſi immediate miniſtrantes in illo organo,tum ratio illius organi,tum ſpiritus illi diſſoluerentur,& labefactarentur ab excellenti obiecto: &, quanquam non diſſoluerentur ab excellenti obiecto ſibi proprio, diſſoluerentur tamen ab excellenti qualitate tangibili, ſicq. ab excellenti obiecto tactus,ueluti ab excellenti caliditate,frigiditate,humiditate,& ſiccitate: quem tactum (ut diximus) omnes alij ſenſus præſupponunt in ſuis organis: quare hoc argumentum,quod infertur ex tactu, & qualitatibus tangibilibus, iudicio meo,(ut ante attigimus) eſt ineuitabile, & inſolubile:quia omnes ſenſus etiam interiores,& omnes facultates animæ participes cognitionis, quæ habent organũ corporeum,non ſolum præſupponunt,ſuum organum eſſe tactu præditum, uerum læſo ipſo læduntur, & labefactato labefactantur.

Sed faciamus,aduerſarios poſſe euadere hæc incommoda:faciamus etiam,rationes allatas probare dumtaxat intel lectum non habere organum, quale habent ſenſus exteriores: certe aliæ rationes,quas partim in 3. de Anima innuebat Ariſtoteles, partim ex alijs eiuſdẽ locis colligi poſſunt, & a nobis colligebantur, apertiſſime demonſtrant,ipſum nõ habere organum,etiam ſicut ſenſus interiores: tum,quia,ſi haberet,non intelligeret illud; tum,quia ſpecies reciperentur in illo organo,quare ſolus intellectus non eſſet locus ſpecierum; tum,& multò magis, quia reciperet illas corporeo modo: Item neque illas reciperet, niſi affectas condicionibus indiuiduis,& materialibus, quare non intelligeret uni-

uerſalia, neque quidditates, ſed tantũ ſingularia, & ſingulares ſpecies, ſicq; non eſſet intellectus: & ideo, qui tribuunt intellectui organum, adimunt ei naturam propriam intellectus, adimunt etiam propriam operationem, quæ eſt intellectio uniuerſalium, & quidditatum.

Sic igitur ſoluta ſint argumenta, quæ uidebantur perſuadere, intellectũ habere organum: ſic etiam ſoluta ſint reliqua omnia, quæ uidẽtur facere contra eius immortalitatẽ: quod in ſecunda parte diſputationis propoſitæ nobis faciẽdũ eſſe propoſueramus. Quare firma, (niſi mea me fallit opinio) & incolumis remanet cõcluſio, principio huius diſputationis nobis ad demonſtrandũ propoſita, Ariſt. ſcilicet non ſolũ clariſſimis, & diſertiſſimis uerbis pronuntiaſſe, ſed efficaciſſimis etiam, & ualidiſſimis rationibus, præſertim ex natura, & ui animæ noſtræ ductis, eiuſdem immortalitatẽ demonſtraſſe. Ex quibus intelligetur, utrum recte ſentiant uiri illi, ingenio, & doctrina præſtantes, qui dixerunt, eam rationibus naturalibus non poſſe demonſtrari.

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS

LIBER V.

Caput I.

SED, quando demonſtratum eſt, humanam mentem eſſe immortalem, & æternam, ſuccedit ſecunda quæſtio, An nimirũ ſenſerit Ariſtoteles, quod anima ſit undique æterna, ita, ut, quemadmodum nullum habitura eſt finem, nullum etiam habuerit principium? an uero, quod inceperit eſſe cum corpore; &, ſi incepit, an exiſtimauerit, quod per creationem, an uero alio modo inceperit eſſe, ex ſententia Ariſtotelis; quia de ueritate non eſt ambigendum, ipſam ſcilicet per creationem a ſolo Deo procedentem habuiſſe initium.

Ad hanc quæſtionem reſponderunt Theophraſtus, Eudemus, Themiſtius, Simplicius, Auerroes, & plerique alij, mentem humanam eſſe undique æternam, quorum opinio licet falſa ſit, uidetur tamen Ariſtotelis dogmatibus conſentanea; primum quidem, quia quod caret fine, ex Ariſtotelis ſententia, caret etiam principio: ſed anima rationalis caret fine, quare caret etiam principio. maior propoſitio probata fuit ab Ariſtotele primo lib. de Cælo a tex. 103. uſque ad finem illius libri, ubi impugnauit dogma Platonis, dicentis, mundum incepiſſe, numquam tamen deſiturum: ibiq; conatus eſt demonſtrare uniuerſaliter, omne quod caret fine, carere etiam principio, atque omne id, quod a parte poſt, ut dicunt, perpetuum eſt, a parte quoque ante perpetuum eſſe.

item

item conatus eſt oſtendere, ingenitum, & incorruptibile reciprocati: neque ſolum ibidē locutus eſt Ariſtoteles de ijs, quæ habent principium per ueram generationem, ſed omnino de omnibus, quæ quomodocumque incipiant eſſe, ſiue per generationem, ſiue ſine generatione, ut conſtat ex uerbis ipſius, præſertim in tex. 111. & 112. illius primi lib. etenim in tex. 111. ubi numerat ſignificata ingeniti, hæc uerba habuit: *Dicitur autem ingenerabile uno quidem modo, ſi ſit aliquid nūc, quod prius non erat ſine generatione, & mutatione, quemadmodum quidam tangi, & moueri dicunt: non enim generari dicunt id quod tangitur, atque id quod mouetur*. & in tex. 112. exponens ſignificata geniti dixit: *Eodem autem modo, & generabile uno quidem modo, ſi quod non erat prius, poſterius ſit, ſiue genitum, ſiue abſque generatione: quandoque quidem non ſit, rurſus autem ſit*. deinde in fine illius libri tex. 140. propoſitam ſibi ſententiam concludebat his uerbis: *Et naturaliter autem, & non uniuerſaliter conſiderantibus impoſſibile eſt, aut, quod ſempiternum erat prius, corrumpi poſterius; aut, quod prius non erat, poſterius ſempiternum eſſe. Corruptibilia enim omnia, & generabilia, & alterabilia ſunt. alterantur autem contrarijs; & ex quibus conſtant, quæ natura ſunt, & ab eiſdem ipſis corrumpuntur*. Et paulo ſupra in tex. 128. dixit: *Sequuntur igitur ſe inuicem generabile, & corruptibile*.

Secundo arguunt in eandem ſententiam, argumento ſumpto ex Ariſtotele 7. Metaph. ubi dicit, omnem formam ſubſtantialem, quæ cum materia incipit eſſe, cum eadem quoq; deſinere eſſe: quare, ſi anima intellectiua ex ſententia ipſius inciperet eſſe cum materia, cum illa quoque deſineret eſſe. hoc tamen argumentum facile ſoluitur, ſi dicamus formam, quæ ita incipit eſſe cum materia, ut e potētia eius educatur, ipſam quoque cum materia deſinere eſſe.

Tertio argumentor ego: anima intellectiua ex ſententia Ariſtotelis, falſa tamen, fuit ante corpus, non ergo incipit eſſe cum corpore: antecedens probatur, primum ex uerbis Ariſtotelis 3. de Anima tex. 20. dicentis; *Non reminiſcimur autem; quod hoc quidem impaſſibile eſt, intellectus uero paſſiuus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit*. Quorum uerborum,

rum, ut in expoſitione illius loci indicauimus, ille eſt ſenſus: Non habentes animam, quæ fuit ante corpus noſtrum, & quæ omnino præceſſit in alijs, non reminiſcimur eorum, quæ prius cognouit. non enim ille poteſt eſſe ſenſus, quod nós non reminiſcimur poſt mortem, quia nos nō ſumus poſt mortem, licet ſit anima: quare quæſtio illa, cui reſpondet Ariſtoteles, præſupponit, animam noſtram fuiſſe ante unum quemque noſtrum.

Secundo, & clarius idem confirmatur ex eodem Ariſtotele 2. de generatione animalium cap. 3. ubi, cum dixiſſet, omnes animas prius haberi potentia, quam actu, proponit illā quæſtionem, an omnes animæ aduenianr corpori, cum prius non fuiſſent, an omnes cum ante fuerint, an partim cum ante fuerint, partim cum ante non fuerint. Item, an omnes extrinſecus, aut nulla, aut partim extrinſecus; partim uero nō extrinſecus accedant: reſpondet fieri non poſſe, ut omnes ſint ante, hoc eſt, ut omnes antecedant ipſi corpori: quia ea principia, quorum eſt actio corporalis, non poſſunt eſſe ſine corpore: qua non poſſunt extrinſecus aduenire, & ideo non poſſunt antecedere corpori: quia ea, quæ extrinſecus adueniunt, putat ipſe, ut ex uerbis eius colligitur, eſſe ante corpus, & ea, quæ ſunt ante corpus, extrinſecus aduenire, hoc eſt, non educi e potentia materiæ. Ex quo quidem intelligitur, Ariſtotelem naturali tantum lumine ductum, nō cognouiſſe aliud principium formæ ſubſtantialis, quam per rectam generationem. cum igitur dixiſſet, uegetatiuam animam, & ſenſitiuam non poſſe eſſe ante corpus, ſubiunxit: *Reſtat igitur, ut ſola mens extrinſecus accedat, eaq. ſola diuina ſit*. quod ſi extrinſecus accedit, ſequitur, ut fuerit ante corpus: quia pro eodem accipit Arſtoteles, extrinſecus accedere, & eſſe ante corpus: uel ſaltem alterum alteri conſequens: quod ſi eſt ante corpus, ſequitur, ex eiuſdem ſententia, ut ſit undique æterna. non enim poſſumus ſententiam Ariſtotelis in eo ſenſu accipere, ut dixerit, eam eſſe prius natura, quam corpus, non autem prius tēpore: quia ibi loquitur de prioritate non ſolum naturæ, ſed præſertim temporis. quod ex multis conſtat: ac

ſtat: ac primum: quia, ſicut, cum dixerat, omnes animas prius haberi potentia, quam actu, loquitur de prioritate temporis; ita, cum dicit, aliquas eſſe prius, quam corpus, ſicut ante corpus, neceſſe eſt, ut loquatur de prioritate temporis, & nõ naturæ: quia prioritate naturæ omnes ſunt ante corpus. Et ideo ſecundo loco argumentum: ſi de prioritate naturæ loqueretur, non ſolum intellectiua, ſed etiam uegetatiua, & ſenſitiua, ut mox attigimus, eſſent prius, quam corpus: ſed hoc negat Ariſtoteles de uegetatiua, & ſenſitiua; concedit autem de intellectiua: quo fit, ut loquatur de prioritate temporis.

Poſtremo, ratio, qua utitur Ariſtoteles, ut oſtendat, ſolam mentem extrinſecus aduenire, ſicq. ſolam eſſe ante corpus, ſolam eſſe diuinam, quia nihil cum eius actione communicat actio corporalis, apertiſſime indicat ipſum loqui de prioritate temporis: quia uegetatiua, & ſenſitiua, quoad prioritatem naturæ, ſunt priores corpore: & tamen cum earum actione communicat actio corporalis: quare, cum habeant organum corporeum, quod concurrit ad earum operationes, hinc fit, ut illæ, & per organum corporeum, & in organo corporeo fiant.

Caput II.

PRæterea, ſi anima intellectiua, cum ſit immortalis, haberet aliquod initium ex ſententia Ariſtotelis, & tale ut inciperet eſſe cum corpore, non poſſet illud habere, niſi per nouam creationem a ſolo Deo prouenietẽm, quale principium habere ipſam fides noſtra docet: & in pleriſq. locis demonſtrauit S. Thomas, & præſertim 2. contra gẽtes cap. 87. & in prima parte quæſt. 90. art. 2. ſed hoc initiũ, & hoc genus productionis Ariſtoteles, ſolo naturali lumine ductus, & illuſtratus, non cognouit, neque cognoſcere potuit: ut philoſophus naturalis, non cognouit quidem: quia nullam efficientiam, nullamq. productionem cognouit Ariſtoteles, quæ non ſit motus, aut mutatio, quæue ſubiectum ali-

quod non præſupponat,ſed creatio nõ eſt motus, neque mutatio,neque ſubiectum aliquod præſupponit.

Secundo,ſi creationem cognouiſſet,non negaſſet,ea,quę carent fine,carere principio:quia ſubſtantiæ ſeparatæ, mundus, & anima noſtra carent fine, & tamen non carent principio,quod uere per creationem habuerunt.

Quod uero nullam efficientiam, nullamq. productionem cognouerit Ariſtoteles,quæ non ſit motus, neque mutatio, quæue nullum ſubiectum præſupponat,oſtendo: quia ſi aliã cognouiſſet imperfectam,utique ſciens,& uolens efficientis cauſſæ notitiam tradidiſſet. cum illam ſemper per motum non ſolum in philoſophia naturali, ſed etiam in prima philoſophia deſcripſerit. idem ex eo intelligitur, quod ipſe cõmunem ſententiam philoſophorum,affirmantium ex nihilo nihil fieri,probauit: adde,ut ante attigimus,quod,cũ mundum,& animam noſtram fine carere cognouiſſet, nulla erat ratio, per quam negaret illa carere principio illo, quod eſt per creationem,ſiue nouam, ſiue antiquam. 1. phiſic. tex. 34.

Confirmatur idem aſſumptum: quia,ſi cognouiſſet Ariſtoteles aliquam efficientiam,quę neque eſſet motus,neque mutatio,neque ſubiectum aliquod præſupponeret,nulla eſſet ratio, qua in extremo 1. lib. de nat. auſcult. contendebat probare materiam eſſe ingenitam: quia, ſi eſſet genita, ſequeretur,eam eſſe,antequam fieret,nulla,inquam,eſſet ratio eius: quia dicam ego ipsã eſſe factã per creationẽ,neque ſequitur eam eſſe,antequam fiat. quod, ſi dicas, rationem Ariſtotelis probare dumtaxat,ipſam non eſſe genitam generatione naturali,ſicq. factam eſſe ſine motu, & mutatione: ego,contra,oſtendam,ipſum non cognouiſſe creationem,neque nouam,neque antiquam, nullamq. omnino productionem conceſſiſſe,quæ non ſit motus, neque mutatio: quia,ſi cognouiſſet,non ſolum nulla eſſet, ſed nullam eſſe, omnino cognouiſſet primam illam rationem, qua in principio 8. de naturali auſcult. conatus eſt demonſtrare æternitatem motus: ibi enim uolens oſtẽdere,non dari motum aliquem nouum,& primum, ſed quocumque motu,qui fingatur eſſe pri

 mus,

mus, dari alium priorem motum, ex definitione motus, & ex ipſa rerum euidentia, accipiebat id, quod mouet, & quod mouetur, exſiſtere, ſi exſiſtat motus. &, hoc poſito, ſic argumentabatur: uel illud mobile, & mouens ſunt facta, uel ſempiterna: ſi ſunt facta, neceſſe eſt, ante illum, qui fingitur primus eſſe motus, fuiſſe alium motum, uel mutationem, nempe illam, per quam ſunt facta: quare ille, qui accipiebatur eſſe primus motus, nō erit primus, ſed alius ipſum anteibit: at, ſi conceſſiſſet Ariſtoteles creationem, errore utique ridiculo, & pudendo erraret: quia aduerſarius, ponens motum eſſe factum, diceret, mobile, & mouens eſſe facta, neque tamen anteire aliam mutationem, per quam ſint facta: propterea, quod facta ſunt per creationem, quæ neque eſt motus, neque mutatio.

Quod ſi diceretur, quod aliqui dicunt, rationem Ariſtotelis eſſe ad homines putantes nihil fieri ſine motu, uel mutatione; tunc ſequeretur, Ariſtotelem non exiſtimaſſe ſe ſimpliciter, & abſolute demonſtraſſe æternitatem motus: quia, quando argumentamur ex conceſſis ab alijs, non poſſumus abſolute dicere, illud, quod infertur, neceſſario ita ſe habere: quandoquidem rationes illæ, quæ ducuntur tantum ex conceſſis ab alijs, ſunt dialecticæ, & generant opinionem, non ſcientiam: ſed Ariſtoteles exiſtimauit, ſe per illam rationem ſimpliciter, & neceſſario demonſtraſſe æternitatem motus, ut patet ex tex. 36. 45. 49. 52. 55. etenim tex. 36. dixit: *Sed motum non eſſe impoßibile eſt: oſtenſum eſt enim prius, quod neceſſe eſt motum ſemper eſſe.* Si ergo hæc concluſio, motum ſemper eſſe, eſt neceſſaria, & demonſtrata eſt, ſequitur, Ariſtotelem exiſtimaſſe, ipſam demõſtratam eſſe ex neceſſarijs: quia neceſſarium, ut ipſe docuit primo poſteriorum Anal. non ſequitur demonſtratiue, niſi ex neceſſarijs: deinde in tex. 45. dixit: *Quoniam neceſſe eſt motum ſemper eße, & non intermitti, neceſſarium eſt, eſſe aliquod perpetuum, quod primum mouet.* Quare, ſi nō putaſſet Ariſtoteles ſe abſolute demonſtraſſe æternitatem motus, ſequeretur eundem putaſſe, ſe non demonſtraſſe exſiſtentiam, & æternitatem primi mouentis, & tamen dicit:

Neceße

Neceſſe eſt eſſe aliquod perpetuum, quod primum mouet; & in tex. 49. dicit: *Manifeſtum eſt autẽ, quod neceſſe eſt eſſe aliquod unum, & perpetuũ primũ mouens: oſtenſum eſt enim, quod neceſſe eſt ſemper motũ eſſe.*

Quod ſi ad ſolam illam antiquam creationem, quam ſimplicem emanationem appellant, confugiat quis, & dicat, nõ negare Ariſtotelem in illa ſua ratione 8. de naturali auſcult. quin motus per illam productus ſit, licet non ſit productus per motum, uel mutationem, ut alia omittam, ſic argumentor: ſi alicubi conceſſiſſet Ariſtoteles hanc ſimplicem emanationem, maxime conceſſiſſet in 1. de Cælo tex. 100. ubi dixit, *unde*, ſcilicet a cælo, & alijs, *pendet his quidem exactius, his uero obſcurius eſſe, & uiuere*: ſed ibi non loquitur de ſimplici emanatione; uerum de uita, quæ conuenit etiam corruptibilibus: at ſimplex emanatio, ſi eam concederet Ariſtoteles, ſolis rebus perpetuis tribuenda eſſet, uel conceſſiſſet eã in 2. Metaphyſ. cum dixit: *Vnumquodque maxime ceterorum eſt ipſum, quo & ceteris nomen idem cum eadem conuenit ratione, ut ignis eſt calidiſsimus: nam ceteris hic caliditatis eſt cauſſa: quare, & id eſt ueriſsimum, quod eſt poſterioribus, ut uera ſint cauſſa.* Sed ibi loquitur Ariſtoteles, non de Deo, & de ſubſtantijs ſeparatis, ſed de principijs demonſtratiuis, ut primo poſteriorum Anal. loquebatur, quando uſus eſt illa eadem propoſitione, & propter quod unumquodque tale, & illud magis, & ideo ſubiunxit: *quapropter & eorum principia, quæ ſunt ſemper ueriſsima, ſint ſemper neceſſe eſt.* 2. Metaph. tex. 4. 1. Poſt. tex. 15.

Quod ſi etiam dicat quis, Ariſtotelem, cum dicit, ea, quæ carent fine carere principio, auferre tantum illis principiũ, quod eſt per generationem, non autem illud, quod eſt per ſimplicem emanationem: contra hanc reſponſionem faciũt uerba Ariſtotelis ſuperius citata ex 1. de Cælo tex. 112. ubi exponens ſignificata geniti, & ea diſtinguens, dicebat, genitum primo modo dici illud, quod, cum prius non eſſet, poſterius eſt, ſiue per generationem, ſiue ſine incipiat eſſe: quare, ſi inceperit eſſe etiam ſine generatione, non poteſt eſſe incorruptibile: nam, ſi principium habeat, quodcumque illud ſit, ſequitur ex ſententia Ariſtotelis, ut habeat finem.

Caput III.

HActenus igitur oſtenſum ſit, Ariſtotelem non cognouiſſe creationem. quod uero, ut philoſophus naturalis, non potuerit cognoſcere, quodq. lumen naturale non uideatur poſſe ad eam pertingere, in hunc modũ uidetur poſſe oſtendi: ſenſus, & ratio innixa ſenſibus, quæ duo ſola ſunt inſtrumẽta philoſophi naturalis, ut talis eſt, & quorũ utroq. nitebatur Ariſtoteles, licet Chriſtianæ fidei, ut alias diximus, non aduerſentur; ad eam tamen, cum alterius ſit ordinis, non pertingunt: quare neque ad creationem penetrare poſſunt, quam nos per ſolam fidem, ſuperantem ſenſus, & humanam rationem, cognoſcimus, & cõfitemur: quare Ariſtoteles per ſolum naturæ lumen non potuit ipſam concedere: & ideo Beſſarion Cardinalis Nicænus, uir doctiſſimus, creationis cognitionem eſſe donum fidei, & Albertus ille Magnus 1. ſent. diſt. 1. dicebat, creationem demonſtratione naturali non poſſe confirmari, atque iccirco nõ fuiſſe cognitam, niſi illis, qui Prophetas legerunt.

Secundo, argumentor in eandem ſententiam, ut oſtendã, philoſophum naturalem, ut talis eſt, non poſſe cognoſcere creationem, illo poſito, quod philoſophi poteſtatem Dei ordinariam dumtaxat contemplantur, illamq. eiuſdẽ efficientiam, quam medijs ſecundis cauſſis exercet: ſed creatio eſt opus extraordinariæ, atque omnino infinitæ poteſtatis diuinæ, & ſolius diuinitatis proprium eſt opus, in quo, ut recte dicebat S. Thomas, ne miniſterio quidem utitur Angelorũ, quo fit, ut Ariſtoteles, & ceteri philoſophi, ſolo lumine naturali illuſtrati, & quibus nullus Chriſtianæ fidei radius affulſit, creationem cognoſcere non potuerint.

Sed, quando ex definitione efficientis, quam ſemper per motum tradidit Ariſtoteles, oſtenſum eſt, ipſum non cognouiſſe, neque potuiſſe naturaliter cognoſcere creationem ipſam: oſtendamus idem ex definitione materiæ tradita ab ipſo 2. de naturali auſcult. tex. 69. ubi dixit: *& in ijs, quæ fiunt, materiam*, ſcilicet, eſſe cauſſam. ex quibus uerbis cõſtat, ipſum

exiſti-

exiſtimaſſe, materiam eſſe cauſſam omnium, quæ fiunt, & omnia, quæ fiunt, fieri ex materia, & præſuppoſita aliqua materia: quod etiam conſtat ex his, quæ ſcripta ſunt apud eundẽ Ariſtotelem 1. & 8. de naturali auſcult. & etiam 12. Metaphyſ. quare, ſi anima rationalis fieret, ſequeretur, ipſam fieri ex materia, & conſequenter non eſſe immortalem, ut demoſtrauit Ariſtoteles, qui non cognouit, ut diximus, creationem, quæ nullum præſupponit ſubiectum.

Præterea, philoſophi nulla alia de cauſſa dicunt, motum præcedere omnem effectum nouum, niſi, quia nouum dicit tranſitum de non eſſe ad eſſe, quod manifeſtam ſignificat tranſmutationem, quæ trãſmutatio eſt a non eſſe ad eſſe, ſuppoſito aliquo ſubiecto: quare ipſi non concedunt aliquod nouum fieri, niſi ex materia ſubiecta.

Poſtremo, ex loco ſuperius citato 2. de generat. animalium cap. 3. ſatis intelligitur, Ariſtotelem non cognouiſſe creationem animæ rationalis: quia, ibi apertiſſime (ut ante dicebamus) concedit, animam, quæ extrinſecus accedit, hoc eſt, non educitur e potentia materiæ, antecedere ipſi corpori: quare, ſequitur ipſum non exiſtimaſſe, neque cognouiſſe ipſam creari: quia, ſi crearetur, inciperet eſſe cum corpore, per creationem tamen, & non eſſe ante corpus. Ex quibus omnibus antedictis intelligitur, quod Ariſtoteles exiſtimauit, falſo tamen, animam noſtram eſſe undique æternã. Sed, quoniam huic ſententiæ, non ſolum aduerſatur ueritas ipſa, uerum etiam uidentur aduerſari uerba aliqua Ariſtotelis, operæpretium eſt, quando eius doctrinam profitemur, ipſum tueri, & conſtantiam in eius dictis, quantum ueritas patitur, oſtendere.

Duo igitur in doctrina Ariſtotelis uidentur aduerſari cõcluſioni a nobis ex ſententia ipſius poſitæ, quod ſcilicet exiſtimauerit ipſe, animam noſtram eſſe undique æternam, alterum quidẽ, quia, ſi ipſa ſit undique æterna, ſequitur, Deũ non eſſe cauſſam efficientem omnium rerum, quia nõ erit cauſſa efficiens animæ: quod non ſolum ueritati, ſed etiam ſententiæ Ariſtotelis repugnat: alterum uero, quia 12. Metaphyſ.

taphyſ. tex. 16. dixit, formam eſſe ſimul cum eo, cuius eſt forma; nihil uero prohibere aliquam remanere: & huiuſmodi eſſe animam rationalem: ex quo ſequitur, ipſam non antecedere corpori: quare, neque eſſe undique æternam: quod ſi dicas, eam antecedere, nõ ſeruabitur illa differentia inter cauſſam efficientem, & formalem, quam ibi poſuit Ariſtoteles, quod ſcilicet cauſſæ efficientes, ſiue mouentes antecedant cauſſatum: formales uero ſimul ſint cum cauſſato.

Ad primum, quod obijciebatur, licet ſciam pleroſque philoſophos ex ſententia Ariſtotelis dicere, Deum eſſe cauſſam efficientem omnium dumtaxat conſeruantem: quia ab ipſo pendent omnia in genere cauſſæ finalis non efficientis: ego tamen exiſtimo, quod Ariſtoteles ſenſit, omnia pendere ab ipſo Deo; non ſolum in genere cauſſæ finalis, ſed etiam in genere efficientis: & puto, Ariſtotelem facile conceſſurum eſſe, Deum eſſe uere cauſſam efficientẽ omnium rerum, in eo ſenſu, quem alias declarauimus, & quem docuit nos Ariſtoteles alibi, & præſertim in 2. de Cælo, ubi dixit, dexteram partem cæli eſſe oriens ſimpliciter: quia, licet cælum numquam inceperit moueri, ſi tamen incepiſſet, ab illa parte ſuũ motum incepiſſet. Licet ergo multa Ariſtoteles exiſtimauerit, falſo tamen, eſſe improducta, ſi tamen illa fuiſſent producta, diceret Ariſtoteles, nullum illa habuiſſe opificem, nullumq. ſuę productionis auctorem, præterquam Deum, ſicq. ipſum ex ſententia etiam ipſius eſſe omnium rerum cauſſam efficientem.

2. de Cælo tex. 13.

Ad id uero, quod ſecundo loco obijciebatur, reſpondeo, Ariſtotelem dixiſſe, mentem remanere, quod non conuenit alijs formis: quia ex eo intelligitur eam antecedere, cum ex ſententia ipſius omne incorruptibile ſit ingenitum: neque tamen iccirco tollitur differentia inter mouentem cauſſam, & formalem: immo maxime remanet: quia omnis cauſſa efficiens antecedit: at non omnis forma antecedit; immo nulla forma, ut forma, antecedit: nam anima intellectiua, licet antecedat huic, & illi corpori, cuius ex ſententia Ariſtotelis non eſt forma propria, & immediata, non antecedit tamẽ

corpori

corpori humano, cuius eſt forma propria, ut infra in quæſtio ne propria, quod totum hoc putauerit Ariſtoteles, magis oſtendemus. Sed quæret aliquis, ſi anima intellectiua eſt undique æterna, cur ipſi corpori corruptibili fuerit coniuncta? reſpondebo, hoc ideo factum eſſe, ut in eo poſſit operari: cum enim intellectus noſter ſit intellectus in potentia, nō poteſt exire in actum ſine auxilio ſenſus; ſenſus uero indiget organo corporeo, quod cum neceſſario conſtet ex contrarijs qualitatibus, neceſſario etiam eſt corruptibile; iccirco ipſa fuit coniuncta corpori corruptibili.

Caput IV.

SIc igitur diximus reſpondendum eſſe ex ſententia Ariſtotelis, falſa tamen, ad quæſtionem propoſitam, quod ſcilicet exiſtimauit Ariſtoteles, animam intellectiuam eſſe undique æternam. ipſe enim, ſicut non cognouit originem, & principium mundi, ita neque cognouit originem animæ rationalis: quare ſecundum ueritatem Catholicam, cui firmiter credendum eſt, licet ipſa anima rationalis nullum ſit finem habitura, habuit tamen principium a Deo per creationem nouā, creat enim ipſam Deus, & creando infundit, itaque nō fuit creata ante corpus, ſed facto & diſpoſito corpore, & præparato per debitam temperaturam, & debitas diſpoſitiones, ipſa creatur a Deo, qui ſingulis naſcentibus ſingulas animas ſubminiſtrat: habuit ergo anima noſtra principium a Deo per creationem nouam, ſicut habuit mūdus, & Angeli ipſi, quorum Deus eſt cauſſa efficiēs ſine motu, ſed per creationem, quam efficaciſſime probant Theologi noſtri, & qua poſita nullo negotio ſoluitur illa prima ratio Ariſtotelis efficacior ſecunda, qua principio 8. de naturali auſcult. contendit probare æternitatem motus, ſicut & ſoluuntur illæ, quibus conatur probare æternitatem mundi, quæ cum falſam concluſionem concludant, neceſſe eſt, ut falſo aliquo principio utantur, cūm falſum non niſi ex falſis inferatur; & ideo fruſtra laborant Philoſophi Peripatetici,

rici,) dum conantur tueri rationes Ariſtotelis, allatas ad probandam æternitatem mundi, quas ego, quia non eſt hic locus, non conabor hoc loco ſoluere, ſed earum ſolutionem reijcio ad alium locum, & ad Theologos ipſos, ſicut & ad ipſos reijcio probationem creationis, quam poſitis principijs fidei noſtrę facile poſſunt oſtendere. Et, hac ueritate cognita, cognoſcitur, ut dixi, origo mũdi, cognoſcitur & origo animæ, & pleraque alia, quæ Philoſophis fuerunt incognita.

Ex eo uero, quod fuit dictũ ſecundũ ueritatem Catholicam, animam noſtram non fuiſſe creatam ante corpus, ſed facto & diſpoſito corpore ipſam creari a Deo, qui, ut optime docent Theologi noſtri, ſingulas ſingulis naſcentibus animas ſubminiſtrat, illasque creat, & creando infundit, ex eo, inquam, intelligitur, ſententiam Platonis non ſolum ab Ariſtotele, & philoſophia, ſed etiam a ueritate longe aberrare: qui dixit, Deum ab initio produxiſſe animas in certo numero, illasque per ſingula aſtra diſpoſuiſſe, quæ quidem modo deſcendunt in corpora, modo recedunt; &, ſi uitae curriculum ſibi traditum recte cõfecerint, redeunt ad comparem ſtellam, ubi beatam uitam degant: at, qui contra egerit, eum dicit in ſecundo ortu, mutato ſexu fieri feminam, &, qui ne tum peccandi finem fecerit, quatenus deprauatus, eatenus in brutorum naturam ſuis moribus ſimilem tranſire, nec prius a mutationibus, & laboribus ceſſare, quam, omnibus affectibus ſedatis, & uitiis expurgatis, ad primum optimum ſui habitum redierit. Hanc uero fuiſſe Platonis ſententiam poſſet aliquis colligere ex uerbis eius in Phædone fol. 503. uerſionis Latinae, & in Timaeo fol. 713. & 714. ſed certe cuiuſcumque fuerit, fatua admodum eſt ſententia, & adeo fatua, ut Baſilius Magnus Exameron Homil. 8. recte dixerit, Ego quidem piſces illos olim fuiſſe non auſim dicere, eo tamen tempore, quo iſta ſcriptioni mandabam, expertes magis rationis, quã piſces fuiſſe, uehementer aſſererem, atque contenderem.

Ad illam, quam referebamus, fatuam ſententiam de origine animæ, quamproxime acceſsit Origenes, qui propter

doctri-

doctrinam Platonis in alios pleroſque pernicioſos errores lapſus eſt, ſicut lapſi ſunt plerique alij: adeo ut Irenæus dixerit, hæreſes, & errores exortos in fide Chriſtiana fere omnes ex doctrina Platonis ortos eſſe: Origenes, inquam, ad illam, quæ uidetur fuiſſe Platonis, ſententiam proxime acceſsit, quippe qui dixit, animas, ante mundum uiſibilem, a Deo fuiſſe creatas, & quia Luciferi peccato contaminatæ aliquæ magis, aliquæ minus fuerunt, iccirco diuino decreto corporibus cōiunguntur, ſed in eorum pœnam, adeo ut iuxta quantitatē peccati diuerſis corporibus, uel melioribus, uel deterioribus tamquā carceri cuidam ſint incluſæ. Sed hæ ſententiæ alienæ ſunt a philoſophia, quæ, ut dixi, duce utitur ratione, & ſenſu, alienæ ſunt etiam a ueritate: &, præter eas, quas ſuperius attigimus, rationes, ſi animæ ante generationem hominis exſtitiſſent ſeparatæ a corpore, fuiſſent utique otioſæ: quia nihil potuiſſent intelligere, ut ipſimet fatentur, quandoquidem tunc temporis caruiſſent phantaſia, ſine qua anima noſtra nihil poteſt intelligere, ut ipſi concedunt: & ideo Themiſtius putauit Ariſtotelem in tex. 12. 1. lib. de Anima non ſolum quærere, & dubitare de ſeparatione animæ poſt mortem; ſed de illa quoque, quam Plato antequam naſceremur finxit. Quod ſi dicas, animas illas antequam coniungerentur cum corpore intelligere ſine phantaſia: ego cōtra obijciam, uel melius utique, uel deterius intelligent, quam in corpore: ſi melius, nihil erat, quod corpori coniungerentur: deterius uero non uidentur poſſe intelligere, ſi uulgatam illam ſententiam ſequamur, quam refebat Ariſtoteles 2. de Anima tex. 49. dicens, ſi intellectus poſſet eſſe ſine corpore, melius eſſet ei non cū corpore eſſe, quemadmodum & conſuetum eſt dici, & multis placet. Et hæc quoad ſecundam quæſtionem a nobis propoſitam pertinent, hactenus ſint dicta.

Origenem id ſenſiſſe referūt Nicepho. lib. 17. cap. 27. & Theophilus Alexandr. lib. 1. ſui paſchalis, & cōſtat ex codē Orig. expoſitione in Ioannem ſuper uerbis illis octaui capitis, Nō a me ipſo ueni, ſed ille me miſit.

Caput II.

Sed quoniam ex illa quam habuit Ariſtoteles ſententia de æternitate animæ noſtræ, quod ſit undique æterna, ui-

na, uidetur ſequi grauiſſimum incommodum, nempe, illam, ex ſentētia eiuſdem Ariſtotelis eſſe unicam in omnibus hominibus; icircò diſputatio de unitate, uel multitudine animæ rationalis, uideretur proxime tractanda eſſe poſt ſecundam hanc quæſtionem; & maxime, quia plerique, audito hoc unitatis figmento, Ariſtotelis de immortalitate ſententiam omnino negligunt; perinde, ac ſi quis, qui in una re errauerit, & falſum dixerit, in alijs, ubi non errauerit, ſed uerū ſenſerit, omnino ſit reijciendus: uerum enimuero, quia, qui negant immortalitatem animæ noſtræ dètorquent ad intellectum agentem ea, quæ de immortalitate ab Ariſtotele dicuntur, & putant illum non eſſe partem animæ noſtræ, concedunt tamen ipſum eſſe immortalem: icirco, ut concluſio noſtra de immortalitate firmior ſit, neue perfecta huius ueritatis explicatio diutius differatur, & maxime, quia, diſputatio de unitate longior futura eſt, antequam ipſam aggrediamur, diſputandum eſſe duximus 3. loco de intellectu agente, & uidēdum, an ſit pars animæ noſtræ, an uero aliquid ſeiunctum ab ipſa: &, ſi pars, an ſit diuerſus re ab intellectu poſſibili, an ratione tantum: duplex enim inter Peripateticos, qui conceſſerunt neceſſitatem intellectus agentis, fuit ſententia de ipſo; altera, quod non ſit pars, neque potentia animæ noſtræ, ſed ſit aliquid ipſi extrinſecum; altera uero, quod ſit aliquid ipſi intrinſecum: utraque tamen ſententia in plures ſectas diſtributa eſt, ac primum illa, quæ fingit intellectum agentem eſſe extrinſecum animæ noſtræ bipartito diuiſa eſt. Alexander enim Aphrodiſeus, ut ab ijs, quæ de immortalitate intellectus poſſibilis ab Ariſtotele apertiſſime dicuntur, declinaret, detorquendo ea ad intellectum agentem, dixit, intellectum agentem eſſe Deum: Auicenna uero eundem eſſe intelligentiam infra orbem Lunæ conſeruantem generabilia, & corruptibilia, & concurrentem ad generationem animalis ea ratione aſſeruit: quia, cum ſemen, utpote animatum, ſit imperfectius animali, non poteſt per ſeipſum hoc præſtare: Sententia uero eorum, qui crediderunt, intellectum agentem eſſe intrinſecum animæ noſtræ,

primum quidem bipartita eſt: quia alij dicunt intellectum agentem eſſe potentiam animæ noſtræ; alij uero partem eſſentialem eiuſdem diſtinctam re ab intellectu poſſibili, & in his eſt Themiſtius, & uidetur eſſe Auerroes, qui tamẽ com: 19. 3. lib. de Anima uidetur ponere intellectum agentem ratione tantum non re diſtinctum a poſſibili: cum Themiſtio putant plerique conſentire Theophraſtum, ſic, ut ipſe ponat intellectum agentem partem animæ noſtræ re diſtinctã a poſſibili.

Qui uero ponunt, ipſum eſſe potentiam, non conueniunt omnes; ſed poſſunt tripartito diuidi, ſicut tripartita uidetur eſſe opinio de natura potentiarum animæ: Etenim S. Thomas, qui credidit potẽtias animæ eſſe re diſtinctas a ſeipſis, & a natura animæ, ille quidem dixit, intellectum agentem, & poſſibilem eſſe potentias animæ rationalis fluentes ab eſſentia animæ, & realiter ab ea, & a ſeipſis diuerſas: Scotus uero, qui dixit, potentias animæ non eſſe realiter diſtinctas a ſe inuicem, neque a natura animæ, ſed tantum formaliter, & ex natura rei, quam diſtinctionem dixit eſſe maiorem diſtinctione rationis, minorem autem diſtinctionẽ rei, diceret idem de intellectu agente, & poſſibili. Alij uero, qui ſenſerunt, & recte, atque Ariſtoteli cõuenientius, potentias animæ differre tantum ratione a ſe ipſis, & ab anima, cuius ſunt potentiæ, de intellectu agente, & poſſibili idem ſentirent: & in his, præter ceteros, uidetur eſſe Ioannes Grammaticus: Hæ ſunt ſententiæ uariæ, quæ de intellectu agente apud Peripateticos circumferuntur. Sed, ut melius intelligatur, quid in quæſtionibus propoſitis ſenſerit Ariſtoteles, operæpretiũ eſſe exiſtimamus percurrere breuiter uerba illa, quæ de intellectu agente ſcripſit Ariſtoteles in 3. de Anima tex. 17. 18. & 19. ubi neceſſitatem, functiones, & naturam intellectus agentis expoſuit: neceſſitatem quidẽ exponit Ariſtoteles, ſimulque reſpondet tacitæ dubitationi, quæ potuiſſet eſſe, ſi intellectus eſt in potentia, nullaque eius eſt alia natura præter hanc unam, quod eſt poſſibilis, quomodo poterit umquã in actum exire, & recipere ſpecies intelligibiles,

les,cum nihil idem ſaltem eadẽ ratione poſſit ſeipſum e potentia in actum deducere: Ariſtoteles igitur huic dubitationi occurrens oſtendit in tex.17.in anima intellectiua reperiri unum agens,quod intellectum poſſibilem in actum deducat,quodq. eſt cauſſa,ut ipſe poſſit recipere ſpecies intelligibiles:& argumentatur in hunc modum: quoniam in uniuerſa natura,ſic enim mihi uidentur uertenda illa uerba, ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει,in uniuerſa,inquam,natura,hoc eſt in ipſo uniuerſo,eſt aliquid, quod ſe habet, ut materia, eſt aliud, quod ſe habet,ut efficiens,neceſſe eſt has differentias reperiri in anima humana,neceſſe eſt, inquã, ipſam habere duas facultates, quarum altera ſe habeat, ut materia ratione intelligibilium; altera uero, ut efficiens. aſſumptũ probatur; quia,cum in natura nihil ſit fruſtra,neceſſe eſt dari uim aliquam actiuam,quæ potentiam illam in actum deducat: ſed anima humana eſt natura quædam ſpiritualis, quæ eſt in potentia ad intelligendum,& arbitratu ſuo exit in actum;quare neceſsario ſequitur; ut in ea ſit altera differentia, quæ ſe habeat,ut materia ratione intelligibilium:& hæc eſt intellectus poſſibilis: altera uero,quæ potentiam eius perficiat, & in actum deducat,& hæc eſt intellectus agens. ſicut ergo in uniuerſo corporeo eſt materia; eſt etiam efficiens: ita in anima noſtra,quæ eſt uniuerſum quoddam intellectuale, reperiuntur hæ duæ differentiæ.ſed hoc intereſt inter uniuerſum corporeum, & animam, quod in ipſo efficiens eſt quid extrinſecum a materia; at in anima noſtra efficiens non poteſt eſse quid extrinſecum ipſi: quia in poteſtate eius ſitum eſt, ut exeat in actum cum uoluerit; non ita eſt in poteſtate materiæ,ut exeat in actum. hic igitur mihi uidetur ſenſus uerborum Ariſtotelis: alij tamen aliter exponunt. etenim B. Thomas exponit,in omni natura,quæ quandoque eſt actu, quandoque potentia,& colligit hanc rationem,in omni natura,quæ quandoque eſt actu, quandoque potentia, neceſſe eſt alterum eſse, quod ſubeat uicem materiæ, alterum, quod ſubeat uicem efficientis; ſed anima noſtra eſt natura, quæ quandoque eſt actu,quandoque potentia; ergo in anima no-

ma noſtra neceſſe eſt reperire has differentias: Simplicius uero dicit Ariſtotelem non accepiſſe naturã pro omni ſubſtantia: quia in omni ſubſtantia non reperitur facere, & pati, neque reperitur id, quod ex proportione reſpondeat materiæ, & efficienti; ſed eam ſignificare naturam, quæ proprie principium motus, & quietis determinata fuit: nam materia, & efficiens proprie in generabilibus reperiuntur, ex proportione uero, & in cæleſtibus, & in noſtra quoque anima, cum ad naturam accedat. Themiſtius uero, & ipſe quoque per naturam uidetur ſignificare naturam generabilẽ, & corruptibilem: Ioannes uero Grammaticus, ad eam, quam nos attulimus, expoſitionem propius accedẽs, inquit, ſicut in rebus naturalibus, & artificialibus eſt potentia, & eſt cauſſa efficiens, ita in anima noſtra: Mirandulanus uero, Præceptor noſter, expoſuit, in omni natura ſuſceptiua generis alicuius eorum, quæ ſunt extra, eſt aliquid quod eſt, ut materia unicuiq; generi formarum illarum, quas recipit, & hoc eſt potẽtia illa ſuſcepta antequã ſuſcipiat. ſed expoſitiones hæ nõ poſſunt omnino mihi ſatis probari: expoſitio autem S. Thomæ, & Mirãdulani Præceptoris mei uidẽtur mihi habere difficultatẽ inexplicabilẽ, quia, ſi interpretemur in omni natura, quę quandoq. ſit actu, quandoq; potẽtia, uel in omni natura, quæ ſic ſuſceptiua generis alicuius eorũ, quæ ſunt extra; quomodo erit uerum, quod in omni natura tali ſit materia, & efficiens: nam illa, quæ quandoq. eſt actu, quandoque potentia, & multo magis ea, quæ ſuſceptiua eſt generis alicuius eorum, quæ ſunt extra, illa, inquam, talis natura eſt materia, & ſolius materiæ rationem habet: quomodo ergo dicemus in huiuſmodi natura, quæ eſt materia, eſſe materiam, & efficientem? præterea, ſenſus eſt natura, quæ quandoq. eſt actu, quandoq. potentia: item eſt natura ſuſceptiua ſenſibilium, quæ ſunt extra ſe, & tamen in ipſo non eſt cauſſa efficiens: quare mihi magis arridet expoſitio noſtra, quod per naturam uniuerſam ipſum uniuerſum interpretemur, ſic, ut dicamus hunc eſſe ſenſum Ariſtotelis: quoniam in toto uniuerſo eſt aliquid, quod quidem eſt materia, unicuique

cuique generi, & hæc non poteſt eſſe niſi materia prima, quia illa ſolum eſt materia omnium ſublunarium, cuiuſmodi non ſunt materiæ proximæ: & declarat Ariſtoteles quid ſit id quod eſt materia unicuiq. generi, dicens, id autem eſt, quod eſt potentia, omnia illa ſcilicet genera: alterum autem eſt cauſſa efficiens, ubi cauſſam accipit pro efficiente, quod faciendo omnia illa ad quæ materia eſt in potentia, ſubit eam legem, & condicionem, quam ſubit ars ad materiã rerum artificialium. hoc enim ſignificat uerbum illud, patitur, neceſſe eſt in anima, ſcilicet humana, accipiendo animam, ut accipiebant antiqui, ineſſe has differentias, quarum altera ſit, ut materia ratione intelligibilium, altera ut efficiens, quaſi anima ſit uniuerſum intelligibile, ſicut illud eſt uniuerſum ſenſibile: quare ex hac demõſtratione intelligitur dari intellectum agentem, ſiue animam noſtram indigere efficiente, quod potentiam eius in actum deducens faciat eum recipere formas, quibus ipſa caret: ſed, quod illud efficiens ſit pars, ſiue potentia animæ noſtræ ex eo intelligitur, ut ante attigimus, quia, cum anima noſtra ſit in potentia ad intellectionem, & arbitratu ſuo poſſit exire in actum, ſicut habet in ſeipſa facultatem illam, quæ recipit intellectionem, ita debet habere illã, quæ efficit intellectionem: quare neceſſe eſt intellectum agẽtem eſſe partem animæ noſtræ: & ideo tum ex hoc, tum ex eo quod appellat ipſum differẽtiam animæ noſtræ ſicut poſſibilem, intelligitur, intellectum agentem non eſſe Deum, neque aliquid extrinſecum ab anima noſtra, ſed partem animæ, quia Deus non eſt differentia animæ noſtræ, neque naturaliter loquendo concurrit ad illuſtrationem phantaſmatum, niſi efficientia ſua generali, qua cum omnibus omnia agit: quare, præter efficientiam illam generalem, per quam prima cauſſa efficiens cũ omnibus omnia operatur, requiritur efficiens proximum in ipſa intellectione, quod faciat actu intelligibilia, ea, quæ ſunt poteſtate intelligibilia.

Cum uero dixiſſet Ariſtoteles, has differentias in anima humana reperiri, eaſdem differentias in tex. 18. magis explicat,

plicat,

plicat, ſimulque utriuſque officium & munus, quod in ipſa intellectione præſtant, exponit, ut officiũ, & munus agentis cognoſcatur, & dicit eſſe quendam intellectum talem in fiendo omnia, quendam uero in faciendo omnia, hoc eſt, talem eſſe quendam intellectum, & talem quandam differentiam animae intellectiuae, quae conſiſtit in eo quod fit, omnia intelligibilia recipiendo ſpecies omnium intelligibilium, ita ut hoc modo efficiatur omnia: ſed, quia non poteſt recipere omnes omnium rerum ſpecies, niſi illæ reddantur tales, ut poſſint ab eo recipi, ideo opus eſt alia uirtute, quæ reddat eas tales, & ideo neceſſe eſt alium quendam eſſe intellectum, cuius uis & natura, quoad ipſam intellectionem, conſiſtat in faciendo omnia, id eſt in faciendo omnia, quæ ſunt poteſtate intelligibilia actu intelligibilia: & ſubiungit, qualis ſit efficientia intellectus agẽtis in ipſa intellectione, dicens, eſſe quendam intellectum in ipſa intellectione, qui faciat omnia, ut habitus quidam, id eſt, ut forma quædam: qualis uero ſit actio huius formę, declarabat exemplo luminis, dicens, ipſum facere omnia, ut forma quædam, quale eſt lumen, ita, ut hic intellectus agens, qui ſe habeat tamquam forma, habeat eandem rationem ad intelligibilia, quam habet lumen ad colores: nam, ſicut lumen, dum illuſtrat, facit, ut colores, qui in tenebris poteſtate tantũ erãt uiſibiles, fiant actu uiſibiles, & actu moueant uiſum: ita intellectus agens præſtat, ut ea, quæ poteſtate tantum erant intelligibilia, fiant actu intelligibilia: ipſe enim ueluti illuſtrando phantaſmata facit, ut ea, quæ erant poteſtate intelligibilia, & non poterant mouere intellectum poſſibilem, fiant actu intelligibilia, & actu moueant ipſum, quia opera eius, qui habet eandem rationem ad intelligibilia, quam habet lumen ad colores, fiunt conſpicua intellectui poſſibili, ſicut colores fiunt conſpicui ipſi uiſui: quare munus, & functio intellectus agentis, in ipſa intellectione, illa una eſt, ut ea, quæ ſunt poteſtate intelligibilia, fiant actu intelligibilia; qua in re habet ſimilitudinẽ cum lumine, quia, ſicut lumen agendo in medium diſponit colores, ut uideantur, ita intelle-

tellectus agens diſponit intelligibilia, ut intelligantur: intellectus autem agens per tranſlationem dicitur illuſtrare phantaſmata, quia exuit ea a condicionibus materialibus, & indiuiduis, quibus affecta non poterant mouere intellectum poſſibilem, & ideo intellectus agens non agit, niſi in phantaſmata; neque poſſumus dicere, ipſum agere in poſſibilem, niſi quatenus agit in phantaſmata, quæ, ubi receperunt actionem eius, agunt in intellectum poſſibilem.

Cum igitur in uniuerſa natura compoſita & corporea ſit materia, quæ eſt potentia omnia, ſit efficiens, quod potentiam illam in actum reducat, cumq. in anima noſtra ſit potentia ad omnia intelligibilia, quam ipſa arbitratu ſuo poteſt in actū deducere, neceſſe eſt, ſicut in ipſa eſt altera differentia, & pars, ſiue potentia eius, quæ ſe habet ut materia, ita etiam ſit altera, quæ ſe habeat, ut efficiens. Cum uero dicit, intellectum agētem facere omnia, ut habitus quidam per habitum quendam, ſignificat formam, ſic, ut ipſe ſibi ipſi ſit interpres, 12. Metaphyſ. tex. 8. ubi in diuiſione ſubſtantiæ uolens deſcribere formam, dixit, alia eſt natura, quæ quidem hoc aliquid eſt, & habitus quidam: neque ſine artificio uolens Ariſtoteles ſignificare efficientiam intellectus agentis, dixit, eſſe quendam intellectum, qui facit omnia, ut forma quædam: nam forma non eſt efficiens eius, cuius eſt forma, ſed eſt principium effectiuum operationum. quia ergo intellectus agens eſt effectiuus intellectionis, merito dixit, ipſum in anima noſtra ſe habere, ut formam: quare hæc uerba non arguunt, intellectum agentem uere eſſe formam poſſibilis, ut putant aliqui, ſed ſe habere, ut formam, quia in intellectione habet efficientiam ſimilem ei, quam habet forma in compoſito, quoad ipſas operationes: neque audiendi ſunt, qui dicunt, Ariſtotelem appellare intellectum agentem nomine habitus, quia eſt idem, quod intellectus principiorum: etenim principia apprehenduntur ab intellectu poſſibili, ſicut cetera omnia intelligibilia ab eodē apprehenduntur, & habitus principiorum eſt habitus intellectus poſſibilis, non agentis: uerum, quia cognitio illa principio-

cipiorum carebat proprio nomine, iccirco obtinuit nomen potentiæ comprehendentis.

Caput VI.

CVm uero quid præſtaret intellectus agẽs in ipſa intellectione expoſuiſſet Ariſtoteles in tex. 18. exponit deinde in tex. 19. uim, & naturam eius abſolutam, per cã uim, & naturam, quam habet, ut refertur ad intelligibilia, dicẽs, quod, cum natura, ſiue eſſentia eius, quam habet rationẽ intelligibilium, & ut refertur ad intelligibilia, ſit operatio, ſequitur, ipſum eſſe ſeparatum a materia, immiſtum ſcilicet corpori, & impaſsibilem, tum per ſe, tum etiam ex accidenti, qualis eſt intellectus poſſibilis. quod probat per locum a minori in hunc modum: de quo minus uidetur ineſſe, & ineſt: ergo de quo magis: ſed minus uidetur, quod intellectus poſſibilis ſit ſeparatus immiſtus, & impaſſibilis, quam agẽs, & tamen eſt talis: ergo tanto magis intellectus agens. minorem probat: quia agens eſt nobilius paſſo, & principium, id eſt cauſſa efficiens eſt nobilior materia. dicit ergo, ipſum eſſe talem cum in eſſentia, id eſt, cum in ſubſtãtia ſua, quoad intelligibilia, & quoad ipſam intellectionem: non autem abſolute ſit operatio: utitur enim illa uoce ἐνεργείᾳ. quorum uerborum Græci expoſitores putãt illum eſſe ſenſum, quod eius ſubſtantia ſit eius operatio, ſicut eius intellectio ſit eiuſdem ſubſtantia, cum tamen intellectio poſſibilis ſit accidens: ſed ego non poſſum adduci ad probandam hanc expoſitionem: primum quidem, quia intelligere eſt pati, nõ agere: quare, cum intellectus agens, ut talis eſt, non patiatur, quo modo poſſumus tribuere ipſi intellectionẽ, quæ eſt paſſio? quod ſi dicas, duplicem eſſe intellectionem; alterã quidem, quæ eſt paſſio; alteram uero, quæ eſt actio: reſpondebo, nullum de hoc ſecundo genere intellectionis in anima noſtra factum fuiſſe uerbum ab Ariſtotele: etenim loquens de intellectione hominis, ſemper appellauit eam paſſionẽ, & conceptiones animæ noſtræ intellectiuæ paſſiones appel-

lauit Ariſtoteles principio lib. de interpretatione. Si uero ſubiūgas, intellectus agens eſt intellectus: quare neceſſe eſt, ut intelligat; reſpondebo, alterum dici intellectum, quia efficit; alterum uero, quia recipit ipſam intellectionē: &, quia facere eſt nobilius, quam pati, iccirco intellectus agens nobiliori modo concurrit ad intellectionem, quam poſsibilis: ſed, quia nomine intellectionis utitur Ariſtoteles tantum in ſignificanda receptione intelligibilium, quæ eſt paſsio, nullum ſequitur incommodum, ſi negemus intellectum agentē hoc modo intelligere.

Sed, ut demus ipſi intellectionem, & concedamus ipſum intelligere, non concedemus tamen, eius intellectionem eſſe eiuſdem ſubſtantiam: neque potuit Ariſtoteles hoc uelle; primo, quia intellectus agens, per eos, qui ponunt ipſum intelligere, maxime per Themiſtium, & Auerroem, non intelligit, niſi ſeipſum, & ſubſtantias ſeparatas; & tamen illa operatio intellectus agentis, de qua hic Ariſtoteles, extenditur ad omnia intelligibilia, quia operatio, quam ipſi hoc loco tribuit Ariſtoteles, illa eſt, ut ea, quæ poteſtate tantum erant intelligibilia, faciat actu intelligibilia: cum ergo hæc actio pertineat ad omnia intelligibilia; intellectio uero intellectus agentis, ſi intelligat, non pertineat ad omnia intelligibilia, ſed tantum ad ſeipſum, & ſubſtantias ſeparatas; ſequitur, actionem eius, de qua hic loquitur Ariſtoteles, nō eſſe eius intellectionem. Sic ergo oſtenſum ſit, quod, licet eius actio eſſet eius eſſentia, illa tamen non erit intellectio. Quod uero abſolute, & ſimpliciter eius actio non ſit eiuſdē eſſentia, iam oſtendamus: ac primum, quia, ſi uoluiſſet Ariſtoteles ſignificare actionem intellectus agētis eſſe eiuſdem ſubſtantiā, hoc præſertim medio uſus fuiſſet ad probandam eius ſeparabilitatem, & impatibilitatem, non tam debili, quale eſt argumentum a minori.

Secundo argumentor, etiam ex conceſſis ab Auerroe: illa duo non poſſunt eſſe idem re, quorum alterum habet operationem diuerſam a ſua ſubſtātia; alterum uero habet operationem, quæ eſt idem re, quod ſua ſubſtantia: ſed intelle-

ctus

ctus agens, & poſſibilis ſunt idem re: ergo operatio intellectus agentis non poteſt eſſe eius ſubſtantia,cũ operatio poſſibilis ſit accidens. minorem conceſsit etiam Auerroes in com.19. ubi dixit non differre intellectum agentem a poſſibili, niſi quia illius operatio eſt actio, huius uero paſsio. licet in hac re non ſatis ſibi conſtet; quia alibi uidetur facere intellectum agentem re diuerſum a poſsibili.

Tertio argumentor in eandem ſententiam: ſi operatio intellectus agentis eſſet eius ſubſtantia, ſemper moueret, & ſemper intelligeret, quia ſubſtantia non uariatur, neque mutatur: at Theophraſtus quærebat,cur non ſemper moueat, & dixit hoc prouenire ex ipſa permixtione,ſcilicet,cũ phantaſia. Quod uero non ſemper intelligat, experimur in nobis, quia nemo experitur in ſeipſo intellectionem illam, quam iſti tribuunt intellectui agenti, quare eius actio abſolute, & ſimpliciter non poteſt eſſe eius ſubſtantia. & ideo cogor confirmare illam, quam paullo ante attuli, horum uerborum expoſitionem, quod ſcilicet eius eſſentia non abſoluta, ſed quatenus refertur ad intelligibilia,eſt eius actio. nullam enim ſubſtantiam habet in relatione ad ipſa intelligibilia,&quatenus intellectus,præter eam,quod efficit actu intelligibilia ea,quæ poteſtate erant intelligibilia: quare,ſicut comparans Ariſtoteles intellectum poſsibilem ad ipſa intelligibilia,dixit,nullam eius eſſe aliam naturam,niſi illã, quod poſsibilis eſt, & tamen abſolute noluit ſignificare ipſum eſſe potentiam, ſed in relatione tantum ad intelligibilia; ut etiam Theophraſtus declarauit,referente Themiſtio in cap.89. ita,comparans agentem ad poſsibilem, & ad intelligibilia,dixit,eius ſubſtantiam,uidelicet,quoad intellectionem,eſſe actionem; ſicut ergo poſsibilis eſt potentia,nõ ſimpliciter,ſed ratione intelligibilium, ita agens eſt operatio non ſimpliciter, ſed ratione intellectionis. hinc intelligitur,ipſum non eſſe Deum,ut dixit Alexander, neque aliã intelligentiam ſeparatam ab anima noſtra, ut Marinus, qui dixit intellectum agentem eſſe quendam Dæmonis intellectum, uel intellectum Angelicum: quia, ſi eſſet Deus, uel

illa intelligentia, abſurdum fuiſſet, ex ſeparatione poſsibilis inferre ſeparationem agentis: immo ex hoc eodem loco poſſumus colligere, intellectum agentem eſſe aliquid noſtri, ſeu partem animæ noſtræ: quia aliter non poteſt Ariſtoteles ex immortalitate intellectus poſsibilis inferre immortalitatem agentis: quoniam ex quacumque materia non licet arguere naturam cuiuſcumque efficientis; ſed tantum efficientis proximi, & appropriati. Quod ſi dicat quis, nullam eſſe rationem Ariſtotelis contendentis oſtendere immortalitatem intellectus agentis ex immortalitate poſsibilis: quia materia prima eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; & tamen forma, quæ mouet ipſam, & eſt principium effectiuum generationis, eſt generabilis, & corruptibilis: reſpondebo, in ijs, quæ ſunt diuerſorum generum, uel diuerſarum ſubſtantiarum, non ualere rationem Ariſtotelis: ſed intellectus agens, & poſsibilis ſunt in eodem genere, & pertinent ad eandem ſubſtantiam animæ: quare, ſi poſsibilis eſt ſeparabilis, tanto magis agens: animaduertit Auerroes, & recte, Ariſtotelem poſuiſſe intellectum agentem: quia uniuerſalia nullum habent eſſe extra animam: nam, ſi haberent, non fuiſſet opus intellectu agente. cum Auerroe conſentit S. Thomas, dicẽs, Ariſtotelem fuiſſe coactum ad ponendum intellectum agentem, ut excluderet opinionem Platonis, qui poſuit quiditates rerum ſenſibilium eſſe ſeparatas a materia, & intelligibiles actu: & ideo non erat ei opus intellectu agẽte. ſed, quia Ariſtoteles poſuit quiditates rerum ſenſibilium in materia, ſicq. intelligibiles potentia, neceſſe habuit ponere intellectum agentem, qui abſtraheret eas a materia, & faceret actu intelligibiles.

Caput VII.

Ex his ergo, quæ percurrimus, uerbis Ariſtotelis multa poſſumus colligere: ac primum quidem, in magno errore uerſari eos, qui putant, intellectum agentem eſſe quippiã extrinſecum animæ noſtræ, ab ipſaq. alienum, quia Ariſtoteles

teles in tex. 17. dixit, neceſſarium eſſe, has differentias, ſcilicet intellectum poſſibilem, & agentem, eſſe in anima noſtra. Quare neceſſe eſt, intellectum agentem intrinſecus ipſi ineſſe: quia, quæ extrinſecus adſunt alicui rei, non poſſunt appellari differentiæ illius.

Hoc idem ratione, quam antea attigimus, ſatis conſtare poteſt: quia illa operatio, quæ poſita eſt in poteſtate noſtra, non poteſt referri in principium, & cauſſam externam; immo neceſſe eſt, ut habeat principium, & cauſſam internam, non ſolum paſſiuam, ſed etiam actiuam: quia nos nõ ſumus domini illarum actionum, quarum cauſſa eſt externa: ſed intellectio eſt operatio poſita in poteſtate noſtra, cuius nos ſumus domini: quare neceſſe eſt, ut habeat cauſſam internam, non ſolum paſſiuam, qualis eſt intellectus poſſibilis, uerum etiam actiuam, & illam quidem proximam, & propriam, nẽpe intellectum agentem: dixi, proximam, & propriam: quia, licet Deus ſit cauſſa efficiens omnium rerum; ille tamen ex ſententia Ariſtotelis eſt cauſſa uniuerſalis dũtaxat, quæ ad producendos effectus requirit aliam cauſſam proximam efficientem, a qua uniuerſalis efficientia ipſius ad effectus particulares contrahatur.

In hanc ſententiam, conſimili fere argumento, argumentatur S. Thomas in 3. de Anima, in expoſitione text. 19. uidelicet: ſi intellectus agens non eſſet pars animæ noſtræ, ſequeretur, hominem a natura imperfecte productum eſſe: quia non haberet in ſe illa principia, quibus poſſet exercere ſuas operationes, qualis eſt intellectio, quæ nõ poteſt fieri ſine intellectu agente, & poſſibili: quare perfectio humanæ naturæ requirit, utrumque ſibi intrinſecus ineſſe.

Secundo, illa operatio non eſt tribuenda homini, cuius formale principium non ſit in ipſo: ſed efficere intelligibilia, quod eſt operatio intellectus agentis, tribuitur homini: quare neceſſe eſt, ut habeat cauſſam, quæ ſit propria ipſius.

De hac eadem re diſputauit idem S. Thomas 1. q. 79. ar. 3. & 2. contra gentes cap. 20. & plura congeſſit argumenta: quorum unum eſt: ſi intellectus agens eſſet ſubſtantia ſepa-

rata,

rata, non ſemper intelligeremus, uel non eſſet penes nos intelligere: probatur conſequentia: quia tunc actu intelligimus, cum phantaſmata fiunt actu intelligibilia. ſi res ita ſe habet, uel operatio intellectus agentis eſt continua, uel interrupta. ſi continua, ſemper intelligeremus; ſi interrupta, non eſſet penes nos intelligere. Secundo argumentatur: effectus nobiles non ſolum producuntur a cauſsis ſuperioribus, ſed requirunt etiam agentia ſui generis: hominem enim generat & Sol, & homo ipſe: ſed intellectio eſt effectus nobiliſsimus: quare ad ipſam obeundam non ſufficit agens remotum, quale agens ex ſententia Ariſtotelis, quam nos non probamus, eſt Deus, & reliquæ intelligentiæ: ſed requiritur agens proximum, & ideo neceſſe eſt, intellectum agentem eſſe aliquid animæ noſtræ. quod autem intellectus agens nō ſit Deus, conſtat argumento illo, etiam a S. Thoma proxime allato: quia prima cauſſa non concurrit ad aliquem effectū in his ſublunaribus ex ſententia Ariſtotelis, niſi medijs ſecundis cauſsis, quæ ſint eiuſdem generis cum re producta: immo nullam aliam eius efficientiam cognouerunt Philoſophi, præter illam, quam exercet medijs ſecundis cauſsis. Quare, cum Deus ſit prima cauſſa, & uniuerſalis, quæ cum omnibus omnia facit, & cum cauſſa propria ad ſuum effectū particularem concurrit, iccirco ut talis non poteſt concurrere ad intellectionem noſtram, tamquam cauſſa efficiens ipſius, niſi media cauſſa particulari: quare, præter Deum, neceſſe eſt ponere aliam cauſſam, aliumq. intellectum agentē, qui ſit cauſſa proxima intellectionis effectiua: quare ille, quem ponimus, non eſt Deus, ſed pars animæ noſtræ, & non aliquid ſeiunctum ab ipſa.

Quod uero intellectus agens non ſit habitus principiorum, ex dictis etiam Ariſtotelis facile poteſt conſtare: quia dicit Ariſtoteles, has differentias eſſe in anima: ſed poſsibilis eſt pars, ſeu potentia animæ, non habitus eius: quare & agens eſt pars, ſeu potentia animæ, non habitus. Secundo, ſi eſſet habitus, ſequeretur, accidens eſſe nobilius ipſa ſubſtantia: & tamen dixit Ariſtoteles, intellectum agentem eſſe no-

ſe nobiliorem intellectu poſsibili; quare neceſſe eſt, eundē eſſe ſubſtantiam. Quod ſi dicas, non eſſe illam ſententiam illorum, qui dicunt, intellectum agentem eſſe habitum principiorum, quod intellectus agens ſit accidēs, ſicut habitus, & cognitio eſt accidens, ſed potius ſentire illos, intellectum agentem eſſe ſubſtantiam, quæ cognoſcat prima principia: hæc reſpōſio facile redarguitur: quia poſsibilis ille quidem eſt, qui cognoſcit principia, non agens. Sic igitur oſtenſum ſit, intellectum agentem non eſſe quippiam extrinſecum animæ noſtræ.

Caput VIII.

HIs ſic animaduerſis, perpendamus iam ſententias eorum, qui faciunt intellectum agentem partem animæ noſtræ: & primum quidem eorum, qui faciunt ipſum partem re diuerſam ab intellectu poſſibili. Themiſtius igitur, & Auerroes, componētes animam noſtram intellectualem ex duabus partibus eſſentialibus, quarum altera ſubeat uicem materiæ. ſ. intellectus poſſibilis; altera uerò, quæ ſubeat uicem formæ, nempe intellectus agens; dicunt, intellectum agentem eſſe partem animæ noſtræ, re diſtinctam a poſſibili. hanc opinionem ſecuti ſunt Ludouicus Buccaferreus, & Antonius Bernardus Mirandulanus, præceptores mei, iidēque philoſophorū ætatis noſtræ principes, quibuscum ego lubenter conſentirem: ſed difficultates, quibus hæc opinio urgetur, inexplicabiles non permittunt me cum illis cōſentire: ac primum, quia potentiæ animæ ſunt idem re, quod anima, & inter ſe quoque ſunt idem: quemadmodum ego abunde (ni fallor) demōſtraui in commentariis meis ſecundi lib. de Anima: id quod etiam ipſi concedunt: ſed intellectus poſſibilis, & agens ſunt potentiæ animæ rationalis: & de poſſibili quidem conſtat ex multis locis Ariſtotelis in illo 2. lib. ubi intellectum ſemper numerauit inter potentias animæ, & præſertim in tex. 21. eiuſdem ſecundi lib. cum dixit, de intellectu, & de contemplatiua potentia nihil adhuc

mani-

manifeſtum eſſe, per quod reſponderi poſſit quæſtionibus propoſitis in tex. 19. ubi cum dixiſſet, animam definitam eſſe uegetatiuo, ſenſitiuo, cogitatiuo, & motu, ſubiungebat ſtatim illam quæſtionem, Vtrum unumquodque eorum eſſet anima, an pars animæ, & ſi pars, utrum ſit, ut ſit ſeparabilis ratione ſolum, an loco, & oſtendiſſet pleraſque alias animæ potentias nõ eſſe ſeparatas loco, & ſubiecto, ſubiunxit, de intellectu, & contemplatiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſſe, per quod reſponderi poſſit quæſtionibus propoſitis: & in tex. 22. apertiſſime dixit, reliquas animæ partes non eſſe ſeparatas loco, & ſubiecto, ſed ratione tantum: id quod etiam innuerat in tex. 20. ſi ergo intellectus poſſibilis eſt potentia animæ, cum & agens ipſe quoque ſit potentia eiuſdem animæ rationalis, non poſſunt differre re a ſe inuicem, neque ab anima rationali.

Secundo, ex duobus actibus non poteſt fieri unum per ſe: ſed intellectus poſſibilis, & agens ſunt actus ambo: quare nõ conſtituunt animam intellectualem, tamquam partes eſſentiales ipſius re diuerſæ, ſed tamquam potentiæ ratione duntaxat diuerſæ. Ad hoc tamen argumentum reſpondent aliqui, in quibus eſt Mirandulanus ipſe, præceptor meus, intellectum poſſibilem eſſe puram potentiam: ſed obſtant ei uerba Ariſtotelis in 2. de Anima, ubi dixit, definitionem animæ ibi traditam eſſe communem, & conuenire omnibus animæ potentijs: quare omnes ſunt actus, & in illis etiam numeratur intellectus poſſibilis: immo omnia, quæ ibi dicta ſunt, ad intellectum poſſibilem, ut eſt potentia animæ, pertinent, cũ nondum demonſtraſſet Ariſtoteles neceſſitatem intellectus agentis. obſtat etiam eidem Ariſtoteles in eodem 2. lib. tex. 24. ubi probauit, ipſum intellectum poſsibilem eſſe formã: quia id, quo primo intelligimus, eſt forma: ſed intellectu poſsibili primo intelligimus: ſequitur ergo, ipſum eſſe formam, ſicq; actum primum.

Præterea, intellectus practicus non differt re a poſsibili, ſed eſt differentia eius: at intellectus practicus proculdubio eſt forma, ſecus non eſſet principium effectiuum motus progreſſiui,

greſsiui. in homine etenim pura potentiã nõ poteſt eſſe principium actiuum. Sic igitur confutata ſit hæc reſpõſio, ſicq; oſtenſum ſit, intellectũ poſsibilẽ eſſe actum; ſcilicet corporis, licet ratione intellectionis, atque ipſorum intelligibiliũ ſit potentia.

Alij tamen ad argumentum illud reſpondent, quod, licet intellectus poſsibilis ſit actus, comparatione tamen agentis habet rationem potentiæ, ſicq. ex intellectu agente, & poſſibili fit unum compoſitum ſpirituale. ſed non uidentur mihi ſoluere argumentum: quia ex duobus actibus non fit unũ per ſe, maxime, ſi illi actus ſint eiuſdem generis, & ſint actus eiuſdem numero, uel eiuſdem ſpecie.

Tertio, principaliter arguitur contra illam ſententiam; quæ componit animam noſtram ex intellectu agente, & poſſibili, tamquam partibus diſtinctis; quia, ſi intellectus agẽs eſt forma poſsibilis, quæritur, quomodo det eſſe poſsibili, an ſubſtantiale, an accidentale: non ſubſtantiale, quia intellectus poſsibilis eſt ſubſtantia: neque accidentale, quia nulla ſubſtantia dat eſſe accidentale. Ad hoc tamen argumentũ reſpondent aliqui, intellectum agentem re uera non dare eſſe, quia eſt uere forma, uerum habet ſimilitudinem formæ; ſed, ſi non eſt forma uera, quo modo ex illis duobus fiet unũ per ſe? Buccaferreus tamen dicebat, intellectum agentem dare eſſe ſubſtantiale ipſi poſsibili: cum uero contra arguebatur, non poſſe rem ita ſe habere, quia poſsibilis per ſe eſt ſubſtantia, reſpondebat, materiam quoque eſſe ſubſtãtiam; & tamen formam dare ipſi eſſe ſubſtantiale. Sed materia nõ eſt ens, neque ſubſtantia, niſi in potentia; & a forma accipit eſſe actuale: & ideo, ſi intellectus poſsibilis habet eſſe actuale, non poteſt recipere illud ab intellectu agente.

Quarto, principaliter arguitur: ſi intellectus agens eſt pars eſsẽtialis animæ noſtræ intellectiuæ, ſicq. forma ipſius; ſequitur, ultimam differentiam hominis ſumendam eſſe ab intellectu agente, quia ultima cuiuſque rei differentia ſumitur a forma, & illa quidem perfectiore. Themiſtius concedit, ultimam differentiam hominis ſumi ab intellectu agente. ſed

te. ſed hoc non uidetur mihi concedendum, quia rationale eſt ultima differentia hominis, quæ ſumitur potius ab intellectu poſſibili, cum ſignificet diſcurſum, & paſſionem quādam, quæ potius pertinet ad intellectum poſſibilem, quam ad agentem.

Quincto, ſi ſint in nobis duo intellectus re ſeiuncti, uidetur rationi conſentaneum, utrumque intelligere, alteriusq; intellectionem (quod etiam aliqui dicunt) eſſe actionem, alterius uero paſſionem: ſed nullam in nobis experimur intellectus agentis intellectionem.

Item, ſi intellectus agens intelligeret, ſequeretur, ipſum ex ſententia Ariſtotelis intelligere ſine ſenſu, & conſequenter poſſe exſiſtere ſeparatū a corpore, quia ſic haberet operationem propriam: at, ex conceſſione Ariſtotelis 1. de Anima, forma, quæ habet operationem propriam, poteſt ſeparari a corpore.

Huc accedit, Ariſtotelem nullam tribuiſſe operationem intellectui agenti, niſi illam unam, quód faciat actu intelligibilia, quæ poteſtate tantum erant intelligibilia: hoc autem facit illuſtrando phantaſmata, hoc eſt ſeparando ea a conditionibus materialibus, & indiuiduis: ſed hanc operationem non poteſt exercere niſi in corpore, deducendo in actum potentiam intellectus poſſibilis.

Concedunt aliqui expoſitores Græci, intellectum agentem intelligere ſeipſum, & ſubſtantias ſeparatas: Buccaferreus quoque concedebat, animam intellectiuam quoad intellectum agentem habere operationem propriam, & ideo poſſe ſeparari. Sed, ut ante arguebamus, cum nemo experiatur in ſeipſo intellectionem intellectus agentis; neque conſentaneum ſit rationi, nos habere in nobis nobiliſſimas cognitiones, & illas nos latere, non uidetur concedendum, ipſum intelligere.

Præterea, omne intelligere noſtrum eſt pati: intellectus agentis non eſt pati, ſed agere: ergo intellectus agens non intelligit. Item, ſi intelligit, & habet operationem propriā, poterit ſeparari, aliquando ergo ſeparabitur. uel ergo ſeparabitur

rabitur a corpore una cum intellectu poſſibili, uel ſeorſum: non una cum intellectu poſſibili, quia, ſi intelligere non eſt ſine phantaſia, inferebat Ariſtoteles, animam intellectiuam non poſſe ſeparari: neque etiam ſeorſum poteſt ſeparari, quia utraque ſubſtantia, tum intellectus agens, tum poſſibilis, remaneret imperfecta.

Amplius, cum auctores huius opinionis ponant animam intellectiuam unam numero in omnibus hominibus, qui fieri poteſt per ipſos, ut ipſa ſeparetur a corpore? Poſtremo argumentor: ſi intellectus agens, & poſsibilis, eſſent re diuerſi, rueret illa ratio Ariſtotelis, uel omnino eſſet indigna ingenio, & doctrina Ariſtotelis, illa, inquam, per quam ex ſeparabilitate, & immortalitate intellectus poſsibilis oſtendebat ſeparabilitatem, & immortalitatem intellectus agentis: rueret, inquam illa ratio, quia dubitatio contra ipſam allata non poterit ſolui. cum enim dubitaretur contra illam rationem in hunc modum, materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, & tamen forma, quæ mouet ipſam, & eſt principium generationis effectiuũ, eſt generabilis & corruptibilis: reſpondebamus, in ijs, quæ ſunt diuerſorum generum, & diuerſarum ſubſtantiarum, & omnino in ijs, quæ ſunt re diuerſa; quales ſunt materia, & forma, non ualere rationem Ariſtotelis, ualere autem in propoſito, quia, cum intellectus agens, & poſſibilis ſint potentiæ eiuſdem animæ, ſunt idem re, ratione tantum diuerſi. quare merito ex ſeparabilitate unius infertur ſeparabilitas, & immortalitas alterius. Opinio igitur illorum, qui ponunt hos intellectus re diuerſos, quæ præſtantioribus Ariſtotelis explanatoribus, ſi non omnibus, ſaltem pluribus uidetur magis fuiſſe probata, habet eas, quas attulimus, dubitationes, explicatu difficiles, & fortaſſe inexplicabiles.

Opinio uero S. Thomæ, ponentis intellectum agentem, & poſsibilem, eſſe potentias animæ realiter diuerſas ab anima, & a ſe inuicem, ipſa quoque ſuis urgetur difficultatibus, & maxime, quia alias in expoſitione 2. lib. de Anima demõſtrauimus, potentias animæ non differre ab anima re, neque

a ſeipſis. ibi quoque demonſtrauimus, non poſuiſſe Ariſtotelem illud genus diſtinctionis ex natura rei intermedium inter diſtinctionem realem, & rationis; poſitum a Ioanne Scoto.

Quamobrem remanet 3. opinio, nempe, intellectum poſſibilem, & agentem eſſe potētias animæ intellectiuæ, illasq. eſſe idem re cum anima, inter ſe quoque idem ſola ratione differentes. quæ opinio uidetur mihi minoribus difficultatibus urgeri, & Ariſtotelis doctrinæ, atque etiã ueritati magis conſentanea. nam ſic nulla ponitur diuerſitas inter potentias animæ rationalis, & alias aliarum animarum potentias, quoad identitatem realem mutuam inter ſe, & cum anima illa, cuius ſunt potentiæ: ſic etiam anima rationalis erit ſubſtantia ſimplex, non compoſita ex materia, & forma: ſic etiam non neceſſe habemus ponere duplex genus intellectionis: quorum alterum ſit actio, alterum uero paſsio, cum omnem intellectionem in genere paſsionis collocauerit Ariſtoteles: & ideo, cum intelligere ſit pati, ſiue perfici ab intelligibili, merito intellectio tribuitur intellectui poſsibili, tamquam ſuo ſubiecto; agenti uero, tamquam cauſſæ efficienti: &, quia nobilius eſt agere, quam pati, iccirco nobiliori modo concurrit ad intellectionem intellectus agens, quam poſsibilis, licet ipſa, quatenus eſt paſsio, tribuatur ſoli poſsibili: ſicq. intellectio pertinet ad totam animam intellectiuam, quæ per intellectum agentem efficit, per poſsibilem uero recipit ipſam intellectionem: neque datur ſubſtantia intellectualis in homine, re diuerſa ab alia, quæ non intelligat, quia, licet intellectus agens non dicatur intelligere, quatenus intelligere eſt pati; tamen ipſe non eſt re diuerſus a poſsibili, qui patitur, & perficitur, & ideo eſt una, & eadem res, diuerſimode tamen conſiderata, quæ intelligit, ſicq. patitur, & perficitur, & quæ non patitur, ſed agit & perficit ſeipſam, dum tamen agit in phantaſmata, & ſeparat ſpecies uniuerſales a condicionibus indiuiduis, ſic, ut poſsint mouere intellectum poſsibilem, & recipi in ipſo, & ita non agit in ſeipſam, neque ſeipſum mouet, ſed agit in ea, quæ mouent

intellectum poſſibilem, & recipiuntur in ipſo, nempe phantaſmata, a quibus ſpecies intelligibiles producuntur in intellectu poſsibili: ſicq. mouent ipſum.

Caput IX.

ARgumenta uero, ac dubitationes, quæ imminent huic opinioni, quam nos probamus magis, & ſequimur, facile ſoluuntur. cum enim contra ipſam arguitur, nihil idem agit in ſe ipſum: ſed, ſi intellectus agens ſit idem re cũ poſſibili, ſequetur, idem agere in ſeipſum: reſpondeo, intellectum agentem, ut ante attigimus, non agere primo, & per ſe, in poſsibile, ſed in phantaſmata, neque immediate mouere poſsibilem, ſed phantaſmata, quæ mota, ſiue illuſtrata ab intellectu agente per ſpeciem intelligibilem in ipſis contentam mouent intellectum poſsibilem.

Addo etiam, nihil prohibere, quin idẽ diuerſimode acceptum agat in ſe ipſum, nõ tamen primo, & per ſe, ſed mediate, & ex accidenti: id quod clariſsimo exemplo facile declaratur. nam formæ materiales agunt in ſua ſubiecta, quatenus mouent ipſa: &, quia ipſæ mouentur ex accidenti motu ipſorum, neceſſe eſt, ut ex accidenti moueant ſeipſas, ſicq. in ſeipſas agant: neque abſurdum eſt idẽ eſſe mouens & motum, ſicq. actu, & potentia, diuerſimode tamen: nam per ipſum etiam Auerroem formæ elementorum ſunt mouentes, & motæ, diuerſimode tamen: ego uero addo, omnem formam materialem, dum mouet, moueri ex accidenti. hoc uero, quod diximus, colligitur ex doctrina Ariſtotelis 3. de nat. auſcul. tex. 8. ubi hęc uerba ſcripta reliquit: *Quoniam autem quædam eadem & potentia, & actu ſunt, at non ſimul, aut non ſecundum idem, ſed ut calidum quidem potentia, frigidum autem actu, multa iam agent, & patientur a ſe inuicem: omne enim erit ſimul actiuum & paſsiuum: quare & mouens phyſice mobile eſt: omne enim huiuſmodi mouet, cum & ipſum mouetur.*

Cum uero ſecundo loco arguitur, quia nihil idem poteſt eſſe cauſſa efficiens, & materialis: ſed intellectus poſsibilis

eſt

eſt cauſſa materialis, agens uero eſt cauſſa efficiens Intelle-ctionis: quo fit, ut non poſsit eſſe idem re cum poſsibili. Reſpondeo, nihil prohibere, quin idem diuerſimode conſideratum, & ad diuerſa relatum habeat rationem utriusque cauſſæ. nam & elementa ſunt cauſſa effectiua corporis humani, & omnino omnium mixtorum, ſaltem perfectorũ, ſunt cauſſa materialis. id quod uel uno exemplo intellectus poſſibilis perſpicuum eſſe poteſt; qui, comparatus ad intelligibilia, eſt materia ipſorum; &, comparatus ad corpus humanum, quod mouet, media ſcilicet phantaſia, eſt efficiens, quia eſt principium motus progreſsiui. Quod ſi dicas, in caſu propoſito intellectum utrumque referri ad phantaſmata, ſicque non referri ad diuerſa: reſpondebo, diuerſas eſſe relationes. nam, ut illuſtrat ipſa, ſiue ſeparat a condicionibus indiuiduis, & materialibus, dicitur agens: ut uero recipit ſpecies intelligibiles, quæ ſunt in ipſis phantaſmatibus, dicitur poſsibilis.

Quod ſi obiiciātur nobis uerba Ariſtotelis ſcripta 12. Metaphyſ. tex. 54. ex diuiſione Auerrois, reſpondebo, non negaſſe ibidem Ariſtotelem, quin eadem res poſsit eſſe materia, & efficiens; ſed negaſſe, eandem eſſe utriusque rationem: immo uero, de concordia loquens, & examinans opinionem Empedoclis, qui faciebat eam cauſſam efficientem, & materialem, dixit: Quod ſi eidem accidat, ut ſit principium, ut materia, & ut mouens, tamen ipſum eſſe non erit idem, id eſt, non erit eadem definitio ipſius, quatenus eſt materia, & quatenus mouens.

Neque obſtant huic, quam ſequimur, ſententiæ uerba Ariſtotelis, probātis neceſsitatem intellectus agentis. nam, licet ex uniuerſa natura, hoc eſt in ipſo uniuerſo, ſic enim dicebamus exponenda eſſe uerba illa Ariſtotelis, quæ communiter uertuntur in omni natura, licet, inquam, in uniuerſo materia, & efficiens ſint res diuerſæ, non ſequitur tamen, intellectum agentem, & poſsibilem eſſe res diuerſas in anima noſtra; ſimilitudo uero in hoc conſiſtit, quod, ſicut in uniuerſa natura ſunt hæ differentiæ, ita in anima noſtra, ſed

in

in uniuerſo neceſſe eſt,ut ſint res diuerſæ, in anima uero nihil prohibet eſſe eaſdem. neque obſtat etiam, quod appellat eas differentias animæ, quia in 2. lib. de Anima tex. 20. appellat differentias,quas prius partes, & poſtea potentias appellauit.

Reſtat, ut ſoluantur argumenta Alexandri Aphrodiſei, & aliorum,qui,ſecuti ſententiam ipſius, contendunt,intellectum agentem eſſe Deum. ea uero facile ſoluuntur,quia, cum dixit eſſe intellectus agentis omnia facere, non eſt ille ſenſus,quod faciat omnia abſolute, quod quidem ſoli Deo conuenit; ſed quod omnia, quæ ſunt poteſtate intelligibilia,facit actu intelligibilia.

Item, cum dixit, eius actionem eſſe eiuſdem eſſentiam, noluit ſignificare, actionem eius abſolute eſſe ſubſtantiam, ſed tantum quoad ipſam intellectionem,ſicut etiam ſubſtãtiam,& naturam poſsibilis,quoad intellectionem, & intelligibilia,dixit eſſe potentiam,cum tamen intellectus poſsibilis abſolute,ut ante dicebamus, ſit actus.

Cum uero Alexander Achillinus argumentatur in eandem ſententiam,Id,quod educit formã e materia,eſt Deus: ſed intellectus agens educit formã e materia:ergo eſt Deus: Reſpondeo,maiorem illam propoſitionem abſolute acceptam eſſe falſam,quia agens etiam particulare adiutum etiã ab agente uniuerſali educit formam ex materia. Quod uero ad minorem pertinet,dicamus,intellectum agentem non educere formam e materia,ſicut agens naturale,ſed ſeparare a condicionibus materialibus ſpeciem,quæ eſt in phãtaſmatibus,ſic, ut ipſa poſſit mouere intellectum poſſibilem.

Cum præterea arguitur, Id,quod infundit animæ noſtræ intellectum,eſt Deus: ſed intellectus agens infundit animæ noſtræ intellectum: ergo intellectus agens eſt Deus: Si per intellectum ſignificet potentiam intellectiuam, negabo,intellectum agentem infundere animæ noſtræ intellectum: ſi uero uelit,ipſum infundere intellectionem,negabo,naturaliter loquendo, intellectionem noſtram naturalem infundi a ſolo Deo,quia Deus ad huiuſmodi intellectionem natura

lem

lem non concurrit, niſi tamquam cauſſa uniuerſalis: quare opus eſt aliqua cauſſa proxima efficiente, quæ intellectum poſſibilem e poteſtate in actum deducat. ſi uero ſenſus eius ſit, omne quod facit ad intellectionem noſtram, eſſe intellectum agentem, falſum etiam accipiet, quia phantaſma facit ad intellectionem, & tamen non eſt intellectus agens.

Demum, cum argumentatur, Omnis felicitas eſt Deus: ſed intellectus agens eſt felicitas: ergo eſt Deus: Reſpondeo, minorem propoſitionem falſam eſſe, & alienam a ſententia Ariſtotelis, quod intellectus agens ſit felicitas hominis, quodq. felicitas noſtra conſiſtat in coniunctione intellectus agentis cum poſſibili: quæ fuit ſententia Auerrois, alias a nobis confutata. Maiorem autem propoſitionem, bono ſenſu acceptam, licet nos ſecundum ueritatem Catholicam concedere debeamus, non concederet tamen Ariſtoteles, quia felicitas ex ſententia eius conſiſtit in contemplatione Dei: quare non eſt Deus, ſed eſt cognitio Dei, non intuitiua, quam in hac uita non conſequimur, cui tamen uitæ felicitatem tribuebat Ariſtoteles, ſed eſt cognitio contemplatiua ex operationibus ipſius Dei comparata, ut ipſe docuit 10. Ethic. cap. 7. ubi felicitatem in ſapientia collocauit. eſt ergo intellectus agens non Deus, neque aliquid extrinſe cum animæ noſtræ, ſed eſt aliquid eius, & eſt potētia ipſius, differens tamen ratione ab intellectu poſſibili: quare anima intellectiua eſt una, & eadem ſubſtantia ſimplex: quæ ut recipit ſpecies intelligibiles, dicitur intellectus poſſibilis; ut uero producit, uel illuſtrat ipſas agendo in phantaſmata, & ſeparãdo ea a condicionibus materialibus, & indiuiduis, dicitur agens.

HIERO-

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS

LIBER VI.

Caput I.

SEQVITVR quarta quæſtio, illa quoque ex ſentẽtia Ariſtotelis pertractãda; nã, de ueritate qui dubitet, exiſtimo reperiri poſſe neminem, Vtrumne ſentiat Ariſtoteles, quod anima intellectiua ſit unica in omnibus hominibus, an uero quod ſit pro numero hominum multiplicata, ita, ut quilibet homo habeat ſuũ intellectum ab alijs hominibus diuerſum; quẽadmodũ re uera habet. diſputatio autẽ nobis futura eſt non de phantaſia, quam Ariſtoteles intellectum paſſiuum appellare ſolet: etenim unuſquiſque homo, ex ſententia etiã ipſius Ariſtotelis, habet ſuam propriam phantaſiam; ſed de intellectu, quem νοῦν ſimpliciter interdum appellat, interdum uero uocatum intellectum, & quem nos ſupra, ex eiuſdem Ariſtotelis ſententia, immaterialem, & immortalem eſſe ſtatuimus. ſunt enim multi, quibus uidetur immortalitas intellectus non poſſe integra remanere, ſi ſingulis hominibus ſinguli intellectus tribuantur, ſed eam poſita unitate ſeruari, & defendi poſſe. Nos uero, ut ex dictis patet, putamus, Ariſtotelem demonſtraſſe immortalitatem, ſecluſa unitate, uel multiplicatione animæ intellectiuæ. difficile tamen exiſtimamus ipſi Ariſtoteli, quod facile eſt nobis, fidei lumine illuſtratis, ſoluere rationes omnes contra immortalitatem, ſimulq. conciliare omnia eiuſdem Ariſtotelis dicta, & omnia

dogmata,reiecta unitate,quæ omnino reijcienda eſt. quare & hanc quæſtionem ſuperioribus alijs quæſtionibus adiungendam eſſe exiſtimamus. ut intelligatur magis, a nobis immortali Deo immortales agendas eſſe, & habendas gratias: primum quidem, quod ingenium Ariſtotelis naturali tantũ lumine illuſtrauit,ut rationes, immortalitatem demõſtrantes,quæ humanam imbecillitatem adiuuare poſſent, inuenerit,& litterarum monumentis conſignauerit: deinde, quod earum rerum notitiam,quæ ad originem, & ad alium eiuſdem animæ ſtatum pertinebant, & quæ intelligentiæ a ſenſibus profectæ uim effugiebãt,quamue tanto ingenio, & naturali lumine,quantũ admirantur omnes,prẹditus Ariſtoteles aſſequi non potuit,ipſe nobis, pro ſua benignitate, impertiuerit,ſic,ut,cognita,& demonſtrata immortalitate,facillimum ſit,reliqua,ad eandẽ animam pertinentia,lumine fidei perſpicere; & probare,& longe facilius, quàm oppoſita,a pleriſque philoſophis probata. In hac igitur quæſtione non de ueritate, ſed de ſententia Ariſtotelis diſputaturi ſumus,de ſententia,inquam,Ariſtotelis,quia aliorum philoſophorum ſententias perpẽdere non eſt nobis hoc loco propoſitum. eſt autem quæſtio difficilis & ardua; tum, quia nõ uidetur Ariſtoteles in hac re ſuam ſententiam ex propoſito & aperte explicaſſe; tum,quia difficillimum eſt,intelligere, & intellectam probare illam ſententiam,quæ Ariſtoteli nõ, ut aliqui dicunt, naturaliter, ſed potius conuenienter ſuis fundamentis, & ſuæ doctrinæ, loquenti interdum uidetur fuiſſe tacite,& implicite probata,& a ſuis auditoribus, præſertim Theophraſto, & Eudemo, ipſi tributa, licet numquã diſertis ipſius uerbis pronuntiata: non naturaliter,inquam, quia,ſicut gratia non deſtruit, ſed perficit naturam ipſam, ita & ueritas naturalis non deſtruit ueritatem fidei, licet ad eam (cum fides ſit alterius ordinis, ut ſupra diximus) non pertingat.

Nos uero,in hac diſputatione, hunc ordinẽ ſeruabimus, ut primum afferamus argumenta,prẹſertim ex ſuperioribus diſputationibus deprompta, quæ uidentur perſuadere poſ-

ſe, Ariſtotelem hoc unitatis figmentum probaſſe interdum: eaque, quantum per nos fieri poterit, declarabimus: uerum, quia huiuſmodi argumenta probant, ſeu potius uidentur probare, concluſionem falſam, & a fide ac doctrina Catholica alienam, atque a communi ſenſu, & a communi hominũ intelligentia abhorrentem, ea ſimul afferemus, & diſſoluemus: ſecundo, quæ contra unitatem faciunt, expohemus: & an ab ijs, qui hoc figmentum tuentur, diſſolui poſſint, indicabimus: ſimulque uidebimus, an uerum ſit iudicium Beſſarionis, Cardinalis Nicæni, dicentis, eos, qui poſuerunt unitatem intellectus, nondũ phyſicis rationibus cõuinci potuiſſe.

b Theophraſtus igitur, & Eudemus, Ariſtotelis auditores, Themiſtius poſtea, Auerroes, & Simplicius, unum numero ex ſententia Ariſtotelis poſuerunt intellectũ in omnibus hominibus: quam ſententiam ſecuti ſunt plurimi recentiores: nam, quoad Theophraſtum, & Themiſtium pertinet, licet in libello de unitate intellectus contra Auerroem S. Thomas, qui, pro ſua ſingulari pietate, & ueri dicendi ſtudio, hanc falſam, & impiam de unitate poſitionem conatus eſt demoliri, & omni auctoritate ſpoliare, dixerit, Theophraſtum, & Themiſtium poſuiſſe multiplicationem animarum, tam ſecundum intellectum agentem, quam poſſibilem, tamẽ retractauit ſe in 2. ſent. diſt. 17. q. propria de unitate intellectus: ubi dixit, Auerroem, Themiſtium, & Theophraſtum, concordes poſuiſſe unitatem intellectus. &, licet nullum aliud haberemus argumentum de ſententia Theophraſti, illud certe maximum eſt, quod poſuit intellectum undique æternum, unde, ut dicemus, ſequitur unitas, ſicut falſum ex falſo. Quare præſtantiores Peripatetici, dum animæ immortalitatem tueri ſtudent, ſeu potius ſoluere dubitationes ipſi imminentes, & conciliare omnia dicta Ariſtotelis, quæ uidẽtur inuicem pugnare, uenerunt in eam ſententiam falſiſſimam, quod ipſa ſit unica, ſiue una numero in omnibus hominibus, quæ non incipiat tunc temporis, cum ſinguli homines naſcuntur, ſed, ex omni æternitate præexiſtens, homines cunctos, quotquot naſcuntur, apprehendat, ſiue infor-

met,omnibus extrinſecus adueniat,& omnibus uim intelligendi impertiat; ſicut lumen Solis,non tunc primum gignitur,quando homo uidere incipit,ſed, ante exſiſtens, hominem,oculos cum primum aperientem,illuminat, &, quădiu oculos apertos habuerit,facit ut uidere poſſit, neque tamĕ, ipſo oculos claudente,deſinit eſſe. Quare hic unicus intellectus,ex horum hominum ſententia,non tunc primum incipit eſſe,cum hic, uel ille homo naſcitur, neque hoc uel illo moriĕte deſinit eſſe,ſed ſicut prius erat,ita remanet,& ſemper eſt in corpore humano: ſicutque eſt totus in toto aliquo corpore alicuius indiuidui,& totus in qualibet parte corporis illius,& tamen dempta una parte nihil eius deperit, ſed remanet integer in reliquo corpore; ita eſt totus in quolibet homine, & totus in omnibus hominibus; neque tamen uno moriente aliquid eius deperit, ſed remanet integer in reliquis hominibus. &,ut dicit Auerroes,per idem eſt intellectus,& hic intellectus, & habet naturalem propenſionem ad corpus organicum perfectum potentijs ſenſitiuis conuenientibus humanæ ſpeciei, quæ differunt ſpecie a ſenſitiuis brutorum,& eſt actus, ſeu perfectio corporis humani, tamquam primi ſubiecti perfectibilis: huius uero & illius ex accidenti ſolum,& ſecundario. & hic eſt ille intellectus,quem Themiſtius illuminantem appellauit. nam,quos intellectus illuminatos appellat, eosq. plures facit, non intellectus agentes,aut poſſibiles,ſiue ex utriſque concretos, ſed intellectus paſſiuos,id eſt,phantaſias appellat ab intellectu ſeparato illuminatos. ſic igitur ſenſiſſe Ariſtotelem dixit Themiſtius: ſic crediderunt illi, quos numerauimus: ſic eundem Ariſtotelem aliquando ſenſiſſe, multis argumentis uidetur perſuaderi poſſe. &,ut incipiă ab illis, quæ ex proxime diſputatis,& a nobis ex eiuſdem Ariſtotelis ſententia conſtitutis colliguntur, Primum ſic argumentari licet: anima intellectiua,ut ſenſit Ariſtoteles,eſt immortalis: eadem licet ſit ſeparabilis ab hoc & illo corpore,tamen etiam ipſe exiſtimat,quod eſt inſeparabilis loco,& ſubiecto a corpore humano;tum,quia non habet operationem propriam,quam ſcili-

cet poſſit exercere ſine corpore, & ideo ſeparata remaneret otioſa; tum, quia eſt actus corporis humani, ut tale eſt: quare uidetur ſequi, ex eiuſdem ſententia, ipſam eſſe unicam. conſequentia probatur, quia, ſi eſſet multiplicata, cũ ſit immortalis, & inſeparabilis a corpore humano, neceſſarium eſſet confugere ad Pythagoricas fabulas, & concedere tranſmigrationem, ſaltem ex alio in aliud corpus humanum: uel ad reſurrectionem Democriti: uel ſaltem concedere, moriẽte uno homine, ſtatim & in eodem inſtanti naſci alium. Itẽ, poſita æternitate mundi, quam poſuit Ariſtoteles, daretur infinitum in actu.

Secundo: anima intellectiua, ut ſentit Ariſtoteles, eſt undique æterna: quod colligitur ex ſecunda noſtra diſputatione: ergo unica: nam, ſi plures, uel dabitur migratio ex alio in aliud corpus, uel remanerent æterno tempore ſeparatæ a corpore, quod abſurdum uidetur. quia uel illa ſeparatio eſſet ipſis naturalis, uel uiolenta: non uiolenta, quia nullum uiolentum eſt perpetuum; neque naturalis, quia ſic unio, & coniunctio cum corpore eſſet ipſis prætermaturalis.

Tertio: anima intellectiua, ſentit idem Ariſtoteles 2. de generat. animalium cap. 3. quod anteceſſit corpori, adeo, ut in nobis uideatur eſſe illa eadem anima, quæ fuit in alijs hominibus: ergo, ex eiuſdẽ ſentẽtia, uidetur eſſe unica: quia, ſi eſſet multiplicata, non poſſet eſſe ante corpus, niſi eo modo, quem finxit Plato, ab Ariſtotele tamen, atque a religione noſtra damnato.

Præterea: ſi non ſuppoſuiſſet Ariſtoteles, illam eandem numero animam eſſe in nobis, quæ fuit in alijs hominibus, nullus fuiſſet locus illi quæſtioni, quam ſoluit Ariſtoteles in tex. 20. 3. de Anima, cum dicit, non reminiſcimur autem, quod hoc quidem impaſſibile eſt, intellectus uero paſſiuus corruptibilis, & ſine hoc nihil intelligit.

Sed hæc argumenta a Chriſtianis philoſophis, qui non iurarunt in uerba Ariſtotelis, facile ſoluuntur, & ſolutiones ex ijs, quæ a nobis ſuperius dicta ſunt, facile colliguntur.

Nam, quod ad primum pertinet, licet anima coniuncta

corpori non habeat operationem propriam, & non intelligat ſine phantaſmate, ſeparata tamen habet alium modum intelligendi, ſicut & habet alium modum exſiſtendi, quemadmodum recte dicebat S. Thomas.

Quantum uero ad ſecundum pertinet, falſum eſt illud aſſumptum, animam noſtram eſse undique æternam: falſum eſt etiam id, quod tertio accipiebatur, eandem antecedere corpori. licet ergo tria illa argumenta allata perſuadere poſſent, Ariſtotelem aliquando poſuiſſe unicam tantum animam in omnibus hominibus, non perſuadent tamen, conſtantem fuiſſe ipſius hac in re ſententiam; & multo minus perſuadent, illam ueram eſſe.

Caput II.

SEd, ut reuertamur ad id, quod agebamus, idem ſenſiſſe Ariſtotelem de unitate intellectus, poſſet quis colligere quarto loco, ex cauſſa multiplicationis indiuiduorum in eadem ſpecie, quam idem poſuit tum materiali, tum finali: materiali quidem, quia ex ſententia eius cauſſa materialis multiplicationis eſt diuiſio materiæ in plures partes eiuſdē ſpeciei, in quas agens agit, & producit plura indiuidua: plures enim ſunt homines, quia materia, ex qua fiunt, in plures partes diuiditur, & agens agendo in eam producit plura indiuidua eiuſdem ſpeciei.

Præterea, dixit Ariſtoteles mundum eſſe unicum, quia conſtat ex tota materia ſua, & eſt perpetuus, & ideo non poteſt multiplicari. exemplum huius rei ſit hoc: ſi tota materia hominis eſſet in uno homine, ſicq. homo eſſet perpetuus, non poſſet multiplicari. Hoc ergo poſito, quod cauſſa multiplicationis indiuiduorum in eadem ſpecie ſit diuiſio materiæ; ſicut unitas eius tantum indiuidui eſt cauſſa; ſic argui poſſe uidetur: anima rationalis eſt immaterialis, ut ſupra demonſtratum eſt etiam ex ſententia Ariſtotelis: ergo, ex eiuſdem ſententia, non uidetur eſſe numero multiplicata: conſequentia probatur, quia ex oppoſito conſequentis

ſequitur oppoſitum antecedentis. ualet enim hæc conſequentia ex ſententia Ariſtotelis, hoc eſt, multiplicatum numero ſub eadem ſpecie, ergo materiale. idem cõſtat ex Ariſtotele 12. Metaphys. dicente, in ſeparatis a materia non dari multitudinem numeralem ſub ſpecie. ibi enim tex. 35. habuit hæc uerba: *atqui cælum unum eſſe uidetur. nam, ſi plures ſint cæli, perinde ac homines, principium, quod cuique accommodatum ſpecie quidem unum erit, numero autem plura*: id eſt, forma cuiuſque propria erit una ſpecie, plures uero numero. *ſed quæ ſunt numero plura*, ſubiungit Ariſtoteles, *ea materiam habent, una enim ratio eademq. multorum, ut hominis, Socrates autem unus*. Ex eo igitur loco habemus, formas, quæ ſunt plures numero, in eadem ſpecie eſſe materiales. tex. 40. iuxta Auerr. partit.

Sed diceret quis, ex eodẽ quoque loco colligi poſſe, plures eſſe animas intellectiuas, quia, cum plures ſint homines, principium cuique accommodatum, hoc eſt forma cuique accommodata, erit una ſpecie, plures uero numero: ſed huiuſmodi eſt anima intellectiua: quare ſequitur, ipſam eſſe numero multiplicatam. Ad hanc tamen obiectionem reſponderent defenſores unitatis, animam intellectiuã eſſe formam accommodatam homini, ut homo eſt, non cuique homini. nam forma, cuique homini accommodata, dicerent ipſi, eſt propria cuiuſque phantaſia. hanc tamen reſponſionem infra ſuo loco redarguemus. falſum enim non niſi poſito falſo tueri poteſt.

Quod etiã materia ſit cauſſa multiplicationis indiuiduorum, teſtatum reliquit Ariſtoteles 1. de Cælo tex. 92. ubi dixit: *Videmus quorumcumque ſubſtantia eſt in materia plura, & infinita eſſe, quæ eiuſdem ſpeciei*.

Idem confirmatur ex cauſſa finali multiplicationis indiuiduorum in eadem ſpecie, quæ cauſſa eſt perennitatis ſpeciei, ut conſtat multis ex locis Ariſtotelis, præſertim in 2. lib. de Anima tex. 35. ubi dicit, naturam dediſſe uim generatricem animantibus, ut, quam æternitatem non poterant aſſequi in uno indiuiduo, illam in ſpecie aſſequerentur. Item 2. de generat. & interitu tex. 59. ubi dixit, Deum dediſſe

diſſe multiplicationem illis, quæ in uno indiuiduo non poterant eſſe perpetua. hoc idem confirmauit primo de generat. animal. cap. 1. & 1. Oecon. cap. 3. Quare ex his poſſet quis argumentari, ceſſante cauſſa ceſſat effectus: ſed perennitas indiuiduorũ, quæ per multiplicationẽ acquiritur, eſt cauſſa multiplicationis eorũ: ergo, ubi eſt, uel poteſt eſſe æternitas ſine multiplicatione, non eſt opus ipſa: nam, remoto fine principali, remouentur illa, quæ neceſſario referuntur in illum finem. Sed priorẽ rationem ſoluit S. Thomas 1. q. 76. art. 2. dicens, quod, licet intellectus non habeat materiam, ex qua ſit, tamen eſt forma alicuius materiæ, & ideo ſecundum diuiſionem ſunt multæ animæ eiuſdem ſpeciei. id quod ex eo comprobatur, quod intellectus non eſt integra ſpecies, ſed pars ſpeciei.

Ad argumentum uero, quod ſumitur ex cauſſa finali multiplicationis indiuiduorum, uidetur omnino reſpondendũ, naturam, quando poteſt conſeruare in uno indiuiduo perennitatem alicuius ſpeciei integræ, ſiue alicuius entis completi in ſpecie, non multiplicare indiuidua: at anima intellectiua non eſt integra ſpecies, neque ens completum in ſua ſpecie, & ideo multiplicatur, licet ſit immaterialis: quare ualebat argumentum Ariſtotelis 12. Metaphyſ. quia intelligẽtiæ, de quibus ibi loquebatur Ariſtoteles ſunt entia completa in ſua ſpecie, & omnibus numeris abſoluta, quæ, adductæ ſua naturali bonitate, non aliqua operandi neceſſitate, informãt corpora cæleſtia, atque ipſis dant eſſe, ex opinione Ariſtotelis, quod non poſſumus dicere de anima intellectiua ad corpus humanum comparata.

Caput III.

QVinto, pro unitate argumentatur Auerroes in destruct. destruct. contra Algazelem diſputat. 1. Si anima noſtra ſit multiplicata numero, eademq. ſit immortalis, dabitur infinitum in actu, a quo ſemper abhorruit Ariſtoteles. probatur conſequentia: quia, cum, ex ſententia Ariſto-

telis,

telis,ipſe mundus ſit æternus ex utraq. parte, neceſſe eſt infinitos homines præceſſiſſe,ſicq. infinitos eorum intellectus, cùm ipſi hominibus ſuperſtites ſint, actu reperiri ſeparatos ab illis corporibus. Hæc omnium rationum,quibus uſus eſt Auerroes in hac diſputatione, ualidiſſima eſt in doctrina Ariſtotelis,ponentis æternitatem mundi, quæ tamen a nobis mundi principium ponētibus nullo negotio diſſoluitur. & , quia falſum ex falſis ſequitur,&,dato uno incommodo, plura ſequuntur, nihil mirum, ſi, poſito illo falſo principio de æternitate mundi, ſequantur & pleraque alia falſa, qualis eſt hæc falſitas de unitate intellectus. licet uero dicant aliquī,nihil prohibere, quin ſimpliciter detur infinitum in actu in quantitate diſcreta,& in ſpiritualibus,uel in ijs,quæ nōn ſunt eſſentialiter ordinata, has tamen reſponſiones omnes redarguunt ea, quæ ſcripta ſunt apud Ariſtotelem 3. de naturali auſcult. & 1. de Cælo ; ubi tollit omne infinitum. licet enim in 3. de naturali auſcult. loquatur maxime de infinito in ſenſibilibus,ut patet ex textu 39. ubi dicit : *Nos autem conſideramus de ſenſibilibus,ac de ijs,quorum facimus ſciētiam, utrū in illis eſt,an non eſt corpus infinitum in augmentum* : rationes tamē, quibus ſuperius uſus fuerat, uidentur tollere utrumque infinitum : & ideo,ſi impoſſibile eſt eſſe infinitum actu in ſenſibilibus,impoſſibile eſt etiā eſſe in ipſis inſenſibilibus. Quod ſic probatur: Si eſſet aliquod corpus infinitum, plura eſſent infinita,quia in infinito ſunt infinities infinita : ſed impoſſibile eſt eſſe plura corpora infinita,quoniam unum infinitum omnia occupat : quare non compatitur alterum infinitum : & ſic non eſſent plura infinita. quod eſt oppoſitum conceſſis. Eadem etiam eſt ratio de abſtractis,quia,ſi eſſet infinitum in abſtractis,eſſent in eis plura infinita. Præterea, omnis numerus eſt actu numeratus ; ſed numerus infinitus non poteſt actu numerari : ergo nō datur numerus infinitus. Itē: omnis numerus eſt par,uel impar ; ſed infinitus non eſt par, neque impar : ergo non eſt numerus. Præterea ; cuilibet numero poteſt fieri additio : ſed infinito minime : quare non datur infinitus numerus. Ex ijs etiam,quæ dicuntur 11. Metaphyſ.

taphyſ. licet intelligere, Ariſtotelem utrumque infinitum negaſſe.

Et, quia dicunt aliqui, in quibus eſt Sueſſanus, S. Thomã uſum fuiſſe illa eadem ſolutione, qua uſus eſt Algazel, facile ex dictis eiuſdem S. Thomæ licet oſtendere, ipſos falſam de hac re accepiſſe opinionem, ſimulque cognoſcere, iudicio etiam illius ſancti, & numquam ſatis laudati uiri, argumentum ex ſententia Ariſtotelis eſſe inſolubile. etenim S. Thomas 1.q.7.art.4. ex propoſito redarguit Algazelem & Auicennam, dicentes, dari multitudinem per accidens infinitam: ac primo, quia omnis multitudo debet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis: ſpecies autem multitudinis ſunt ſpecies numerorum: nulla autem ſpecies numeri eſt infinita, quia quilibet numerus eſt multitudo cõſtans ex unitatibus. Item multitudo exſiſtens in rerum natura, eſt creata: at omne creatum ſub aliqua certa intentione creantis comprehẽditur: quare neceſſe eſt, ut omnia creata ſub certo numero comprehendantur: ita, ut idem Sanctus, & ratione maxime præditus Doctor, exiſtimet, Ariſtotelẽ, qui mundum poſuit æternum, nihil tamen contra nos concludere, qui ponimus ipſum nouum: infinitatem tamen intellectuum, poſita unitate uitarent defenſores unitatis: ſed, ut dixi ex Beato Thoma, nobis ponentibus principium mundi nullum negotium faceſſit Auerrois ratio. Sexto arguunt alij pro unitate: quod, ſi daretur multiplicatio animæ noſtræ ex ſententia Ariſtotelis, neceſſe eſſet, ipſum concedere alium ſtatum ipſius animæ ſeparatæ a corpore, quem nullibi uidetur cognouiſſe. nam, ſi alicubi mentionem facturus erat de ipſo, certe id in moralibus facere debuiſſet. attamen 3. Ethic. cap. 3. dixit, homini mortuo nihil boni, aut mali deinceps uidetur eſſe. Præterea, in libello, qui de bona fortuna inſcribitur, qui tamen non eſt liber ſeorſum ſcriptus ab Ariſtotele, ſed eſt particula quædam ſecundi libri magnorum Moralium, in illo, inquam, libello negauit, bonam fortunã eſſe a Deo: quia, ſi eſſet, ſequeretur, Deum eſſe iniquum Iudicem, & improbum, quia bonis mala, & bona malis impertiret: at, cum

ſubiungebat Ariſtoteles ibidem, magno honore dignamur, quod meritis bona, ac mala iuſte impertiatur: ſed, ſi ex ſententia Ariſtotelis daretur alius ſtatus animæ extra corpus, nulla eſſet ratio Ariſtotelis, quia ille eſt locus, in quo maxime diuina exercetur iuſtitia. In eandem ſententiam uidentur facere uerba Ariſtotelis in libello de diuinatione per ſomnum, ubi negauit ſomnia mitti a Deo, ea potiſſimum ratione, quia non mittuntur prudentioribus, & optimis, ſed quibuslibet. Ex quibus uidetur ſequi, Ariſtotelem non cognouiſſe alium ſtatum animæ.

Arguunt etiam, ut probent, eundem non potuiſſe illum cognoſcere, quia neque ullus ſenſus, neque aliqua res cadẽs ſub ſenſu, neque etiã ulla ratio illum ipſi perſuadebat: nã, ſi aliqua, illa certe, ut boni bonorum præmia, mali uero malefactorum pœnas acciperent: ſed hæc ratio, dicunt ipſi, ex ſententia Ariſtotelis, nullum pondus habet, quia actus bonus ex ſententia eiuſdem eſt præmium ipſi operanti: actus uero malus eſt ſupplicium, & pœna. Quod etiam confirmauit D. Auguſtinus, dicens, Iuſſiſti Domine, & ita eſt, ut peccatum ſit ipſi peccatori pœna. id quod etiam confirmat experientia eorum, qui non omnino ſuæ miſeriæ ſenſum amiſerunt.

Præterea, ex ſententia Ariſtotelis, anima nullam habet operationem ſeparatam a corpore: quare ſequitur, ex eiuſdem ſententia, non dari alium ſtatum, in quo degat ſeparata. Item, ſi remaneret ſeparata a corpore, ſeparatio illa eſſet ei uiolenta, cum naturalis ſit ipſi coniunctio cum corpore: & tamen ſeparatio illa eſſet perpetua: & ideo daretur aliquod uiolentum perpetuum. Quare ſequi dicunt, non potuiſſe Ariſtotelem, naturaliter loquentem, concedere alium ſtatum animæ.

Caput IV.

SEd & hæc facile ſoluentur. nam & aliquando uidetur Ariſtoteles cõcedere alium ſtatũ animæ: ut in 1. Ethic.

capit. 1. ubi conceſſit fortunas poſterorum aliquid defunctis afferre. In quam ſententiam adducunt aliqui uerba eiuſdẽ 2. Oeconom. ubi ferunt, dixiſſe illum, Alceſtem, & Penelopem, quod fidem, & iuſtitiam erga uiros ſuos ſeruarunt, æternam ſibi gloriam comparaſſe, neque a Dijs irremuneratas fuiſſe. Ego uero hæc uerba apud Ariſtotelem non legi, quæ tamen digna ſunt ciuili philoſopho, & digna prudentia Ariſtotelis, quia maxime expedit, ut mulieres ſeruent fidem erga uiros, magis autem ſeruabũt, ſi fidei, & iuſtitiæ ſuæ a Dijs mercedem exſpectent. Sed, licet eo loco nihil, quod ad hãc rem pertineat, dixerit Ariſtoteles, multa tamen ex eius ſcriptis uerba proferri poſſunt in hanc piam ſententiam, quæ breuitatis cauſſa omitto.

Quare, ut diuerſa Ariſtotelis loca, quæ uidentur inuicem pugnare, concilientur, dicunt doctrinæ ipſius nonnulli ſtudioſi, quibus ego multum tribuo, Ariſtotelem aliquando ex ratione naturali, ſenſibus innixa, (ego uero potius dicerem, ipſum aliquando conuenienter ſuis principijs, uel ſuæ doctrinæ in philoſophia naturali traditæ) aliquando uero ex religione ſui temporis, & ex creditis locutum fuiſſe, & hoc modo conceſſiſſe multiplicationem, & alium ſtatum animæ, illo uero in dubium reuocaſſe.

Ad ea uero, quæ contra multiplicationem, & alium ſtatũ animæ afferuntur argumenta, facile reſponderi poteſt. Ad primum quidem, quod pertinet ad id, quod ſumebatur a ſenſibus, Chriſtiani multa habent experimenta, quæ negari nõ poſſunt: illa uero, atque etiam ea, quæ apud Theologos frequentiſſime leguntur, conſulto prætermitto, quod unuſquiſque poteſt illa legere, & tamquam ueriſſima probare, illiſq. certiſſimam fidem habere.

Multa etiam referũtur ab Ethnicis ſcriptoribus, quæ perſuadent dari alium ſtatum animæ. habent & Chriſtiani diuina oracula, quæ non poſſunt fallere, quibus longe magis, quam ſenſibus, & rationibus omnibus ſenſui innixis, credendum eſt. Omitto autem experimenta, quæ apud Platonem leguntur. refert enim ipſe in Phædone, uiſas eſſe umbras, &

phan-

phantaſmata animarum; quæ ſunt animæ malorum hominum. quod etiam dicebat Ioannes Grammaticus in exordio commentariorum 1. lib. de Anima: idem etiam Plato in 9. de legibus dicebat, occiſorum animas ſæpe interfectores inſequi: quapropter aliqui exiſtimarunt, præſente interfectore uulnera interfecti ſanguinem emittere. Idem etiam 10. de republica retulit, quendam Erum, Armenium genere, Pamphilium a mortuis reſurrexiſſe, qui de pœnis, & cruciatibus horrenda referebat. Omitto præterea id, quod Plinius Iunior narrat, Athenis infamem fuiſſe domum, in qua ſimulacrum horridi ſenis adſpiciebatur, & ſtrepitus audiebantur: Athenodorum uero Tarſenſem philoſophum ſimulacrum illud uidiſſe, conducta domo, eoq. duce comperiſſe in area ipſius domus oſſa iacere cathenis innexa, &, ſicut mos erat, ſepeliſſe, deinde domum illam a ſtrepitu liberatã. Omitto etiam, quod refert Poſidonius Stoicus, & narratur a Cicerone 1. de diuinatione prope dimidium libri, quod, cũ Arcades familiares Megaram ueniſſent, alter ad cauponem diuertit, alter ad hoſpitem, qui ut cenati quieuerunt, noctu uiſus eſt in ſomnijs ei, qui erat in hoſpitio, ille alter orare, ut ſubueniret, quod ſibi a caupone interitus pararetur. hic primo ſomno territus ſurrexit: deinde, cum ſe collegiſſet, idque uiſũ pro nihilo habẽdũ dixiſſet, recubuit: deinde ei dormiẽti uiſus eſt rogare, ut, quoniam ſibi uiuo nõ ſubueniſſet, mortem ſuam ſaltem ne inultam eſſe pateretur: ſe interfectum a caupone in plauſtrum eſſe coniectum, & ſupra ſtercus iniectum: petere, ut mane adeſſet ad portam, prius quam plauſtrum ex opido exiret. hoc ergo inſomnio commotus mane diluculo præſto ad portã affuit: quæſiuit, quid eſſet in plauſtro: ille, perterritus, fugit: mortuus erutus eſt. caupo, re patefacta, pœnas dedit. Demũ omitto Simonidẽ, qui, cum ignotum quendam mortuum uidiſſet, cumq. humaſſet, haberetq. in animo nauem conſcendere, moneri uiſus eſt ab eo, quem ſepultura affecerat, ne id faceret: ſi nauigaſſet, naufragio periturum: Simonidem redijſſe, ceteros uero naufragiũ feciſſe. Hæc, & alia prætermitto: quibus tametſi non ſit

Plinius Iunior ſeptimo lib. epiſtol. 27.

omnino

omnino fides habenda, non ſunt tamen omnino negligenda: experimenta enim negare, impudentis eſt, & uæſani.

Caput V.

RAtio uero, quæ ſupponebatur a pleriſq. non probare alium ſtatum animæ, ipſum maxime probat, & confirmat, quia, licet actus bonus ſit præmiũ intrinſecum ipſi operanti, deeſſet tamen ipſi quam ſæpiſſime præmium extrinſecum, ſi non eſſet alius ſtatus animæ: quia uidemus, multos bonos, & uirtute præditos aduerſa multa experiri.

Præterea, licet peccatum ſit pœna peccati, & trahat peccatorem in aliud peccatum, tamen illis, qui contraxerunt habitum in peccato, non eſt ita pœna, ut peccatorem moleſtia afficiat: quemadmodum etiam ſuperius in quæſtione de immortalitate dicebamus: immo ſunt multi, qui in malefactis lætantur, adeo, ut Prouerb. cap. 18. recte, & ſapienter dicatur, Impius, cum in profundum peccatorum uenerit, contemnit: quare, niſi illi in alio ſtatu punirentur, ſequeretur, eos, qui grauius, & diuturnius deliquiſſent, minus puniri: & ideo tantum abeſt, ut ratio illa tollat alium ſtatum animæ, ut eum maxime confirmet.

Ad id uero, quod dicebatur, animam nullam habere operationem ſeparatam a corpore, reſpondent aliqui, putantes ſe loqui etiam ex ſententia Ariſtotelis, & concedunt, ipſam ſeparatam a corpore intelligere: quo modo uero intelligat, non uideo ipſos poſſe declarare: quod nos tamen, Diuino lumine illuſtrati, cognoſcimus, & confitemur. neque enim audiendus eſt ullo modo Auguſtinus Sueſſanus, qui dixit, non eſſe abſurdum, animam perpetuo tempore manere otioſam. hoc enim & a philoſopho naturali, & a ueritate Chriſtiana alienum eſt. Quod ſi quæras, quare Ariſtoteles de alio ſtatu animæ, & de operatione ipſius in eo ſtatu nullam mentionem fecerit: uidetur reſpondere S. Thomas, illud fuiſſe in cauſſa, quia hic ſermo non pertinet ad phyſicum, qui non conſiderat eam niſi coniunctam corpori, ſed ad metaphyſi-

taphyſicum, qui conſiderat eam ſeparatam a materia, & a corpore: ſi uero quærat aliquis, quare in metaphyſica nullum de hac re uerbum fecit: quia, inquit, morte præuentus non potuit illi operi extremam manum imponere. ſed hæc reſponſio non uidetur mihi omnino ſatisfacere quæſtioni; quia conſideratio animæ rationalis, cum ſit conſideratio rei particularis, ſiue ſpeciei ſpecialiſſimæ, quæ neque eſt cauſſa entis, ut ens eſt, neque eſt prima ſpecies entis, quales ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quibus nominibus pertinent ad primũ philoſophum, & ſunt prima ſpecies ſui ſubiecti, quam appellant ſubiectum principalitatis; conſideratio, inquam, animæ rationalis non poteſt pertinere, niſi ad particularem ſcientiam, qualis eſt philoſophia naturalis; ut nos abunde demonſtrauimus, cum de genere ſcientiæ de anima diſputaremus.

Secundo, non erat locus in prima philoſophia, ubi ipſam tractaret, cum ipſa ſit perfectiſſima, neque aliud ad ipſam pertinens poſſit ei addi.

Tertio, quia, ſi ibi facturus fuiſſet ſermonem de anima intellectiua ſeparata a corpore, oportuiſſet ipſum facere antequam tractaret de ſubſtantijs ſeparatis, quia intellectio animæ intellectiuæ, ſi ſeparata intelligeret, ordinaretur, & referretur in ſermonem de ſubſtantijs ſeparatis. Quare non poſſumus dicere, Ariſtotelem morte præuentum non fuiſſe locutum in prima philoſophia de intellectione animæ ſeparatæ a corpore.

b Præterea, cum Ariſtoteles tex. 12. 1. de Anima dixerit, ſi intelligere eſt phantaſia, uel non ſine phantaſia, ipſum non eſſe ſine corpore, & poſtea oſtendit ipſum nõ eſſe ſine phantaſia: ſatis ſignificauit, ſe non cognouiſſe aliquam intellectionem animæ ſeparatæ a corpore.

Quamobrem nos, ſoluentes illam rationem, quæ tollit alium ſtatum animæ, propterea quod ipſa ſeparata a corpore nullam haberet operationem, concedimus per fidem, animã ſeparatam a corpore intelligere.

Per fidem etiam optime aliam rationem ſoluemus, negãtes,

tes, dari aliquod uiolentum perpetuũ, quia anima per mortem ſeparata a corpore aliquando coniungetur cum ipſo, quocum poſtea ſemper erit coniuncta. quam ueritatem, quamq. difficultatem in philoſophia naturali inexplicabilem, docet tamen, & explicat Chriſtiana fides, ſicut & pleraq. alia philoſophis incognita, & inexplicabilia.

Caput VI.

ARgumentãtur præterea alij pro unitate, quia, ſi anima noſtra eſſet multiplicata, ſic, ut daretur alius ſtatus animæ, uel migratio ex alio in aliud corpus, à quo tamen abhorret Ariſtoteles, neceſſe eſſet, ipſam moueri ex alio in alium locum: ſed, ipſam non poſſe moueri per ſe, demonſtratum eſt in 1. de Anima, atque etiã in 6. de naturali auſcult. nempe, omne, quod per ſe mouetur, partim eſſe in termino a quo, partim in termino ad quem, ſicq. eſſe diuiſibile. Quare, cum anima noſtra ſit indiuiſibilis, non ſolum non poteſt moueri ex ſe, ſed neque etiam ex accidenti, cum neutro modo ſit capax motus. Sed hoc argumento urgentur etiam illi, qui ponunt unitatem: quare ipſi aliquo modo conabuntur ipſum euadere. nos quoq. ueritatem à Deo traditam ſuſtinẽtes, ipſum diſſoluemus, negãtes animam moueri, quia, ut diximus, nõ eſt capax motus, &, licet ſit, ubi prius nõ erat, non eſt ibi per loci mutationem, cum non ſit apta moueri. Quod ſi motus aliquis ipſi tribuatur, non niſi æquiuoce, & metaphorice tribuetur: ut ante diximus in diſputatione de immortalitate.

Auerroes, præter eas, quæ commemoratæ ſunt, rationes, addidit & alias pro unitate. Quarum una eſt: ſi intellectus non eſſet unus numero, in Socrate exempli gratia, & Platone, ſequeretur, notionem lapidis, uel aliarum rerum in utroque diuerſam eſſe, quia, multiplicatis ſubiectis, multiplicantur accidentia: at conſequens eſt falſum: quia ſic, inquit ipſe, intellectio in Socrate non eſſet actu intellectio, neque actu intellecta: quia, cum differat numero ab intellectione

Plato-

Platonis, neceſſe eſt, ut ſit ſingularis: ſed ſingulare, tantum potentia eſt intellectum: uniuerſale uero eſt actu intellectum: ergo non poteſt eſſe diuerſa.

Sed hæ, & aliæ, quas addit Auerroes, præter eas, quæ ſuperius allatæ ſunt, hæ, inquam, poſteriores Auerrois, & Themiſtij capi. 3 2. in eandem ſententiam adductæ rationes facile ſoluuntur, retenta etiam doctrina Ariſtotelis: &, ut omittam rationes Ioãnis Gandauenſis, qui in quæſtione propria ſtrenue argumentatus eſt contra Auerroem, & concluſit, intellectiones, quibus Socrates, & Plato intelligunt, non eſſe unas ſimpliciter, & per ſe, neque alia ratione eſſe unas, niſi quatenus recipiuntur in uno ſubiecto, ſcilicet in intellectu: ut, inquam, omittam rationes Gandauenſis, dico, ex hoc ſatis intelligi, falſam eſſe concluſionem Auerrois: quia, ſi uera eſſet ratio, qua nititur eam probare, ſequeretur, intellectionem Socratis, & Platonis eſſe eandem: quare eandem omnino eſſe ſcientiam utriuſque. cum uero dicit Auerroes; ſi notio lapidis in Socrate eſt diuerſa ab ea, quæ eſt in Platone, ergo potentia intellecta: reflecto argumentum; & argumentor ſic: intellectio illa per ſe, o Auerroes, eſt ſingularis, quia eſt una numero in Socrate, & Platone: ergo eſt potentia intellecta: quare eodem incommodo urgeris ipſe, quo uis alios urgere.

Ad rationem uero ipſius Auerrois reſpondeo, diuerſas eſſe notiones in Socrate, & Platone, quia phantaſmata utriuſque ſunt diuerſa, cum diuerſæ ſint phantaſiæ: quare, cum ſpecies illę ſint idem ſubiecto cum phantaſmatibus, ſunt ſingulares, & potentia intellectæ: ut uero opera intellectus agentis ſunt exſutæ a condicionibus materialibus, ſunt uniuerſales, & ideo ſunt actu intellectæ. Themiſtius uero, præter eam rationem, quæ in doctrina Ariſtotelis efficaciſſima eſt, ſumptam a cauſſa multitudinis indiuiduorum in eodem ſpecie, addit alias rationes facile diſſolubiles, ab ijs etiam, qui cancellos philoſophiæ Ariſtotelicæ nolint egredi. Cum enim argumentatur: ſi non eſſet idem numero intellectus omnibus hominibus, non eſſent eadem principia communia

 omnibus,

omnibus, neque eædem cõmunes animi conceptiones: hæc conſequentia nulla eſt; quia bruta habent conceptus communes, ſenſum enim communem habent moleſti, & iucundi, & tamen non habent eandem numero animam. adde, quod per ſenſum acquiritur cognitio principiorum communium in omnibus hominibus. quare uidetur mihi errare, & labi Auerroes, (quod pace tanti uiri dixerim) cum, in ſua digreſſione, attingẽs rationem hanc Themiſtij, dixit, neceſſarium eſſe, ut intellectus materialis nõ ſit denudatus a principijs communibus totius ſpeciei humanæ; ſcilicet primis propoſitionibus, & formationibus ſingularibus communibus omnibus: hoc enim aduerſatur Ariſtoteli 2. poſteriorũ Analyt. ubi ex propoſito quærit Ariſtoteles, an habitus principiorum ſit nobis ingenitus, & negat eſſe ingenitum: quia ſequeretur nos habere certiſſimas cognitiones, & illas nos latere: quare docet, illam notitiam per ſenſum, ſiue ope ſenſus comparari, & in nobis fieri, cum prius non ineſſet. Id etiam, quod dicit Themiſtius, non poſſe homines ſe inuicem intelligere, ſi non haberent eundem numero intellectum, nulla ratione probandum eſt, quia bruta ipſa multa ſibi inuicem ſignificant, ſeq. inuicem ſentiunt, ſuosq. affectus inuicem percipiunt, & tamen non habent ſenſum eundem numero, ſed ſpecie tantum. quod uero res ita ſe habeat, conſtat ex Ariſtotele 1. Polit. cap. 2. ubi, cum dixiſſet, hominẽ eſſe animal ſociabile magis, quàm omnes apes, & quã omne gregarium animal, id probauit, quia natura nihil fruſtra facit: ſed natura dedit ſermonem homini ſoli inter animalia, ut poſſint homines ſuos conceptus ſibi inuicem ſignificare: quare ſequitur, naturam feciſſe hominem animal ſociabile. &, quia potuiſſet quis obijcere, bruta eadem ratione eſſe animalia ſociabilia, quia, licet non habeant ſermonem, habent tamen uocem, qua poſſunt multa ſibi inuicem ſignificare, ſubiungit: *Vox autem moleſti, atque iucundi ſignum eſt; quapropter alijs quoque ineſt animalibus. hucuſque enim natura in ijs proceſſit, ut ſenſum habeant moleſti & iucundi, & hæc inter ſe ſignificare poſſint: at ſermo ad hoc datus eſt nobis, ut ſignificemus utilitatem, & damnum, quare &*

2. Poſter. cap. ulti.

ro & iuſtum, & iniuſtum; hoc enim præter cetera animalia hominibus proprium eſt, ut boni, & mali, iuſti, & iniuſti, & aliorum huiuſmodi ſenſum habeant ſoli.

Cum uero addit Themiſtius, diſcipulos non poſſe doceri, neque Præceptorem poſſe ipſos docere, niſi eundem numero habeant intellectum; hæc quoque conſequentia neganda eſt; quia ſatis eſt, ut aliquam potentiam communem habeant: immo, ſi ualeret hæc conſequentia, ſequeretur, homines docentes alios aliquam ſenſitiuam, & particularem notitiam, & diſciplinantes bruta, habere eundem numero ſenſum. Quare hæc poſteriora argumenta facile diſſolui poſſunt, retenta etiam doctrina Ariſtotelis, cum priora illa diſſolui nequeant, niſi Ariſtotelicæ doctrinæ, & fortaſſe philoſophiæ naturalis limites, ſaltem aliqua ex parte, egrediamur: ſi philoſophiam naturalem eam tantum ſcientiam appellamus, quæ ſenſu, & ratione ſenſibus innixa comparatur, adeo, ut Beſſarion Cardinalis, uir doctiſſimus, in 3. lib. contra calumniatorem Platonis dixerit, alterum ex ſententia Ariſtotelis aſſerere oportere, aut intellectum cum Alexandro generabilem, & corruptibilem, aut immortalem, & æternum, & illum quidem in omnibus hominibus cũ Theophraſto, Themiſtio, & Auerroe: fieri enim non poſſe, ſubiungit ipſe, ut a parte poſt intellectus ſit æternus, & aliquando inceperit, propterea quod Ariſtoteles Platonem reprehendit, quod mundum principium habuiſſe, finem uero numquam habiturum dixerit, eo tamen principio nixus, quod, quicquid immortale eſt, & perpetuũ a parte poſt, idem quoque a parte ante perpetuum eſt. quod ſi intellectus concedatur eſſe æternus undique, ſequitur neceſſario, ait ipſe, ut ſit unicus, aliter intellectus infinito tempore corporibus ipſis præexſtitiſſent, & illi quidem infiniti propter mundi æternitatem: uel in corpora diuerſa ſecundum Pythagoram tranſmigraſſent: quæ omnia doctrinæ Ariſtotelis maxime repugnant.

Sed, cum, ut ante demonſtrauimus, ſententia Alexandri de mortalitate intellectus, tam aliena ſit, non ſolum a ueri-

tate, & a natura animæ intellectiuæ; ſed etiam a ſententia Ariſtotelis, quam quoduis alieniſſimum, ſequitur potius, ſententiam Theophraſti ipſi Ariſtoteli iuxta ſuam doctrinam, & ſua principia, non ſecundum ueritatem loquenti eſſe conſentaneam; aut ſaltem ab ipſo minus alienam.

Præterea addit Beſſarion: qui dicunt, intellectus eſſe multiplicatos, dicunt etiam, intellectum eſſe formam corporis, & ſimul cum corpore productum, licet non eductum ex eius potentia. quæ omnia, ſubiungit ipſe, aduerſantur Ariſtoteli; tum, quia forma, quæ incipit eſſe cum materia, cum eadē quoque definit eſſe, ex Ariſtotele 7. Metaphyſ. tum, quia illa intellectus productio non eſt aliud, quam creatio, a qua ſemper abhorruit Ariſtoteles: &, ideo ſubiungit ipſe, fidei, & religionis noſtræ hæc ſunt peculiaria bona; ut animæ infundantur corporibus a Deo creatore, & incipiant quidem cum ipſis corporibus, ſed non ex uirtute ſeminis genitalis, uerum a Deo infundente. Ariſtotelis uero ſententia longe ab his noſtris, inquit, recedit: tandemq; aſſerit, eos, qui unicum intellectum ex ſententia Ariſtotelis ſtatuunt, nondum rationibus phyſicis conuinci potuiſſe. quod an uerum ſit, ſtatim uidebimus: mihi certe maximis uidentur urgeri incommodis, & illis quidem inexplicabilibus. neque id mirū: quia, cum ſententia, uel potius figmentum de unitate falsū ſit, neceſſe eſt, ipſum, quod etiam ante dicebamus, habere ortum ex aliquo principio falſo; dum falſum non niſi ex falſis ſequatur. neceſſe eſt præterea, hoc commentum non ſolum ueritati repugnare, ſed nec poſſe etiā ſub intelligentiā cadere, neque a nobis omnino intelligi: quandoquidem falſum, cum ſit non ens, non poteſt intelligi: quare facilius mihi uidetur, intelligere, & probare multitudinem intellectuum cū eorundem immortalitate, quàm hoc de unitate figmētum. non tamen profiteor me ſecundum Ariſtotelem poſſe multitudinem tueri, & ea, quæ ipſam multitudinem conſequuntur, ſic, ut Ariſtoteles ſibi ſemper, & ubique cōſentiat, quod etiam non profitebatur ſe præſtare poſſe B. Thomas, ut colligitur ex eius ſententia a nobis ſuperius citata ex 1. q. 7. ar.

1, neque etiam profiteor idem præſtare poſſe ſecundum phi loſophiam naturalem, ſi philoſophiam naturalem pro ſcientia accipiamus, cuius inſtrumenta ſunt ſenſus, & ratio ſenſibus innixa; ſed pro tuenda immortalitate, licet ſufficiat philoſophia naturalis, ad tuendam tamen ipſam cum multitudine coniunctam, & cum alijs ad alium ſtatum & originem animæ pertinentibus ſola ipſa non uidetur ſufficere: ſed neceſſe eſt, ad ſuperiorem doctrinam, & illam quidem non humanam, ſed diuinam, & a Deo nobis traditam confugere, & inde, præter cetera, tamquam huius diſputationis fundamẽta, & capita præcipua, accipere nouam creationem, aliũ ſtatũ animæ ſeparatæ a corpore, eamq; in eo ſtatu habere operationem propriam, ſic, ut ſeparata a corpore intelligat ſine phantaſia; quæ naturalem Ariſtotelis cognitionem excedebant; &, ut recte dicebat Beſſarion, religionis noſtræ, & Theologiæ Chriſtianæ ſaltẽ omnia ſimul ſunt propria bona, quæ cum immenſam, & præcipuam quandam Dei erga nos beneficientiam oſtendant, admonent nos, quod etiam ante dicebamus, & iuuat quam ſæpiſſime repetere, ut ipſi immortali immortales gratias agamus, quod earum rerum notitiam, quæ intelligentiæ a ſenſibus profectæ uim effugiebant, quãque admirabili uir ingenio, & doctrina incomparabili præditus Ariſtoteles attingere non potuit, ipſe nobis ſua benignitate impertiuerit: hac enim notitia præſuppoſita, rationes illas, quæ ad hoc de unitate figmentum uidentur quandoque potuiſſe Ariſtotelẽ ipſum tacite impellere, ſicut pleroſq; eius ſectatores manifeſte impulerunt, facile diſſoluemus, ſicut ante diſſoluimus.

Caput VII.

SEd, quoniam Beſſarion dicebat, eos, qui unitatem intellectus poſuerunt, nondum phyſicis rationibus conuinci potuiſſe, iam, quod ad ſecundam huius diſputationis partẽ pertinet, uideamus, utrum res ita ſe habeat, & utrum doctrina Ariſtotelis ſibi in hac re conſentiat?

Multa igitur,& illa quidem explicatu difficilia, immo inexplicabilia,contra unitatem afferuntur argumenta. & , ut incipiamus ab illis, quæ ſumuntur a uerbis ipſius Ariſtotelis, Primum ſumitur ex 3. Metaphyſ. tex.13. ſecundum Auerroem,& 47. ſecundum Alexandrum, ubi quærit Ariſtoteles,utrum ſit una ſubſtantia,& una forma omnium contentorum ſub eadem ſpecie, ut hominum: & argumentatur, quod non,quia ea ſunt numero unum, quorum una & eadẽ numero eſt ſubſtantia: quare, ſi una numero eſſet ſubſtantia,&forma omnium hominum,omnes homines eſſent unus homo: quod abſurdiſſimum eſt. Ad hoc argumentum reſpondebat Alexander Achillinus, & Achillinum præceptorem ſuũ ſecutus Ludouicus Buccaferreus, præceptor meus, rationem illam dialecticam eſſe, quia in toto fere illo libro proponit Ariſtoteles problemata, & in utramq. partem arguit: uel,inquiunt,ſi quidquam concludit illa ratio,de forma materiali accipienda eſt, non de immateriali, qualis eſt anima intellectiua.

Primam reſponſionem, quam pleriq. alij probant, & ego quandoque probaui: quandoquidem & S. Thomas,qui Auerroem in hac re acerrime impugnauit,tantum abeſt,ut aliquid eo loco contra Auerroem colligat, ut etiam dicat, in expoſitione illius loci, quod, cum obieciſſet Ariſtoteles ad unam partem quæſtionis,ad oſtendendum,ſcilicet,quod nõ eſt una forma omnium exiſtentium in una ſpecie, non obijcit in contrarium,quia rationes illæ, quæ in ſequenti quæſtione proponuntur, pro altera parte faciunt: ſequens autẽ quæſtio eſt,utrum principia rerum ſint eadem numero, uel eadem ſpecie,& numero diuerſa. quod etiam uidetur poſſe colligi ex Alexandro, qui, cum adduxiſſet illam rationem, qua ſibi uidebatur Ariſtoteles uti ad probandum,quod non ſit una forma, ſubiungit, *tot autem eſſe, quot ſinguli homines, nulla ex parte probari poteſt, nam formæ illæ humanæ ſumptæ ſine materia, quo diſcrimine inter ſe diſtabunt? ſingulorum enim hominum inter ſe differentiæ materiales ſunt.* Idem fortaſſe colligeret aliquis ex Ariſtotele,cuius hæc ſunt uerba: *Ad hæc, utrum una ſit omnium*

ſubſtantia, ut puta hominum, ſed abſurdum eſt, non enim unum eſſent omnia, quorum eſt ſubſtantia una, ſed multa, ac diuerſa: ſed & hoc inconueniens eſt. Si ergo hoc inconueniens eſt, quod non ſit una forma, & ad eam poſitionem ſequuntur incommoda, uidetur ſequi; Ariſtotelem ibi non aſſerentis, ſed dubitantis perſonam agere.

Sed, ſi uim & pondus rationis Ariſtotelicæ perpẽdamus, facile cognoſcemus, eam potius eſſe demonſtratiuam, quam dialecticam, & propoſitionem illam, quam accepit Ariſtoteles, ea eſſe unum, quorum ſubſtantia eſt una, ueram eſſe, & neceſſariam: etenim, quæ habent unam formam genericã, ſunt unum genere; quæ unam formam ſpecificam, neceſſe eſt, ut ſint unum in ſpecie: quæ uero habent unam numero formam, neceſſarium etiam eſt, ut ſint unum numero. quod poſtremum, maxime cognoſcemus eſſe uerum, ſi opinionem illam Ariſtotelis magis probatam retineamus, nempe, indiuidua eſſe talia per propriam formam: nam, licet materia ſit cauſſa multitudinis, quod ſcilicet multa ſint indiuidua in una ſpecie, forma tamen eſt cauſſa diſtinctionis, quod ſcilicet unum indiuiduum differat ab alio. ſi enim indiuidua eſſent talia per ſola accidentia, ſequeretur, indiuidua quatenus talia non reperiri in prædicamento ſubſtantiæ, quia nullum haberent principium ſubſtantiale, ratione cuius eſſent ſubſtantiæ primæ. adde, quod Ariſtoteles 7. Metaphyſ. tex. 38. ubi non dialectice, ſed demonſtratiue loquitur, eandem accipit propoſitionem, dicens, *quorum enim ſubſtantia, atque quiditas unum, & ipſa unum eſſe uidentur*; & in tex. 45. eiuſdem libri dicit, *quorum eſt ſubſtantia numero una, ea ſunt numero unum.* Quare his rationibus ego perſuaſus adducor, ut reſponſionem, quam alias probaui, nunc non probem. iuxta partit. Auerr. tex. 45. & 57.

Secundam etiam reſponſionem non poſſum probare tamquam uoluntariam: etenim, cum a forma propria, qualiſcumque illa ſit, res habeat eſſentiam, & unitatem; cur potius dicemus, illa, quæ habent unam formam materialem, eſſe unũ numero, quam illa, quæ habent unam formam immaterialẽ, ſi illa ſit forma propria illorum, & det eſſe illis, quatenus ta-

lia ſunt: quod ſi non ſequatur, ea, quæ habent unam formã immateriale, eſſe unum numero, hoc ideo erit, quod forma illa immaterialis non erit propria ipſorum, quatenus talia ſunt, ſed præter illam habebunt aliam formam particularẽ, & illam quidem materialem, ratione cuius erunt talia. Et ideo mihi potius uidetur dicendum, rationem Ariſtotelis accipiẽdam eſſe de forma propria, ſiue ultima, & indiuiduali; cuiuſmodi ſentit Ariſtoteles, falſo tamen, non eſſe animã intellectiuam ratione ſingularium hominum, cum indiuidua hominis ex eiuſdem ſententia non ſint talia per animã intellectiuam, ſed per propriam phãtaſiam. quare dicimus, uerum eſſe, quod dicit Ariſtoteles, ſubſtantiam unius unam eſſe, & ea, quorum eſt ſubſtantia una, eſſe unum numero, neque tamen iccirco ſequi, Socratem, & Platonem, & omnino omnes homines eſſe unum numero, licet, ex ſententia Ariſtotelis, habeant unam numero formam, quia illa, ex eiuſdẽ ſententia, eſt forma ſpecifica, non numeralis, & ideo dat eſſe ſpecificum, non numerale: diceret ipſe, dat etiam unitatem ſpecificam, non numeralem.

Hanc expoſitionem cõſentire uerbis Ariſtotelis, facile intelligemus, ſi uerba eiuſdem conſideremus. nam, propoſita quæſtione, utrum ſit una omnium ſubſtantia, ut puta hominum, reſpondet, abſurdum eſſe, unam eſſe omnium ſubſtantiam, quia ſequeretur, non eſſe unum, quorum ſubſtantia una eſt, ſed multa, ac differentia: cum multi ſint homines, ac differentes: at hoc inconueniens eſt, quod multa, ac differentia ſint, quorum ſubſtantia eſt una: iteque uidemus, Ariſtotelem ſemper reputare abſurdum, illa non eſſe unum, quorum ſubſtantia eſt una. quod maxime cognoſcemus, ſi conſideremus rationem eius, quæ redacta ad Syllogiſmum categoricum erit huiuſmodi: ea ſunt numero unum, quorũ eſt ſubſtantia una: ſed omnes homines non ſunt unus homo: ergo ipſorum non eſt una ſubſtantia, neque una forma, ſcilicet ultima, & numeralis. Vel ſic colligi poteſt ratio. Ea, quæ ſunt plura, & differentia, plures, & differentes formas habent: ſed homines ſunt plures: plures ergo, & differen-

res habent formas, ſcilicet ultimas. Sic igitur uidetur ſoluenda dubitatio propoſita, niſi dicatur, illum locum pertinere ad Ideas. Vtcumque tamen res ſe habeat, ex illo loco, & alijs citatis, poteſt inferri argumentum contra unitatem: quod tamen eadem ſolutione ſoluetur, præſuppoſita tamen falſitate illa, quod anima intellectiua non ſit forma niſi ſpecifica.

Caput VIII.

SEcundum argumentum contra unitatem ſumitur ex uerbis eiuſdem Ariſtotelis 2. Metaphyſ. tex. 45. ubi dicit, *quoniam autem ipſum unum perinde, atque id, quod eſt dicitur, ſubſtantiaq; unius eſt una, & quorum eſt ſubſtantia numero una, ea ſunt numero unum; patet, neque ipſum unum, neque ipſum ens rerum ſubſtantiam eſſe poſſe.* Ex quibus uerbis ſequitur, Socratem, & Platonem eſſe unum numero, ſi unam numero formam habeant: ſed nõ ſunt unum numero: ergò non habent unam numero formã. Ad hoc argumentũ uidetur reſpõdere Auerroes, quod, licet intellectus humanus ſit unus numero, multiplicatur tamen multiplicatione indiuiduorũ, ſicut lumẽ eſt unum, multiplicatur tamen multiplicatione eius, cui extenditur: ſic intellectus, ut communis, non eſt pars Socratis, neque ſubſtantia eius: ſi tamen conſideretur ut eſt in hoc corpore, ſic eſt proprius huius corporis, & non aduenit alteri. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit uerbis Ariſtotelis, neque tuetur rationem Ariſtotelis: immo ratio illa ruet, quia dicit, ens, & unum, ut eſt in hoc, & illo, eſſe ſubſtantiã eius: quod tamẽ falſum eſt.

tex. 57. ex Auerr.

Quare reſponderem ego ad hoc argumentum, ſicut ad præmiſſum ſuperius reſpondebam, nempe, ſubſtantiam, ſiue formam propriam unius eſſe unam, & ea eſſe unum numero, quæ habent unam, & eandem numero formam: at intellectus, ut antea dicebamus, ex ſententia Ariſtotelis, falſa tamen, non eſt forma numeralis hominũ, ſed ſpecifica, & ideo non eſt forma propria Socratis, & Platonis, quatenus tales ſunt, ſed quatenus homines. quod ſi intellectus eſſet forma

propria ſingularium hominum; ſi unicus eſſet intellectus, ſe queretur, omnes homines eſſe unum hominem. Sed dices, per iſtam tuam expoſitionem, & reſponſionem propoſitum non probabit Ariſtoteles, ſed probabit tantum, ens, & unum non eſſe ſubſtantiam alicuius propriam & indiuidualem: nõ tamen iccirco probabit, quin ſit forma generica, uel ſpecifica, & quin det eſſe ſpecificum, uel genericum, quod ipſi propoſitum erat demonſtrare: reſpondeo, Ariſtotelem maxime demonſtraſſe propoſitum, quia forma, quæ dat eſſe indiuiduale, dat etiam eſſe ſpecificum, & genericum, cum in cõpoſito non ſint plures formæ eiuſdem generis: immo formę priores eiuſdem generis poteſtate contineantur in poſterioribus: & ideo, ſi probat Ariſtoteles, ens, & unum non eſſe formam indiuidualem alicuius, probat etiam, idipſum non eſſe formam genericam, & ſpecificam, cum forma indiuidualis, & communis non poſſint reponi, niſi in eodem genere.

Cum uero in eodem 7. libro tex. 38. dixit, ipſum unum pluribus in locis ſimul eſſe nõ poſſe, commune autem ſimul eſſe in multis locis, poſſet quis, iuxta ſolutionem prius datã, reſpondere, quod ſubſtantia unius, ut puta Socratis, uel Platonis, non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis, intellectum uero non eſſe ſubſtantiam unius, ſed plurium, & ideo illa uerba nõ negare, quin ſimul poſſit eſſe in pluribus: difficile tamen eſt, ne dicam impoſſibile, intelligere, quomodo una ſubſtãtia numero finitæ uirtutis, quod propter Deũ addo, poſſit ſimul eſſe in pluribus locis, ſiue in pluribus ſubiectis diſtinctis, diceret tamen defenſores unitatis, omnes homines, ſiue corpus humanum, ut tale eſt, eſſe locum, ſeu potius ſubiectum proprium intellectus humani, eo modo, quo formæ immateriali conuenit habere locum, ſeu potius ſubiectum: quare ipſum, dum eſt in pluribus hominibus, eſſe in illis tãquam in proprio, & adæquato ſubiecto.

tex. 45. ex Auerr. diuiſ.

Aliter tamen poſſumus reſpondere, & interpretari illum locum, quemadmodum uidetur interpretandus, nempe, Ariſtotelem ibi loqui de Idæa unius, quæ ex ſententia Platonis eſt ſubſtantia per ſe exiſtens, ſicut aliæ Idææ, & dicere, illã

non poſſe eſſe ſimul in pluribus locis, quare illam non poſſe eſſe uniuerſale: & ideo ſubiungebat Ariſtoteles, patere nihil uniuerſalium ſeorſum præter ſingularia eſſe.

Sed dicet quis, hanc reſponſionem non tollere difficultatem, quã contra unitatem ingerũt uerba Ariſtotelis: quia, ſi nulla ſubſtãtia poteſt eſſe ſimul in pluribus locis, & ſi Idæa, cum ſit uniuerſalis, ſit in pluribus locis, & ideo nõ poſſit eſſe ſubſtantia, ſequetur, intellectum, ſi ſit unicus, & ſit in pluribus, non eſſe ſubſtantiam: reſponderet tamen aliquis, argumentum facere contra Idæam, ſed non ideo contra unitatem intellectus, quia Idæa, ex ſententia Platonis, eſt per ſe ſubſiſtens, & eſt aliquid completum, & perfectum in ſua ſpecie; at intellectus non eſt per ſe ſubſiſtẽs, & eſt pars ſpeciei; & ideo eſt in ſua ſpecie, & in ſubiectis, quæ ſunt ſubiecta ſuæ ſpeciei: &, quia, cum ſit æternus, in uno tantum non poteſt eſſe, ſequitur, ut ſit in pluribus, quæ per ſucceſſionem fiant æterna: ſed hæc reſponſio non uidetur auferre dubitationem, quomodo idem ſimul poſſit eſſe in pluribus locis, ſiue in pluribus ſubiectis loco diſtinctis.

Quod ſi præterea dicat aliquis; ſubſtantia eſt propria ei, cuius eſt ſubſtantia, quare, ſi intellectus eſt ſubſtantia Socratis, & Platonis, ſequitur, ipſum eſſe proprium utriuſque, quo fit, ut non poſſit eſſe unicus intellectus omnium hominum, ſed ſinguli homines ſuos proprios habeant intellectus: reſponderent tamen fautores unitatis, iuxta ea, quę dicta ſunt, intellectum eſſe ſubſtantiam non huius, uel illius hominis, ſed omnium ſimul, & ita proprium eſſe ei, cuius eſt ſubſtantia, ſcilicet ſpeciei humanæ: remanet tamẽ difficultas, quomodo poſſit eſſe ſubſtãtia pluriũ loco, & numero diuerſorũ.

Caput IX.

Tertium argumentum ſumitur ex uerbis Ariſtotelis 12. Metaphyſ. tex. 35. ex diuiſione Alexandri, ubi contẽdit Ariſtoteles probare nõ eſſe plures primos cælos, ſed unũ tantum cælum, quia nõ ſunt plures primi motores, ſed unus tex. 49. ex Auerr.

tantum. ratio uero illa uidetur habere uim, quia, ſi unica tantum eſt forma, unicum tantum erit corpus, ſiue compoſitum: quia uni formæ deſeruit unum corpus: quare ex eo loco contra unitatem colligitur hoc argumentum: non poſſunt eſſe plures intellectus: ergo neque plures homines. cõſequens eſt falſum: ergo & antecedens: conſequentia uero habet uim per illam eandem, qua ibi utitur Ariſtoteles, uidelicet non poſſunt eſſe plures motores primi, ergo neque plures primi cæli, quia, ſi plures eſſent cæli, principium cuiuſque erit ſpecie unum, numero autem plura. quare, cum plures ſint homines, ſequitur, principium cuiuſque eſſe unũ ſpecie, numero uero plura. ſed intellectus eſt principium hominis: ergo intellectus eſt unus ſpecie, numero autem plures. Hæc autem ſunt uerba Ariſtotelis: *Quod autem cælum ſit unum, manifeſtum eſt. nam, ſi plures eſſent cæli, aut homines, principium uniuſcuiuſque erit ſpecie unum, numero uero multa: ſed, quæ ſunt numero plura, ea materiam habent. una enim eſt ratio multorum, ut hominis: Socrates autem unus eſt: at quiditas prima materiei eſt expers; eſt enim actus.* Reſpondet Auerroes, magnam hic eſſe rationem diuerſitatis, quia cæli ſunt æterni, homines uero corruptibiles, & ideo conſequentiam ualere de primo motore, & primo cælo: de intellectu uero, & homine nequaquam. cum enim firmamentum ſit æternum, ſi multiplicetur firmamentum, multiplicabuntur etiam motores, quia duo inſtrumenta æterna æque primo non poſſunt conuenire eidem motori: ſed, cum homines ſint corruptibiles, iccirco animæ rationali debentur plura inſtrumenta; primum autem inſtrumentum ipſius eſt corpus humanum: ſed, quia illud non poteſt conſeruari ſemper in uno indiuiduo, neceſſe fuit ipſum multiplicari, ut continuata indiuiduorum ſucceſſione conſeruaretur. quod autem intellectus non poſſit multiplicari, probauit Ariſtoteles, inquit Auerroes in tex. citato, quia ea, quæ ſunt numero plura, materiam habent.

Sed, quidquid ſit de hac reſponſione Auerrois, ſolutio ſuperius allata, ni fallor, uidetur in uia Ariſtotelis melius ſoluere argumentum hoc: quia, cum argumentatur contra unitatem,

tatem, non poſſunt eſſe plures intellectus; ergo neque plures homines: negabunt defenſores unitatis conſequẽtiam: cum uero probatur, quia, ſi plures ſint homines, principium cuiuſque erit ſpecie unum numero uero plura, concedent id quod ſequitur: &, ſi ſubiungas, ergo intellectus erit unus ſpecie, numero uero plures, negabunt conſequentiam, quia intellectus, dicunt ipſi, perperam tamen, non eſt principium ſingulorum hominum, neque ſingulis hominibus accommodatum, ſicut motor primus eſt principium proprium primi cæli, ita, ut det eſſe huic cælo: ſed intellectus, ſubiungent, qui impie cum Ariſtotele tuentur unitatem, non dat eſſe huic, uel illi homini: ſed tantũ homini quatenus eſt homo.

Hanc reſponſionem, & hanc diuerſitatis rationem uidentur indicare uerba Ariſtotelis, dicentis, principium cuiuſq. erit ſpecie unum, numero autem multa: ſed principia ſingularium ſunt ſingularia, uniuerſalium uero uniuerſalia, ut eſt apud eundem Ariſtotelem 2. de naturali auſcultatione tex. 38. & 12. Metaphyſ. 17. ex diuiſione Alexandri principiũ cuiuſque ſeu propter quod unumquodq. eſt principium illius proprium. quare cum per intellectum, ex ſententia, quæ uidetur eſſe Ariſtotelis, falſa tamen, Socrates non ſit Socrates, intellectus ex eiuſdem ſententia non dicitur eſſe proprium principium Socratis, aut Platonis, ſed hominis; at uero forma propria Socratis, & Platonis & ſingulorũ, illa quidem eſt una ſpecie, plures autem numero. hanc ſententiam optime expreſſit Argyropilus in ſua uerſione, dicens: principium enim, quod cuiq. accõmodatur, numero quidem unũ erit, ſpecie autem plura. hanc eandem reſponſionem conſentire Ariſtoteli, etiam ex ui rationis, qua ibidem ipſe utitur, facile poſſumus intelligere, quia argumentatur Ariſtoteles, principium cæli, ſcilicet formale, eſt unum: ergo unum cælum: at principium illud eſt forma huius cæli: &, quia forma illa eſt una, ergo cælum eſt unum: at intellectus ex ſententia ipſius, falſa tamen, ut diximus, (falſum enim exiſtimamus, quod alienum eſt a ueritate Chriſtiana) non eſt forma huius hominis, ſed unius ſpeciei humanæ: & ideo, ſi intelle-

ctus ex eiuſdem ſententia ſit unus, una eſt etiam tantum ſpecies humana: quia uero principia formalia indiuiduorum in ſpecie humana ſunt plura, ideo plures ſunt homines.

Eadem ſolutione ſoluitur & aliud argumentum ex eodé 12. libro deſumptum: quia ibi ex numero orbium inueſtigauit Ariſtoteles numerum intelligentiarum mouentium. ſed, ſi cum multitudine hominum ſtaret unitas intellectus, rueret illud fundamentum Ariſtotelis: quia, ſicut ex numero hominum non licet arguere numerum intellectuum; ita neque ex numero orbium licebit arguere numerum intelligentiarum.

Ad hoc, inquam, argumentum eandem ſolutionem afferret Ariſtoteles, nempe, tot eſſe mouentia, quot ſunt mobilia propria, & adæquata: ſed mobile proprium, & adæquatum intellectus eſſe corpus humanum in ſpecie, non hoc, aut illud. habet autem uim illa ratio Ariſtotelis, ex natura formæ propriæ, ſicut alia, qua probabat unitatem primi cæli, quia, quot ſunt mobilia, quæ mouentur motu naturali, totidem ſunt naturæ mouentes, quæ ſunt formæ ipſorum, & dant eſſe ipſis: nam, ſi tantum aſſiſterent, quid prohiberet plures intelligentias eidem orbi aſſiſtere?

Demum uerba Ariſtotelis primo de Anima tex. 24. contra Anaxagoram ſcripta, uidentur etiam facere contra unitatem intellectus. ibi enim dicit, *non uidetur iſte ſecundum prudentiam dictus intellectus omnibus ſimiliter animalibus ineſſe, ſed neque omnibus hominibus*. ſi ergo non eſt in omnibus hominibus, ſequitur, ut non ſit unus numero; quia, ſi eſſet unus numero, eſſet in omnibus hominibus. ad hoc argumentum, quidquid ſit de illa conſequentia, uidelicet, ſi eſſet unus numero, eſſet in ſingulis hominibus: reſpondeo, Ariſtotelem non negare, abſolute intellectum eſſe in omnibus hominibus, ſed negare id, quod affirmabat Anaxagoras, nempe, ipſum ſimiliter ineſſe omnibus animalibus, atque etiam omnibus hominibus. nam pro diuerſitate corporum, intellectus ſecundum prudẽtiam diuerſimode operatur in diuerſis corporibus, licet omnes homines habeant ipſum: diuerſimode, inquam, operatur

tur in diuerſis corporibus: quia diuerſi homines; diuerſas habent phantaſias, & ideo diuerſas temperaturas, quæ diuerſimode diſponunt intellectum: quare, licet intellectus in omnibus hominibus ſit eiuſdem perfectionis eſſentialis, in diuerſis tamen pro diuerſitate, præſertim phantaſiæ diuerſimode operatur, & in alijs quidem melius, in alijs uero deterius, in alijs quidem citius, in alijs uero ſerius. & ideo recte dixit Ariſtoteles, intellectum ſecundum prudentiam, quæ eſt recta ratio agibilium, & præſupponit affectus appetitus ſenſitiui ad mediocritatē reductos, ad hoc ut uirtutes morales, quarū moderatrix eſt prudentia, poſſint in homine generari, recte, inquam, dixit, natura uidetur ſimiliter ineſſe in omnibus hominibus, cum nō ſit ſimilis, & æqualis eius operatio in omnibus hominibus. ſic igitur iudicio meo fortaſſe reſpondere poſſet Ariſtoteles ad ea, quæ ex uerbis ipſius contra unitatem ſumuntur argumenta, ſic ipſe, uel qui unitatem aperte poſuerunt falſam iſtam concluſionem; ad quam putant ipſum interdum declinare, tuerentur; licet, ut dixi, ipſe apertis, & diſertis uerbis hanc unitatem numquā affirmauerit: ſicq. oſtenderent eius fautores, Ariſtotelem nihil ſuæ doctrinæ repugnans dixiſſe.

Caput X.

NVnc uideamus, quid ad mentem Ariſtotelis, & in eius uia impia tamen & falſa perſiſtentes, ſupponentes Ariſtotelis principia reſpondere poſſint ad rationes, quæ a S. Thomá, & ab alijs contra eandem unitatem afferuntur. etenim S. Thomas multis in locis hoc de unitate commentum confutauit, & primum ſecundo contra gentes cap. 73. argumentatur in hunc modum; ſubſtantia intellectus utitur corpore humano ut forma: ergo non eſt unus intellectus omnium. probatur conſequentia: quia proprius actus fit in propria materia. ad hoc argumentum reſpondent pleriqueſ, intellectum uniri corpori tamquam formam aſſiſtentem: ſed reſponſio ſupponit falſum, atque etiam alienum a ſententia

Ariſtote-

Ariſtotelis, ut infra oſtendemus in quæſtione propria, qua quæretur, utrumne intellectus ſit forma aſſiſtens tantum, an uero informans corpus humanum: non tollit etiam dubitationem: quia forma etiam aſſiſtens, ſi detur, aſſiſtit propriæ materiæ: quare concedens Ariſtoteles intellectum uniri corpori, & formam dantem eſſe, quemadmodum, & ſecundum ueritatem, & ſecundum eius doctrinam concedendum eſt: negaret conſequentiam: &, cum dicitur, proprius actus ſit in propria materia; diceret, corpus Socratis, uel Platonis, ut tale eſt, nõ eſſe propriam materiam intellectus, ſed ut humanum eſt; & ideo, licet Socrates ſit diuerſus a Platone, nõ tamen neceſſarium eſſe, diuerſos eſſe intellectus; ſed neceſſarium eſſe, ipſum intellectum, cum ſit forma propria ſpeciei humanæ, habere materiam diuerſam a materia aliarum formarum. ſic, inquam, ut ſibi conſtaret iudicio meo reſponderet Ariſtoteles.

Secundo argumentatur idem B. Thomas: quam proportionem habet anima hominis ad corpus humanum, eandẽ habebit anima huius hominis ad corpus eius: quare fieri non poteſt, ut anima huius hominis ingrediatur corpus alterius: Ariſtoteles concederet, concederent & illi, qui impie cum Ariſtotele tuentur unitatem, totum id quod ſequitur; & dicerent etiam, animam huius hominis, ut talis eſt, non ingredi corpus alterius, ſed animam, quæ erat in hoc, uel illo homine: quatenus erant tales homines; informare aliud corpus humanum; ſicq. omnino negarent aſſumptum illud B. Thomæ, ſecundum ueritatem non negandum, quod uidelicet, quam proportionem habet anima hominis ad corpus humanum, eandem habet anima Socratis ad corpus Platonis, quia Socrates, & Plato, ex ſententia Ariſtotelis, habent diuerſam phantaſiam, ut infra magis explicabitur ex ſentẽtia Ariſtotelis, cum de numero animarum, quæ ſunt in homine, diſputabimus.

Tertio argumentatur idem S. Thomas in hunc modum: ab eodem habet aliquid eſſe, & unitatem: ſed unumquodq. habet eſſe per ſuam formam: quare, & unitatem: at intelle-

ctus

ctus eſt forma hominis, ſicq. dat eſſentiam ipſi homini, quare & unitatem: & ideo non poteſt eſſe unus intellectus plurium hominum. Ad hoc quoque argumentum reſponderet Ariſtoteles, falſo tamen, quod, quam eſſentiam habet aliquid ab alio, eandem habet unitatem: adderet quoque, indiuidua ſpeciei humanæ habere ab intellectu eſſentiam dũtaxat ſpecificam, non indiuidualem, quare ab ipſo haberẽ unitatem dumtaxat ſpecificam, non numeralem: ad quam tamen eſſentiam, & unitatem ſpecificam conſtituendam ſolus ipſe intellectus non ſufficit, ex ſententia Ariſtotelis, ſed concurrit etiam phantaſia rationalis, ſiue deliberatiua, propria hominis, quæ dat eſſe numerale huic, & illi homini. Ad obiectionem uero S. Thomæ, dicentis, data hac reſponſione, ſequi non eſſe plures homines in ſpecie humana, ſed plura animalia, negaret Ariſtoteles, male tamen, conſequentiã, quia illa phãtaſia, per quam ſunt tales homines, eſt propria huius, & illius hominis; & phantaſia hominis, ut ante attigimus, differt ſpecie a phantaſia brutorum, ita, ut homo, nõ ſolum per intellectum differat ſpecie a brutis, ſed etiam per propriam phantaſiam conuenientem ſpeciei humanæ, per quam ſingulares homines non ſolum habent, ut ſint tales, ſed etiam aliqua ex parte habent, ut ſint homines, non tamen ita habent eſſe per phantaſiam, ſicut per intellectum: quia intellectus, diceret Ariſtoteles, dat homini eſſe perfectum, & omnibus numeris abſolutum: phantaſia uero, quæ comparata ad intellectum habet rationem materiæ, dat eſſe imperfectum & inchoatum: etenim ex ſententia Ariſtotelis, falſa tamen, ut infra magis explicabimus, eſſe hominis requirit duas formas: ſed altera ueluti inchoat, & diſponit; altera uero perficit, & extremam manum (ut ita dixerim) imponit ſpeciei humanæ. quare, tametſi homo non haberet intellectum, differret tamen ſpecie a brutis per propriã ſenſitiuam, ſiue per propriam phantaſiam, ſicut bruta inter ſe differunt ſpecie.

Caput XI.

SEquitur argumentum difficile: ſi unicus ſit intellectus in omnibus hominibus, ſequitur, ipſum moueri: quare indiuiſibile mouebitur. probatur conſequentia, quia, mortuo Socrate, anima, quæ erat in ipſo, non eſt amplius in eo, ſed in alio: quare neceſſe erit, ipſam ab eo, in quo erat ad eũ, in quo non erat, motam fuiſſe. Præterea, cum generatur aliquis, ſi anima intellectiua extrinſecus ipſi accedat; nonne mouebitur. cum enim ſit, ubi prius non erat, ſequitur omnino, ipſam fuiſſe motam.

Hoc argumento, quod difficile admodum uidetur, urgemur etiam nos, qui ponimus multiplicationem. licet enim euadamus difficultatem, quæ ſumitur a generatione hominis, quia dicimus animam per creationẽ, quæ neque eſt motus, neque mutatio, adeſſe homini, qui generatur, eiq; a Deo infundi, tamen, quando in morte recedit ab illo homine ad alium ſtatum extra corpus, tunc etiam uidetur ſequi, ipſam moueri, & multo magis, quam ſi ad alios homines ſecederet, uel in ipſis maneret.

Præterea, in eodem homine eodem urgemur incommodo, quo in diuerſis hominibus urgentur omnes, qui unitatẽ tueri ſtudent. etenim, cum anima intellectiua ſit tota in toto corpore, exempli cauſſa Socratis, & ſit tota in qualibet parte ipſius abſciſſa, & ſeparata una parte a toto, quid fiet de tota illa anima, quæ erat in illa parte, ut puta in digito. cum enim illa ſeruetur incolumis, neque in ſeparatione corrumpatur, quia incorruptibilis eſt, neceſſe eſt, eam coniungi, ne remaneat ſeparata a corpore humano, neceſſe eſt, inquam, illam coniungi cum tota illa anima, quæ remanſit in toto corpore: quare, cum prius eſſet in digito, & poſtea non ſit in eo, ſed in reliquo corpore, uidetur ſequi, ipſam fuiſſe motam.

Præterea, ſi augeatur corpus noſtrum ſic, ut ſanguis trãſmutetur in nouam carnem, nõne anima rationalis accedet, uel ingredietur ad eam carnem, in qua prius non erat, & ma-

xime cum auctio fiat ſecundum formam; quare ſequetur, ip ſam moueri: non enim dicendum eſt, animam ingredi illam carnem per motum corporis. etenim illa caro ſtat, & non mouetur. quo modo ergo nos, qui ponimus unam tantum animam in homine, nempe rationalem, potentia continentem omnes alias, & illam quidem pro numero hominũ multiplicatam, dicimus eam aduenire carni recenter genitæ. eodem modo dicet Ariſtoteles, Socrati, uel Platoni nuper genito aduenire animam intellectiuam: &, ſicut abſciſſa aliqua parte corporis, ut puta digito, uel manu, in quarũ utraque erat tota anima, diximus illam animam remanere in reliquo corpore, uel accedere ad alia membra, quæ remanent, ſine tamen motu; eodem modo dicent, qui impie unitatem tuentur, totam animam, moriente uno homine, remanere in alijs, &, naſcente uno, totam ei adeſſe. Quomodo ergo nos, qui multitudinem animarum aſſerimus, effugiemus has difficultates, eodem modo effugient, qui tuentur unitatem; & dicent, quod, licet anima, quæ nunc eſt in Socrate, poſtea deſinat eſſe in eo, &, cum non eſſet in Platone, poſtea incipiat eſſe, non tamen mouetur ſecundum locum, immo adeſt, & abeſt ab illis indiuiduis ſine ulla ſui mutatione: &, cum dicitur, anima illa eſt, ubi prius non eſt, ergo ſecundum locum mutata fuit: negabit Ariſtoteles hanc conſequentiam, quia illud dicitur moueri ſecundum locum, quod ſui mutatione transfertur ſiue per ſe, ſiue ſecundum accidens ex alio in alium locum: ſed in anima rationali nulla fit mutatio: quare ipſa non mouetur, ſed mouetur corpus, illudq. motu alterationis mouetur, ſicq. diſponitur ad animam rationalem recipiendam. qua diſpoſitione facta in corpore, anima rationalis, quæ prius nõ informabat ipſum ſine ulla ſua mutatione, incipit informare; &, quando per alterationem corpus amittit eandem diſpoſitionem requiſitam ad receptionem, & conſeruationem animæ intellectiuæ, ſimul & phantaſiæ humanæ, tunc deſinit ipſum informare. ſicut ergo dicemus nos, & dicent noſtri Theologi, genita noua carne animam non moueri ad illam, ſicut non mouetur ad corpus pro

ipſa diſpoſitum, quia ſine ulla ſui mutatione incipit informare; cum prius non informaret: anima ergo intellectiua non mouetur neque per ſe, neque per accidens, quia non eſt capax motus, quod demõſtrat ratio prima ducta ab eius immutabilitate, qua demonſtrat Ariſtoteles in 3. de Anima tex. 6. loco ſuperius citato, ipſam non eſſe mixtam cum corpore, hoc eſt, non eſſe, ut oſtendebamus, materialē: &, quia ea, quæ ſunt ſeparata a materia, ſunt etiam ſeparata a motu, cum ipſa ſit ſeparata a materia, neceſſario ſequitur, ut ſit ſeparata a motu. neque obſtat propoſitio celebris, & uulgata 2. Topic. ſcripta: uidelicet: motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis. nam uera tantum eſt in eo ſenſu, quod, motis nobis, mouentur omnia, quæ ita ſunt in nobis, ut pendeant a nobis: ſed intellectus, licet ſit in nobis, & operetur in nobis, non tamen pendet a nobis, quia non educitur e potentia materiæ, ſed extrinſecus accedit: itaque de ipſo dicendum eſt, ſicut de intelligentijs dicimus. nam, licet illæ ſint in corporibus cæleſtibus, tamen, motis illis corporibus, non mouentur ipſæ, neque per ſe, neque ex accidenti, quia non pendent ab ipſis, ſed habent eſſentiam ſeparatam ab ipſis: &, cum ſint impartibiles, & indiuiſibiles, nullo modo poſſunt moueri: &, ſicut intelligentia Solis, quæ eſt tota in toto orbe Solari, & tota in qualibet parte eius, ut tenuit Ariſtoteles, modo eſt in Oriente, quando aſtrũ Solis eſt in Oriēte, modo in Occidente, quando idem aſtrum eſt in Occidente, & tamen ipſa non dicitur moueri ſecundum locum, ſed expers motus, modo eſt in Oriente, modo in Occidente: ita licet Socrates modo ſit in foro, modo in gymnaſio, anima tamen eius non mouetur, ſed expers motus eſt, ubi Socrates ipſe eſt. Quod ſi dicat quis, hanc ſimilitudinem non ualere, quia intelligentia Solis, uel alia intelligentia perficit ut forma, ſecundum Ariſtotelem, ſuum orbem, ſiue ſuum corpus, quod eſt continuum, quodq. numquam mutat locum, ſed mouetur ſemper in eodem loco; anima uero intellectiua perficit corpora, quæ non ſunt continua, ſed diſiuncta, & ſeparata loco, quæue ita mouentur, ut mutent locum: Reſponde-

ſpondetur, ex dictis non impediri hanc ſimilitudinē. nam, etſi corpus cæleſte non moueatur ex alio in alium locum, neque totum mutet locum, ſed ſemper ſit in eodem loco, mouetur tamen per partes, ut eſt apud Ariſtotelem 4. de naturali auſcult. tex. 45. quare, cum in ea parte, quæ modo eſt in Oriente, modo in Occidente, ſit ipſa intelligentia, quę eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ſui orbis, ut ſenſit Ariſtoteles, cum ipſa ſit expers materiæ, ſicq. indiuiſibilis, idem ſequitur, ſi partes mutent locum, quod ſequeretur, ſi totum mutaret locum: idem etiam ſequitur, ſiue corpus, cuius eſt forma, ponatur continuum, ſiue diuiſum: quia, quod intelligentia nō moueatur, neque per ſe, neque ex accidenti, hoc nō conuenit ratione continuitatis, aut diuiſionis corporis, ſiue ſui ſubiecti, ſed quia ipſa eſt impartibilis, & inextenſa, cū ſit ſeparata a materia, & ideo non eſt capax motus.

Cum uero dicitur, ſi intellectus ſit unus in omnibus hominibus, ſequetur, idem eſſe in extremis, & non in medio, quia idem intellectus erit in Socrate, & Platone, qui medio aere ſecreti ſunt, & non erit in aere intermedio: reſpondetur, nihil prohibere, quin idem ſit in extremis, & nō in medio, quando medium non eſt capax eius. hanc ſolutionem confirmaret Ariſtoteles, etiam per eos, qui ponunt intellectus multiplicatos, quia dicunt, animam intellectiuam eſſe in qualibet parte corporis, apta ad recipiendam, & conſeruandam ipſam: ſed inter partes corporis aliæ ſunt capaces eius, ut puta, quę ſunt participes ſenſus; alię uero incapaces, ueluti oſſa, ligamenta, & aliæ huiuſmodi partes, incapaces, non ſolum animæ intellectiuæ, ſed etiam ſenſitiuæ: quare in huiuſmodi partibus non erit anima intellectiua, cum tamen ſit in illis, quæ ſunt participes ſenſus: ſed, licet oſſa, & ligamenta ſint expertia animæ ſenſitiuæ, non tamen ita diſiuncta ſunt, & diuerſa a carne, & aliis partibus, quæ, cū ſint participes ſenſus, ſunt etiā participes animæ intellectiuæ, ſicut aer intermedius eſt diuiſus a Socrate, & Platone. & ideo ſolutio allata ad hoc poſtremum argumentum uidetur ſatis ipſum diſſoluere.

Caput

Caput XII.

ARgumentatur præterea contra unitatem, in hunc modum: ſi unicus tantum ſit intellectus in omnibus hominibus, dabitur reſurrectio etiam ex ſententia Ariſtotelis: quia, cum ſemper ſit eadem materia, ſi illa iterum eadẽ informetur, (quod omnino fiet, ſi unica tantũ ſit anima intellectiua) redibit idem numero cõpoſitum. Sed ad hoc argumentum facile reſpõderet Ariſtoteles, etiam ſecluſa unitate, quod, licet ſit eadem materia remota, & eadẽ forma ſpecifica, non tamen erit idem numero compoſitum, quia non reuertetur eadem phantaſia, per quam erat talis homo: uidelicet Socrates, uel Plato; neque eadem materia proxima reuertetur, ſcilicet eadẽ temperatura, ex qua ortum habet illa phantaſia: ſi uero in homine poneretur una tãtum anima, ſicut poſuerunt nonnulli, qui ſimul etiam poſuerũt unitatem intellectus, difficilior erit ſolutio argumenti, ſoluetur tamen, quia nõ reuertetur eadem materia proxima, ſcilicet eadem temperatura, quæ in diuerſis eſt diuerſa.

Cum uero arguitur: ſi intellectus noſter ſit unicus in omnibus hominibus, diſciplina, & ſcientia noſtra erit recordatio, quod tamen negauit Ariſtoteles: hanc obiectionẽ, quidquid alij dicãt, ſoluebat Ariſtoteles 3. de Anima tex. 20. ubi dixit, nos non reminiſci, quod hoc quidem impaſſibile eſt, id eſt, ſubſtantia animæ intellectiuæ eſt impaſsibilis, intellectus uero paſsiuus, ſic enim phantaſiam appellabat, corruptibilis eſt, & ſine ipſa nihil intelligit anima intellectiua. quod ſi dicas, idem eſt cognoſcens, eadem res cognita, quia res ſunt eaedem apud omnes, quare eadem erit cognitio; negabo, eſſe idem id, quod cognoſcit, quia ſolus intellectus nõ cognoſcit, ſed homo per intellectum, & phantaſiam ſubminiſtrantem ſibi ſpecies intelligibiles, dicente eodẽ Ariſtotele 3. de Anima tex. 32. intellectiuum intelligere ſpecies in phantaſmatibus: quare, cũ in diuerſis hominibus diuerſæ ſint phantaſiæ, cumque corrupto aliquo homine corrumpatur phantaſia eius, per quam conſeruabatur habitus ſcientiæ, ſequitur,

tur, moriente aliquo homine aboleri ſcientiam eius.

Arguitur præterea, quia, ſi intellectus eſſet unus numero omnibus hominibus, idem neceſſario ſemper intelligeret, & intellecta eſſent æterna. conſequentia probatur, quia idem eſt agens, & idem patiens: quare idem ab utroque proueniret effectus. ad hoc quoque reſpondere poteſt Ariſtoteles, negando conſequentiam: ad probationem uero, ut concedatur patiens eſſe idem, quod tamen non uidetur abſolute concedendum, quia intellectus non intelligit ſine phantaſia, negatur tamen eſſe idem, id, quod agit intellectionem, quia ad ipſam intellectionem, præter intellectum agentem, concurrit etiam actiue ipſum phantaſma, quod in diuerſis diuerſum eſt: neque etiam ſequitur, intellecta eſſe æterna, ſcilicet numero, quia ea, a quibus ſumuntur, non ſunt æterna, niſi ſpecie, per continuam ſucceſsionem indiuiduorum, loquendo tamen de his uniuerſalibus, quæ ſumuntur a ſingularibus corruptibilibus.

Cum uero præterea arguitur, ſi unus eſſet intellectus numero in omnibus hominibus, ego eſſem per eſſe tui, & tu per eſſe mei, negaret Ariſtoteles hanc conſequentiam, & ad probationem, cum dicitur illa eſſe eadem, quorum eſt ſubſtantia una, diceret illa eſſe eadem, quorum tota ſubſtantia eſt una, & illa eſſe eadem ſpecie, quorum ſubſtantia eſt eadem ſpecie, eadem uero numero, quorũ ſubſtantia eſt una numero, modo intellectus, licet ſit ſubſtantia omnium hominum, non tamen eſt tota ſubſtantia eorundem, ſed pars licet principalis, & potiſsima ſubſtantiæ humanæ, quandoquidem ad eſſe hominis, & huius hominis concurrit etiam phantaſia rationalis: adde etiam, ex ſententia Ariſtotelis, intellectum non eſſe ſubſtantiam hominum, niſi quatenus homines ſunt, non quatenus tales homines.

Cum etiam dicitur, ſequi ex hac unitate intellectus, hominem, non quatenus homo eſt, ſed tantum quatenus animal, eſſe mortalem, Ariſtoteles, concedens hanc cõſequentiam, negaret falſitatem cõſequentis, quippe, qui in extremo primi libri priorum Analyticorum, loco à nobis ſuperius

in quæſtione de immortalitate animæ citato, dicebat, hominem, quatenus ſenſibilis eſt eſſe corruptibilem, ut innueret, ipſum, neque ut rationalis, neque ut homo eſt cùm per intellectum principaliter ſit homo, eſſe corruptibilem. ſic igitur, negata falſitate conſequentis, reſponderet Ariſtoteles, reſponderet etiam negando conſequentiam, & diceret, falſo tamen, hominem eſſe hominem, nõ ſolum per intellectum, ſed per ſenſitiuam propriam, ſiue phantaſiam deliberatiuã, & illam quidem genetabilem, & corruptibilem; ſpecie tamen differentem a phantaſia brutorum. quod ſi dicas, homo eſt homo per intellectum: reſpondebit Ariſtoteles, hominem principaliter, & potiſsimum eſſe hominem per intellectum: ad eſſentiam tamen hominis, ſaltem ex parte, pertinere phantaſiam ipſius propriam, ratione cuius poteſt dici, ex parte generabilis & corruptibilis: ſed, ſi homo eſſet homo per ſolum intellectum, licet intellectus non intereat, interibit tamen homo, ut homo, dicebat Antonius Bernardus Mirandulanus, Præceptor meus, in libro 32. de euerſione ſingularis certaminis ſect. 2. quia homo, ut puta Socrates, dicitur interire, non ſolum, quia pars eius ſubſtantialis aliqua pereat, qualis, ex ſententia ipſius, eſt phantaſia humana; ſed etiam, quia partes eius, anima ſcilicet, & corpus, ſeiungẽtur ab inuicem. cum enim homo ſit cõpoſitus ex anima, & corpore, diſſoluta illa compoſitione, non remanet amplius homo; ſicut, diſſoluta compoſitione domus, non remanet amplius domus: ſed, ſi nulla forma corrumperetur, illa non uideretur corruptio ſubſtantialis. nam compoſitum, quod eſt ſubſtãtia, iccirco dicitur corrumpi, quia pars eius ſubſtantialis aliqua corrumpitur.

Et ideo hæc reſponſio nõ caret dubitatione, quia, ſi nulla forma corrumpatur, illa non uidetur corruptio ſubſtãtialis. nam compoſitum, quod eſt ſubſtantia, iccirco dicitur corrumpi, quia pars eius aliqua ſubſtantialis corrumpitur. neque exemplum ſumptum a domo uidetur confirmare propoſitum, quia in diſſolutione illa domus corrumpitur figura, quæ eſt accidens, hoc tamen argumentum, ſi quam uim habe-

haberet, contra immortalitatem, uideretur aliquid facere, faceret etiam potius contra multitudinem animarum, quas uidetur ponere Ariſtoteles in homine, quam contra unitatem intellectus: ſi tamen ſecundum ueritatem Catholicã, quæ docet, in homine unam tantum eſſe animam, & illam quidem immortalem, reſpondendum ſit, retinenda uidetur, & probanda reſponſio Præceptoris noſtri, adeo, ut dicatur, mortem hominis eſſe corruptionem ſubſtantialem, quia diſſoluitur, & deſinit eſſe compoſitum, quod eſt ſubſtantia. at uero, ſi præter animam intellectiuam ponatur in homine, iuxta falſum dogma, alia forma, nempe phantaſia propria, ſicut ante diximus, & infra etiã dicemus, ut uidetur poſuiſſe Ariſtoteles, nulla remanet dubitatio: eaq. poſita, non ſolũ ſoluuntur multa ſuperiora, ſed & alia, quæ contra unitatem afferuntur, argumenta. nam, cum dicitur, ſi unicus ſit intellectus in omnibus hominibus, ſequetur, omnes homines habere eaſdem cognitiones, & omnino eandem ſententiam: ſequetur præterea, uno intelligente, alium in eodem tempore illud idem intelligere; &, uno obliuiſcente, alium quoq. eiuſdem rei obliuiſci. hæc argumenta ex ſententia Ariſtotelis ſunt neganda, quia, licet poneretur unicus intellectus in omnibus hominibus, quod tamen uere non eſt ponendũ, non tamen ponenda eſt eadem phantaſia: &, quia in diuerſis hominibus diuerſæ ſunt phantaſiæ, ſicut diuerſæ ſunt tẽperaturæ, ſunt etiam diuerſa phantaſmata: quare & ſpecies intelligibiles, quæ ſunt in ipſis phantaſmatibus, ſunt diuerſæ. &, poſita hac diuerſitate, ruunt omnes illæ cõſequentiæ.

Caput XIII.

EOdem iacto fundamento, ſoluitur & aliud argumentũ, ſumptum ex Ariſtotele 4. Metaphyſ. tex. 9. ſecundum Auerroem, & 25. ſecundum Alexandrum, ubi redarguebat Ariſtoteles opinionem illam falſam, & ridiculam, attributã Heraclito, quod idem ſimul ſit, & non ſit. ibi enim uolens Ariſtoteles oſtendere, fieri non poſſe, ut quiſpiam exiſtimet

idem ſimul eſſe & non eſſe, ſeu contradictoria eſſe ſimul uera, argumentatur, contraria non poſſunt ſimul eidem ineſſe. ex eodem enim loco ducitur argumentum contra unitatē: uidelicet: ſi intellectus ſit unus, contraria eidem ſimul inerunt. probatur conſequentia, quia, ſi Socrates opinetur, Solem eſſe minorem terra, Plato uero non eſſe maiorem, & idem ſit intellectus utriuſque, ſequetur, opiniones contradictorias ſimul eſſe in eodem: ſed opiniones contradictoriorum ſunt contrariæ: quare contraria ſimul eidem inerunt. Ad hoc argumentum, concedendo, opiniones contradictoriorum eſſe contrarias, quod tamen alij negarunt; reſponderi poſſet, iuxta fundamentum falſum, ſuperius poſitū, quod, licet, ex ſententia eorum, qui impie tuentur unitatem, ponatur idem intellectus in Socrate, & Platone; & licet alter opinaretur Solem eſſe maiorem terra, alter uero ſecus, non ſequitur tamen, in eodem ſimul eſſe opiniones cōtradictorias, quia id, quod intelligit, uel quod cōcurrit ad intellectionē, in utroque eſt diuerſum. non enim ſolus intellectus, ut ante dictum eſt, per ſeipſum intelligit; ſed adiuuatur a potentijs ſenſitiuis, præſertim a phantaſia ſubminiſtrante ipſi ſua obiecta. quare, cum totum id, quod concurrit ad intellectionem, ſit diuerſum in diuerſis hominibus: ſequitur, opiniones contradictorias non eſſe omnino ſimul in eodem. idem quoque uidetur poſſe dici de alijs repugnantijs, quæ contra unitatem afferuntur. cum enim dicitur, poſita unitate intellectus, fore, ut idem ſit doctus, & ignorans; rudis, & perſpicax; acquirens ſcientiam, & amittens eam; felix, & miſer: reſponderent defenſores unitatis, hæc, quæ pugnant inuicē, non eſſe omnino in eodē, ſed in diuerſis, neque ratione eiuſdem, ſed diuerſorum. nam, licet ipſi ponerent eundem intellectum in omnibus hominibus, ponunt tamen cum Ariſtotele diuerſas phantaſias, quæ faciunt ad intellectionem. quare, cum ſolus intellectus non concurrat ad intellectionē, cum & ipſe, ex ſententia Ariſtotelis, non ſit tota eſſentia hominis, neque det eſſe niſi ſpecificum, neque etiam det illud ſimpliciter, ut ſupra attigimus, & infra magis explicabimus,
ideo

ideo tolluntur omnes illæ repugnātiæ, quæ poſſunt ingerere ſcrupulum cōtra unitatem.nam etiam poſitis diuerſis intellectibus in diuerſis hominibus, cum tamen illi ſint eiuſdem perfectionis eſſentialis,ſi ſoli ipſi ad intellectionē concurrerent, uideretur conſentaneum rationi,in omnibus eſſe eaſdē cognitiones. Sed,quia,ut diximus,phantaſia eſt tamquam liber intellectus, & in diuerſis diuerſæ ſunt phātaſiæ, quia diuerſæ ſunt temperaturæ, iccirco diuerſa ſunt phantaſmata, ſicq. obiecta intellectus, &, ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte diuerſa.

Caput XIV.

SEd, licet uideantur diſſolui poſſe argumenta cōtra unitatem allata, & licet poſſit Ariſtoteles conſtare ſibi in tuēda unitate,quam tamen, ut ante diximus, numquam diſertis uerbis affirmauit,argumentis tamen multis,ex eius aliis poſitionibus deſumptis, uidetur potius extorqueri, quā aperte ab ipſo concedi. imminent tamen ipſi, atque omnino omnibus,qui uelint hoc de unitate figmentum ſuſtinere, difficultates inexplicabiles.

Immo,quia, iacto illo fundamento, quod anima intellectiua ſit immortalis, & cognita hac ueritate, qui eam tueri nequeunt,& cum æternitate mundi,& aliis Ariſtotelis dogmatibus conciliare, ad unitatem,tamquam ad ſacrā anchoram,cōfugerunt,exiſtimamus nos,poſita immortalitate, ponendum eſſe multiplicem numerum intellectuum, & concedendum eſſe omnino alium ſtatum animæ,& aliā extra corpus eiuſdem actionem. nam,licet argumēta, quæ ſumuntur a diuina iuſtitia, uideantur potius probabilia,quam demonſtratiua,remanent tamen,ut ſtatim dicemus,inſoluta,atque omnino inſolubilia, immo, poſita ueritate fidei, ex cuius principiis propriis inferuntur,conuincunt: quare his etiam, præter cetera,urgetur incommodis hæc poſitio unitatis, & illis quidem inexplicabilibus, urgetur etiam & aliis, præter ſupradicta, quia,poſita unitate, ſequitur, uel ſaltē ſequi poteſt

teſt illud idem incōmodum, quo fortaſſe,præter alias rationes, coacti ſunt aliqui apertiſſimis uerbis ponere unitatem; & fortaſſe coactus fuit Ariſtoteles,ſi nō explicite,& aperte, ſaltem implicite,& latenter aliquando concedere: incōmodum uero illud eſt,quod,licet anima nullū,ut ipſe dixit,habeat opus propriū, poterit tamen manere ſeparata a corpore,atque æterno quidem tempore, ſicq. æterno tempore remaneret otioſa. conſequentia probatur, ſi fingamus caſum poſſibilē, quod aliquando uel peſte, uel aliqua poſſibili de cauſſa, quæ multæ fingi, & euenire poſſunt, deficiat ſpecies humana:quod licet fortaſſe non cōcederet Ariſtoteles,quia tamen caſus eſt poſſibilis,uidetur cōcedendus, & admittendus:poſito igitur hoc caſu,anima remanebit ſeparata a corpore,& æterno quidem tempore otioſa,cum ipſa ſit æterna. quod ſi negent,ipſam remanere ſeparatā, neceſſario cogentur confiteri,ipſam in illa ſeparatione corrumpi: unde aliud grauiſſimum,& impoſſibile incommodū ſequetur, quod ſcilicet immortale, & perpetuum corrumpatur, & aliquando deſinat eſſe:quare,ut hæc, & alia incommoda euitentur, neceſſe eſt, concedere,& cōfiteri, multiplicem numerum,& alium ſtatum animorum a corpore ſeparatorum. quæ ſi lumine tantum naturali illuſtratus Ariſtoteles cū immortalitate non coniunxit,non poſſumus nos non coniungere: ideo immortales gratiæ a nobis immortali Deo agendæ ſunt, & habendæ,qui hāc coniunctionem,aliis difficilem, nobis omnino facilem reddidit, quique tanto lumine naturali (ut ante dicebamus, & iuuat ſæpius repetere) illuſtrauit Ariſtotelē, ut ſuis clariſſimis uerbis, & efficaciſſimis rationibus, ex ui & natura animæ deſumptis, eiuſdē immortalitatem nobis demonſtrauerit. qua ueritate cognita,facillimum eſt, & alias, quæ ad ipſam pertinēt, immo facilius eſt ipſas, quam oppoſitas,probare,& confiteri: nos uero,hoc poſito fundamēto, quod anima ſit immortalis,poſſumus ſuperędificare ueritates pleriſq. incognitas, & ad ſalutem hominis maxime facientes, & argumentari in hunc modum.

Caput XV.

ANima noſtra intellectiua eſt immortalis: ergo pro numero hominum multiplicata: quia, ſi unica tãtum eſſet, non haberet alium ſtatum extra corpus: quare non conſequeretur naturalem beatitudinem, ad quam facta eſt. & ideo argumentum ſumptum a cauſſa finali, quæ quidem eſt beatitudo animæ, nón ſolum probat immortalitatem, ſed & alium ſtatum eius extra corpus, & conſequenter multiplicẽ eius numerũ, quia, ſi unica ſit in omnibus hominibus, ſicq. ſemper ſit in corpore humano, non conſequetur beatitudinem, quã ſuperius in quæſtione de immortalitate oſtenſum eſt ipſam non poſſe conſequi in hac uita. quare, ne fruſtretur naturalis eius appetitus, neceſſe eſt, ut conſequatur in alia uita.

Argumentum quoque ſumptũ a diuina iuſtitia, quod facit pro immortalitate, ut ſupra clariſſime, ni fallor, explicauimus, facit etiam contra unitatem, quia, ſi ſit unica anima intellectiua in omnibus hominibus, neque detur alius ſtatus eius extra corpus, multa mala remanebunt impunita, & multa bona irremunerata. quod diuinæ iuſtitiæ omnino aduerſatur, ut oſtenſum a nobis eſt contra mortalitatis aſſertores.

His igitur rationibus confutatum ſit iſtud figmẽtum unitatis, quod, præter alios Ariſtotelis locos, ipſi aduerſantes, quibus non poteſt omnino reſponderi, confutatur etiam ex uerbis ipſius 12. Metaphyſ. tex. 9. ſcriptis, ubi ponens differentiam inter cauſſam efficientem, & formalem, & dicẽs, efficientem antecedere ei, cuius eſt efficiens, formalẽ uero eſſe ſimul cum eo, cuius eſt forma, propoſuit quæſtionem, an forma aliqua ſit ſuperſtes ei, cuius eſt forma, & dixit, nihil prohibere formã aliquam, qualis eſt anima intellectiua, remanere poſt diſſolutionem compoſiti: cum igitur anima intellectiua ſit ſuperſtes ipſi compoſito, cumq. illud compoſitum nõ poſſit eſſe niſi corpus indiuidui hominis, ut puta Socratis, uel Platonis, nõ corpus humanum in ſpecie, quia idipſum non eſt corruptum, & ex ſententia Ariſtotelis perpetuum

tuum eſt,ſed corpus indiuidui; neceſſario ſequitur, formam illam,quæ remanet,eſſe formam Socratis,uel Platonis:quare ex numero hominum licebit arguere numerum intellectuum,adeo,ut ille locus etiam faciat pro multiplici animarum numero,contra unitatem: & ideo,ſicut ex eo loco colligitur, & probatur immortalitas animæ, ut in diſputatione de immortalitate copioſe diximus, colligitur etiã eiuſdem informatio, colligitur præterea multiplex eiuſdẽ numerus. nam,ſicut uero omnia concordant, ita a falſo omnia diſcordant. &, quia falſa eſt hæc poſitio unitatis, iccirco non eſt mirum, pleraque alia, & plerosq; alios Ariſtotelis locos ab ea diſcordare, neque poſſe Ariſtotelem, ſi eam ſuſtinere uelit,ſibi perpetuo conſtare. quare,qui dicunt,Ariſtotelẽ fuiſſe dubium de immortalitate, quam tamen diſertiſſimis uerbis pronunciauit,& efficaciſſimis rationibus demõſtrauit, ſi dixiſſent ipſum fuiſse dubium in iis,quæ pertinent ad alium ſtatum animæ, in iisq. dubiam,& ancipitem ſententiam habuiſse, multo magis audiendi, & probandi eſsent.

Et ideo non poſſum ego hac in re non probare ſententiã Auguſtini Sueſsani, Philoſophi celeberrimi,qui, licet plura congeſserit, quam digeſſit, unitatẽ tamen animæ acerrime, & maxima ſollertia impugnauit, qui ſententiam ſuam proferens de animæ immortalitate ex ſentẽtia Ariſtotelis, deq. aliis,quæ ad alium animæ ſtatum pertinẽt,dixit, quod, licet non ſit dubium apud Ariſtotelem, animam remanere ſeparatam a corpore, nihil tamen certi habuit Ariſtoteles de ſtatu ipſius poſt mortem, neque quomodo poſt mortem intelligat, an ſit in loco, uel non, quandoquidem hæc excedunt ſenſum humanum. quare de his ſecundum rationem phyſicam tractari non poteſt: cum phyſica argumentatio,inquit ipſe, procedat ex his,quæ neceſsaria ſunt,uel ut in pluribus, uel quæ ſaltem probabilia ſunt: quod poſtremum ego non probo,quia,ſi ex probabilibus tantum argumentaretur, dialecticum,non phyſicum,ageret: quandoquidem ille phyſicus appellandus eſt, qui rem phyſicam phyſice, hoc eſt ex ueris, & propriis phyſice tractat. quamobrem, ſubiungit

ipſe,

ipſe,cum neutro modo potuerit Ariſtoteles huic quæſito ſatisfacere,ipſum dimiſit: & ideo, ſi quis,addit ipſe, de Ariſtotele affirmauerit, ipſum tantummodo ſciuiſſe, animam eſſe immortalem, eius autem diſpoſitionem poſt mortem ignoraſſe; hic certe non errabit. Quibus poſtremis uerbis, quæ nullam patiuntur difficultatem, non poſſum ego non ſubſcribere; &,ſecutus iudicium grauiſſimorum, & doctiſſimorum uirorum,& præſertim Gaſparis Contareni,S. R. E. Cardinalis,non ſolum Cardinalicia dignitate, & Venetæ Nobilitatis,quæ maxima eſt, ſplendore clariſsimi, ſed etiam doctrina, & probitate Illuſtriſsimi. qui & ipſe recte, & ſapienter, ut audio,dicebat, Ariſtotelem de immortalitate animæ optime ſenſiſſe,ea uero,quæ ad alium eius ſtatum pertinent, quæ rationem humanam excedebant, non cognouiſſe: ſecutus,inquam,præſtantiſsimum hoc iudicium, non poſſum cũ ipſo, & cum Sueſſano,ſaltem aliqua ex parte, non conſentire; adeo,ut dicam, Ariſtotelem,licet cognouerit, & ſciuerit immortalitatem animæ noſtræ, non cognouiſſe tamen ſaltẽ firma cognitione ea,quę pertinent ad alium eius ſtatum;&, ſi ea cognouerit, crediditſſe tantum ſecundum religionem ſui temporis,quam ſi aliquando irriſit,hoc fecit, quoad ea, quæ fabuloſa erant,& Deo indigna,non quoad omnia. nã, quæ ad ciuilem ſocietatem, & conſeruationem Reipublicæ, & omnino quæ ad uirtutes poterant homines accendere, & inflammare,non ſolum non irriſit, ſed maxime probauit,&, ut ab alijs probarentur,enixe contendit: & ideo,cum uideret hanc unitatis animæ poſitionem, propterea quod tollit alium animæ ſtatum, homines a cultu Dei, a uirtute, & ab honeſtis actionibus abducere poſſe, numquam diſertis uerbis ipſam affirmauit,licet conſtantia doctrinæ ſuæ, cui unus omnium maxime ſtuduit,uideretur quandoque ipſum impellere, & cogere, ut hanc unitatem probaret. & ideo dicebam ego ſuperius, ipſum in hac re prudentiorem fuiſſe, quam Theophraſtum, & alios, qui unitatem apertiſſime poſuerunt.

Ariſtotelẽ irriſiſſe religionem ſui tẽporis cõſtat ex 12. Metaphyſ. tex. 50. ubi inquit a maioribus tantum nobis traditũ eſſe ſecundũ ueritatem, quod dij ſunt, reliqua uero tradita eſſe ac poſteris relicta in fabulæ figura,ac fabuloſe ad multitudinis perſuaſionem, & ad legum, ac eius, quod cõferat, opportunitatem.

Caput

Caput XVI.

CVm igitur eadem mentis acie, qua rerũ omnium uim, naturamq. perſpexit Ariſtoteles, uideret grauiſſima incommoda, ſumpta ab euerſione uirtutum moralium, ſocietatis humanæ, prouidentiæ, & iuſtitiæ diuinæ, quæ conſequebantur ablato alio ſtatu animæ, qui, poſita unitate, aufertur, unitatem illam numquam aperte affirmauit. uidebat enim, ablato alio ſtatu animæ, tolli omnes uirtutes morales, quia, ſi non relinquatur ſpes alterius, & eius quidem melioris uitæ, nullus honeſtati relinquetur locus, omnes enim fere, relicta honeſtate, uoluptatem, & utilitatem ſequentur. perijſſet etiam pietas erga Deum: non enim homines colent Deum, ſi poſt mortem ab ipſo nihil exſpectent: tolletur etiam, uel ſaltem in dubium reuocabitur iuſtitia diuina, quia, ablato alio ſtatu animæ, non uidebimus, ut par eſt, puniri malos homines, neque bonos præmijs affici: uidemus enim malos homines grauiſſima ſcelera admittere, quæ tamen remanent impunita, ſi tantum præſentis uitæ ſtatum contemplemur: immo uidemus, multos pro malis maxima bona reportare: quare, ſi non daretur alius ſtatus animæ, ubi Deus illos puniret, hos uero præmijs afficeret, ſequeretur, ipſum eſſe iniquum Iudicem, immo, ſicut dicebat B. Hieronymus, ipſum non eſſe Deum. quod ſi dicant impij, hæc bona, & hæc mala non cognoſci a Deo, ſequetur, eius prudentiam euerſum iri. hæc igitur incommoda conſiderans Ariſtoteles, conatus eſt perſuadere alium ſtatum animæ, idque 1. Ethic. cap. 11. ubi dixit, poſterorum fortunas, & amicorum omnium ad defunctos pertinere: immo principio illius capitis hæc uerba ſcripta reliquit: *fortunas autem poſterorum, amicorumq. omnium nihil quidquam conferre, longe ab amicitiæ finibus diſcedere, & opinionibus contrarium eſſe uidetur.* quæ uerba tamen oſtendunt, ipſum potius probabilitate ductum, quam ratione demonſtratiua, ſupponere alium ſtatum animæ a corpore ſeparatæ, quem tamen ſtatum ipſe in fine illius capitis affirmat. etenim, cum dixiſſet, conſiderandum forſitan eſſe, ſi cuiuſ-

cuiuſpiam boni, uel mali participes ſint defuncti, tandem in fine capitis hæc uerba protulit: *Videntur igitur tam proſperitates, quam aduerſitates amicorum aliquid defunctis afferre, tale autem, ac tantum, ut nec felices facere nõ felices, nec aliud quicquam huiuſmodi poßit.* Aliũ igitur animæ ſtatum ibi probabiliter affirmauit, quem tamen alibi, & præſertim in Metaphyſ. tex. 9. ex diuiſione Alexandri, conatus eſt aſſerere. Et hæc hactenus de unitate intellectus illa falſa, & mentita diſputata ſint, ut intelligatur, Ariſtotelem nõ dubium fuiſſe de immortalitate animæ, quam clariſſimis uerbis pronuntiauit, & efficaciſſimis rationibus demonſtrauit, quibus multum debet imbecillitas humana. Cum uero uidetur dubitaſſe, præſertim in 1. de Anima tex. 12. an anima habeat aliquod opus proprium, quod ſcilicet poſſit exercere ſine corpore: hæc dubitatio, ſaltem immediate, non pertinet ad immortalitatem, quæ, ablata operatione, ut ſupra oſtendimus, conſtare poteſt, ſed ad alium ſtatum animæ, utrum ſcilicet anima poſſit exſiſtere ſeparata loco, & ſubiecto a corpore, ut ibi recte animaduertit Themiſtius. Sic igitur diſputatum ſit de unitate: ſic ipſa confutata ſit! ſicq. procelloſum hoc ueluti pelagus ſalua naui euaſimus, diuino ſcilicet beneficio. quod ſi nihil aliud ex hac diſputatione conſecuti ſimus, ſaltem intelligetur, Ariſtotelem, ut ante dicebam, de immortalitate animæ, non dubiam, ſed potius de ijs, quæ ad alium eius ſtatũ extra corpus pertinebant, habuiſſe ſententiam.

HIERONYMI PONTANI FOROCORNELIENSIS DE IMMORTALITATE ANIMAE EX SENTENTIA ARISTOTELIS,

LIBER VII.

Caput I.

HIS, quas hactenus explicauimus, ſuccedunt,ut promiſſis ſtemus,aliæ duę quæſtiones,antequam ad alia transeamus,a nobis de ſententia etiam Ariſtotelis explicandæ:quarum altera eſt, utrum ſenſerit Ariſtoteles, quod in homine ſint duæ animæ re ſeiunctæ,ſenſitiua,ſcilicet, propria hominis,& intellectiua;altera uero,utra illarum ipſe ſentiat, quod det eſſe homini. ſed,quoniam ſoluta illa facilior,patebit aditus ad ſolutionē huius,illam primo diſſoluemus, licet poſterius in principio operis eam propoſuerimus,maxime quia ex poſitione immortalitatis, quam apertiſſime poſuit Ariſtoteles, & ex poſitione unitatis,ad quam uidetur interdum declinaſſe, uidetur proxime ſequi,quid de illa ſenſerit Ariſtoteles. nam, ſi anima intellectiua ſit immortalis, & ſi eſſet una numero in omnibus hominibus, ſatis intelligitur,ex ſententia ipſius Ariſtotelis,duas in homine eſſe animas, quare & duas formas ſubſtantiales re,& genere ſeiunctas,quarum altera non poſſit uirtute alteram continere.conſequentia patet: quia, cum homines ſint mortales, anima uero intellectiua ſit immortalis, uidetur ſequi omnino, ut habeant aliam formam mortalem,per quam ſint mortales. Item & multo magis,ſi anima intellectiua eſſet una numero in omnibus hominibus,fieri poſſe non uidetur,ut ſinguli homines, qui differũt

inter ſe numero,ſint tales per animam intellectiuam: quare ſequitur, ut habeant aliam animam diſtinctam re ab intellectiua, per quam ſint ſingulares, & ſint omnino tales homines.

Ad hanc tamen quæſtionem multi, profitentes etiam ſe loqui ex ſententia Ariſtotelis, reſpondent, unam tantum in homine eſſe animam: ſed horum aliqui illam mortalem, aliqui uero immortalem eſſe affirmant: in primis eſt Alexander Aphrodiſæus, qui, cum poſuerit, animam intellectiuam eſſe mortalem, nihil uidetur dicere repugnans, ſi faciat eam unam re cum ſenſitiua: ſed alia in re cogitur ſibi, & rationi aduerſari: ſibi quidem: quia actus & potentia ratione eiuſdem non poſſunt eſſe idem re: ſed ſenſitiua eſt actus, intellectus uero ex ſententia ipſius etiam ratione corporis eſt potentia: ergo non poſſunt eſſe idem re. rationi uero aduerſatur, & ueritati, ut ſupra ſatis ſuperque demonſtrauimus.

S. Thomas, unus ex illis, qui animam immortalem eſſe aſſeruerunt, dixit, unam tantum animam eſſe in homine, quæ ſubit uicem, & exercet opera aliarum animarum, & hanc eſſe intellectiuam; idq. multis ex locis probare contendit, & maxime in 1. parte ſummæ q.76. art.3. & 2. contra gentes, cap.58. & in opuſ.3. cap.90. & hæc ſententia, quidquid ſit de ſententia Ariſtotelis, uetiſſima eſt, & a nobis fortiſſime retinẽda. & ideo S. Auguſtinus in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus dixit: neque duas animas credimus eſſe in homine, ut Iacobus, & alij Syrorum ſcribunt; unam animalem, qua animatur corpus, & alteram ſpiritualem, quæ rationem ſubminiſtrat: ſed dicimus, unam, & eandem animam eſſe in homine, quæ & corpus ſua ſocietate uiuificat, & ſemetipſam ſua ratione diſponit. quam ueritatem declarauit etiam Cõcilium Lateranenſe ſub Leone Decimo celebratum.

Sed, quoniam non de ueritate, de qua non eſt ambigendum, ſed de ſententia Ariſtotelis ſuſcepta eſt diſputatio, &, quid Ariſtoteles ſenſerit, propoſitum eſt nobis declarare: aliam fuiſſe Ariſtotelis ſententiam ſenſerunt præſtantiores Peripatetici, quibus fauent uerba Ariſtotelis, & rationes ex

doctrina eius ductæ. Themiſtius igitur poſuit duas animas in homine re ſeiunctas, ſenſitiuam ſcilicet, & intellectiuam, cum quo conſentiunt Simplicius, & Auerroes: & hæc etiã uidetur fuiſſe ſententia Theophraſti, ad quam aliquando acceſſit, aliquando uero receſſit Ioannes Grammaticus: hãc etiam fuiſſe ſententiam Platonis licet intelligere ex uerbis, quæ citantur a Themiſtio 3. de Anima cap. 38. ibi enim cũ dixiſſet, non potuiſſe aliter collocari, & habitare in corpore intellectum, niſi affectibus medijs necteretur, citat Platonẽ, dicens, *alioquin, ut diuinus Plato inquit, impurum cum puro ſociari, & conciliari non poſſet*. quibus etiam uerba alia addit, quæ ſunt hæc: *Dij cum animam immortali origine præditam accepiſſent, obduxere ei corpus mortale, quod uti fieri poſſet, utque immortalis forma in corpore mortali clauderetur, texuerũt genus animæ, alterum fragile, & mortale: nam uinculum id, quo immortalis natura conglutinabatur mortali, ipſum quoque haberi mortale oportuit: proinde, corrupta mortali natura, ſimul quoque uinculum eius intercidit.*

Hanc uero fuiſſe ſententiam Ariſtotelis, poſſumus ex multis intelligere: ac primum, quia in 2. de Anima tex. 21. dixit, intellectum eſſe alterum genus animæ, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuum a corruptibili: ſed ea, quæ ſunt diuerſorum generum, ſunt etiam realiter diuerſa: quare ſi anima intellectiua, & ſenſitiua ſunt diuerſorum generum, uidetur ſequi, quod ſint re diuerſæ. In eandem ſententiam faciunt ea, quæ ſcripta ſunt apud eundem Ariſtotelem 7. Polit. cap. 15. ubi dixit, quod, ſicut anima, & corpus duo ſunt, ita quoque uidemus duas eſſe partes animæ unam irrationalem, alteram rationalem, habitus quoque earum duos: deinde ſubiungit, quod ſicut in generatione corpus antecedit animam, ſic pars irrationalis antecedit eam partem, quæ rationem habet. ex quo loco uidetur colligi poſſe hoc argumentum: ſicut anima, & corpus duo ſunt re ſeiuncta, ita duæ ſunt partes animæ re ſeiunctæ. Item ex 3. libro de Anima tex. 151. colligitur hæc ratio: Illæ animæ non ſunt idem re, quarum altera habet operationem corpoream, altera uero non: ſed ſenſitiua habet operationem corpoream, ſecus intellecti-

tellectiua:ergo non poſſunt eſſe idē re: ex tex. uero 6. eiuſdem 9. ex diuiſione Auerrois colligitur alia ratio; uidelicet, illa forma; quæ non eſt mixta cum corpore, non poteſt eſſe idem re cum ea; quæ eſt mixta: item illa; quæ non mutatur mutatione corporis, & non habet organum corporeum, non poteſt eſſe idem re cum ea; quæ mutatur, & habet organum corporeum: ſed intellectiua non mutatur mutatione corporis, & nullum habet organum corporeum, ſenſitiua uero mutatur, & habet organum corporeum: quare intellectiua non poteſt eſſe idem re cum ſenſitiua.

Præterea, illa anima; quæ eſt locus ſpecierum, & quæ non læditur ab excellenti obiecto, & eſt ſeparabilis a corpore, non eſt idem re cum ea; quæ non eſt locus ſpecierum, quæ læditur ab excellenti obiecto, & eſt inſeparabilis a corpore: ſed anima intellectiua eſt locus ſpecierum, ipſaq; non læditur, ſed potius perficitur ab excellenti obiecto, & eſt ſeparabilis a corpore: ſenſitiua uero ſecus, ut ex eodem Ariſtotele tex. 6. & 7. tertij de Anima patet: ergo anima intellectiua non eſt idem re cum ſenſitiua. &, quoniam ex illis antecedentibus neceſſario infertur, animam intellectiuam eſſe immaterialem, indiuiſibilem, & inextenſam, atque immortalem, cum ſecus ſit de ſenſitiua, exinde etiam inferri poteſt, ſenſiſſe Ariſtotelem ipſas eſſe re diuerſas.

Præterea, illa anima, quæ eſt ante corpus, quæue extrinſecus accedit, non poteſt eſſe idem re cum ea, quæ non eſt ante corpus, neque extrinſecus accedit: ſed anima intellectiua extrinſecus accedit, & eſt ante corpus, ut eſt apud Ariſtotelem 2. de generat. animalium cap. 3. non autem ſenſitiua, quare non poſſunt eſſe eadem re.

Arguitur præterea in hanc ſententiam: ſi anima intellectiua non diſtingueretur re a ſenſitiua, ſicq; in homine non eſſent duæ animæ re ſeiunctæ, ſequeretur, mortem hominis non eſſe corruptionem ſubſtātialem, ſed alterationem: quia in morte hominis nulla forma ſubſtantialis, & nulla omnino ſubſtantia corrumperetur, quia non materia prima, cum ipſa ſit incorruptibilis, materia uero proxima, quæ eſt tem-

peratu-

peratura,non eſt ſubſtantia, ſed accidens.

Ad hæc tamen argumenta,quæ uidentur probare concluſionem alienam a fide Catholica, & conſequenter falſam, reſponderent S. Thomas,& alij, qui unam tantum animam ponunt in homine, negando animam rationalem non eſſe unitam cum corpore, negando animam ſenſitiuam in homine alterari, & corrumpi cum corpore; dicerent quoque, animam rationalem habere organa ratione potentiarum ſenſitiuarum,& uegetatiuarum,non lædi in homine animam ſenſitiuam ab obiecto,ſed lædi organum: eſſe locum ſpecierum,quatenus intellectiua eſt; non eſſe locum ſpecierum ſecundum gradum ſenſitiuum,uel uegetatiuum, quos continet in ſe: denique, animam ſenſitiuam, quatenus coniuncta eſt cum rationali, non eſſe diuiſibilem.

Ad rationem uero poſtremam reſpondent aliqui,in morte hominis non corrumpi aliquam formam ſubſtantialem, ſed corrumpi compoſitum,quod eſt ſubſtantia. Quæret tamen aliquis ex ipſis rationē,cuius principij ſubſtantialis illud compoſitum dicatur corrumpi. ſi enim dicant,ratione unionis materiæ cum forma,quia illa forma deſinit eſſe unita,& coniuncta materiæ,cum illa unio,& coniunctio ſit accidens,ſequetur,generationem,& corruptionem hominis terminari ad accidens,non ad ſubſtantiam. ſed,quia argumentum ſuperius fuit a nobis diſſolutum,iccirco ad ea,quæ diximus,me reijcio.

Caput II.

Illa igitur,quam recenſuimus, uidetur fuiſſe ſententia Ariſtotelis,nempe,in homine duas eſſe animas re diuerſas, quæ cum ſint diuerſi generis, non poſſunt ſe inuicem continere.

Sed,quoniam contra illam multæ afferuntur rationes,uidendum eſt, quid ad eas reſponderet Ariſtoteles ex ſuis falſis principijs. Primo ergo dubitatur,quia,ſi in nobis eſſent duæ animæ re ſeiunctæ,uidelicet intellectiua, & ſenſitiua,

non

non poſſemus comparare uniuerſalia ad ſingularia, neque ponere differentiam inter ipſa: conſequens eſt falſum, quare & antecedens. conſequentia probatur: quia, ſi anima intellectiua eſſet re diuerſa a ſenſitiua, illa cognoſceret uniuerſalia, hæc uero ſingularia: quare à diuerſis facultatibus re diſtinctis cognoſcerētur uniuerſalia, & ſingularia, & ideo non poſſemus comparare illa inter ſe, neque ponere differentiam inter ipſa: quia, qui comparat aliqua duo inter ſe, & ponit differētiā inter utrumque, debet cognoſcere utrūq. ſub propria ratione: ſed, ſi anima intellectiua, & ſenſitiua ſint una, & eadem anima, illa eadem poterit cognoſcere, & comparare uniuerſalia, & ſingularia. Quod ſi dicas, intellectiuam cognoſcere uniuerſalia, ſenſitiuam uero ſingularia: hominem uero præditum utraque ratione utriuſq. comparare inter ſe uniuerſalia, & ſingularia, & ponere differentiā inter utraque, tunc ruet illa ratio, qua probauit Ariſtoteles neceſſitatem ſenſus communis in 2. de Anima tex. 145. & 146. dicit enim in tex. 145. *Quoniam autem, & album, & dulce, & unumquodq. ſenſibilium ad unumquodq. diſcernimus quodā, & ſentimus quod differunt neceſſe eſt utiq. ſenſu. ſenſibilia enim ſunt.* & ex his infert corollariū in tex. 146. dicēs: *quo & manifeſtū, quod caro non eſt ultimum ſenſorium: neceſſe enim eſſet diſcernere tangendo ipſum.* deinde ſubiungit: *neq. itaq. ſeparatis contingit diſcernere diſcernens, quod aliud ſit dulce ab albo, ſed oportet aliquo uno utraq. manifeſta eſſe. ſic enim etſi hoc quidem ego, illud autem tu ſentires, manifeſtum utiq. eſſet, quod alia ab inuicem. oportet autem unum dicere quod aliud, aliud enim dulce ab albo, dicit ergo idē, quare ut dicit, ſic & intelligit, & ſentit. Quod igitur non poſſibile ſit ſeparatis diiudicare ſeparata, palam eſt.* Idem etiam repetiit in libro de ſom. & uig. cap. 2. dicens: *quoniam autem exiſtit ſecundum unum quemq. ſenſum, hoc quidem aliquid proprium, illud uero aliquid commune; proprium quidem ut uiſui uidere, auditui autem audire, & alijs ſecundum eundem modum: eſt autem quædam & communis potentia ſequens omnes, qua & quod uidet & audit ſentit: non enim uiſu quidem uidet quod uidet, & iudicat utiq. & poteſt diſcernere, quod alia quidem dulcia ſunt ab albis nec guſtu, nec uiſu, nec ambobus, ſed quadam communi particula omnium ſenſoriorum: nam eſt quidem ſenſus unus, & principale ſenſorium unum, eſſe autem ſenſui generis cuiuſlibet aliud ut ſoni, & coloris &c.*

Si ergo quis dicat, hominem per ſenſum cognoſcere ſingula-

gularia, intellectum uero uniuerſalia, & ita comparare ea, & ponere differentiam inter ipſa, ille uidetur euertere rationē illam Ariſtotelis, & maxime quia ponens differentiam inter extrema, debet cognoſcere utrumq; extremum.
Ad hæc reſpondeo, & primum quidem dico, argumentū ductum ex Ariſtotele 2. de Anima, & in lib. de ſom. & uig. non probare eandem re animam cognoſcere uniuerſalia & ſingularia: ſed, ſi probaret, & quidpiam concluderet, probaret tantum dari potentiam, & facultatem communem animæ intellectiuæ, & ſenſitiuæ, quæ cognoſcat utraq. & tamen non datur: quare dicimus, quod dicebat etiam Antonius Mirandulanus Caſertæ Epiſcopus Præceptor meus lib. 15. de euerſ. ſing. cert. ſect. 2. uerba, & rationē Ariſtotelis habere locum dumtaxat in eis, quæ ſunt eiuſdem generis, qualia ſunt ſenſibilia, & ideo illa non poſſunt iudicari diuerſa a diuerſis ſenſibus, ſed ab uno ſenſu communi.
Quare dicitur, intellectum non poſſe comparare ſingularia, & uniuerſalia, quia ex ſententia Ariſtotelis non poteſt cognoſcere ſingularia, neq; ſenſum poſſe facere eandem cōparationem, quia non cognoſcit uniuerſalia, ſed hominem, qui utraque cognoſcit duabus hiſce facultatibus, intellectus ſcilicet & ſenſus facere hanc comparationem. cū enim ſenſu cognoſcat ſingularia, intellectu uero uniuerſalia, ut ſentit & intelligit, comparat ipſa ad inuicem, ſic enim facit inductionem, & facit ſyllogiſmum ex altera propoſitione uniuerſali, & ex altera ſingulari, ut docuit Ariſtoteles 1. Poſteriorum cap. 1. & 2. eiuſdem operis lib. cap. ult. & 7. Ethicorum cap. 3. ubi docet, ſenſum & concupiſcentiam eſſe illam uim, ſeu facultatem, quæ ponit ſingularem propoſitionem ſub uniuerſali falſa. ſic igitur ſolueret Ariſtoteles argumentum adductum.
Argumentatur præterea S. Thomas: ſi plures animæ ſint in homine, homo non erit unum ſimpliciter. conſequentiā probat tripliciter. Primo, quia unitas ſimpliciter eſt ab unitate formæ: ſed homo eſt unum ſimpliciter: ergo unam tantum habet formam.

Secundo, ab eodem res habet eſſe, & unitatem: ſed homo habet eſſe ab una tantùm forma, ergo & unitatem.

Tertio, quæ denominantur à diuerſis, non ſunt unum ſimpliciter, ut homo albus. præterea eandem cõcluſionem probauit idem per eam ratione, qua uſus eſt Ariſtoteles 8. Metaph. tex. 15. ex diuiſione Auerrois contra Platonem, ubi dicebat Ariſtoteles, ſi alia eſſet idæa hominis, alia bipedis, animal bipes non eſſet unum ſimpliciter. probat idem eandem conſequentiam: quia 1. de Anima Ariſtoteles arguẽs contra ponentes plures animas loco, & ſubiecto diſtinctas, quærit, quid contineat illas. Hæ rationes ſunt ſimiles illi, qua dicũt Ariſtotelem uti contra Platonem, uidelicet, ſi homo haberet plures animas, non eſſet unum numero animatum, ſed tot, quot in eo eſſent animæ.

& 3. Meta ph. tex. 20.

1. de anima tex. 90.

Caput III.

AD hæc tamen ſecundum doctrinam Ariſtotelis non eſt difficile reſpondere: & primo ad primam, cum dicebatur: ſi in homine ſint plures animæ, nempe duæ re ſeiunctæ, ſicut dictum eſt ſentire Ariſtotelem, homo non erit unum ſimpliciter, negaret Ariſtoteles conſequentiam, & rationẽ negationis redderet: quia, licet id, quod habet plures formas, quarum altera in alteram non refertur, non ſit unũ, quia tamen ſenſitiua in homine refertur in intellectiuã, perinde ac materia in formã, iccirco homo eſt unũ ſimpliciter.

Ad confirmationem uero primam diceret, omnem quidẽ unitatem eſſe ab unitate formæ, ſed unitatem ſpecificam in homine eſſe ab intellectu, unitatem uero numeralem eſſe à phantaſia cuiuſque hominis propria.

Ad ſecundam uero, licet concedat ab eadem forma rem habere eſſe, & unitatem; cum tamen aliud ſit eſſe ſpecificũ, aliud numerale, diceret, hominem, cum habeat eſſe ſpecificum ab intellectu, ab eõdem quoque habere unitatem ſpecificam: à phantaſia uero, à qua habet eſſe numerale, habere etiam unitatem numeralem.

Ad tertiam uero diceret, ea, quæ denominantur a diuerſis formis, quarum altera in alteram non refertur, non eſſe unum: ſed, quia ſenſitiua refertur in intellectiuam, ut materia in ſuam formam; iccirco ex ſenſitiua, & intellectiua fieri unum per ſe, ſicut ex materia, & forma.

Ad rationem uero ſumptam ex 8. Metaph. diceret Ariſtoteles, rationem ſuam ualere contra Platonem: quod ſi alia ſit idæa hominis, alia bipedis; animal bipes non erit unũ ſimpliciter: quia Plato ponebat utramque idæam eſſe formam per ſe ſubſiſtentem, neque alteram ratione alterius habere rationem materiæ, quemadmodum dicit Ariſtoteles in homine ſenſitiuam ad intellectiuam habere rationem materiæ, ſic & alias rationes ſuas ualere contra Platonem: quia ponebat illas animas in homine loco, & ſubiecto ſeparatas, neque tamen aliam in aliam referri; immo, cum omnes æqualiter haberent rationem formæ, non poterat altera alteram continere, neque in alteram referri.

Adducitur etiam contra eundem Ariſtotelem, uel cõtra illam ſententiam, quam uidemus nos magis tribuere Ariſtoteli: adducitur, inquam, pro opinione D. Thomæ, ſimulque pro ueritate, locus ille 2. de Anima tex. 31. ubi comparans Ariſtoteles diuerſas animas cum ſpeciebus figurarum, dicebat, *Similiter autem ſe habent ei, quod de figuris, & quæ circa animam ſunt, ſemper enim in eo, quod eſt conſeqenter, eſt potentia, quod prius eſt, & in figuris, & in animatis, ut in quadrato quidem triangulus eſt, in ſenſitiuo autem uegatatiuum.*

Si ergo priores animæ poteſtate continentur in poſterioribus, uidetur ſequi, uegetatiuam, & ſenſitiuam, cum ſint priores, contineri poteſtate in rationali, quæ poſterior eſt.

Sed reſponderet Ariſtoteles, priores animas, illas quidẽ poteſtate contineri in poſterioribus, ſi omnes ſint eiuſdem generis, cuiuſmodi non ſunt ſenſitiua, quæ materialis eſt, & intellectiua, quæ eſt immaterialis.

Diceret etiam, ſenſitiuam, quæ eſt in homine re diſtincta ab intellectiua, quæ quidem non eſt ſenſitiua generica, ſed phantaſia propria hominis, illam quidem non eſſe priorem

intelle-

intellectiua: immo ipſam, ut infra ſuo loco dicemus, innaſci fetui, & educi e potentia materiæ in illo eodem temporis momento, quo intellectiua ipſi extrinſecus accedit, in illa tamen ſenſitiua, quæ eſt in homine, quæq. eſt propria cuiuſq. hominis, contineri potentia ſenſitiuam genericam, & ſenſitiuam ſpecificam hominis, quæ ſunt priores ſenſitiua numerali, ſeu phantaſia propria cuiuſq. hominis.

Sicq. data hac reſponſione, ſoluitur & illud commune argumentum, uidelicet, quod ſuperuenit enti, actu eſt accidens, & accidentaliter ei aduenit: ſed anima intellectiua ſuperuenit enti actu, nempe fetui iam informato, ſcilicet ab anima ſenſitiua: quare ſequetur, ipſam eſſe accidens: ſoluitur, inquam, hoc argumentum, negando minorem illam propoſitionem: quia intellectiua non ſuperuenit enti actu, cũ utraque, ſcilicet intellectiua, & ſenſitiua, ſeu phantaſia propria hominis, in eodem temporis momento, licet diuerſimode, adſit. etenim intellectiua extrinſecus accedit, phantaſia uero educitur e potentia materiæ.

Ad alium uero Ariſtotelis locum ex 7. Metaph. tex. 38. tex. 48. ex part. Auer. ubi dicebat Ariſtoteles, propterea Socrati, qui quidem eſt ſubſtantia, ſubſtantia erit uti patet: quare duabus ſubſtantijs Socrates ſubſtantia erit: reſpondet idem, ſe, cum ponit duas animas in homine, ut puta in Socrate, nolle Socratem eſſe ſubſtantiam duabus ſubſtantijs eiuſdem generis, quod ſequeretur, ſi uniuerſale eſſet ſubſtantia, ut ponebat Plato: ſed intellectiua, & ſenſitiua, quæ ſunt in homine, non ſunt eiuſdem generis: ſed altera habet rationem materiæ, altera uero rationem formæ, & ideo non conſequitur abſurdũ, quod ſequeretur, ſi ambæ eſſent eiuſdem generis, & eiuſdẽ naturæ: quia, uel altera alteram impediret, uel eſſet ſuperuacanea: propterea quod altera, cum ſit eiuſdem generis, poſſet exercere opera alterius.

Cum uero præterea argumentatur D. Thomas, ea, quæ attribuuntur alicui ratione diuerſarum formarum, prædicantur de ſe inuicem per accidens, album enim dicitur eſſe muſicum per accidens: quia albedo, & muſica accidunt Socra-

ti. ſi ergo intellectiua, & ſenſitiua in homine ſint diuerſæ animæ, ſequetur, ea, quæ per has formas homini conueniũt, de ſe inuicem prædicari accidentaliter, & quia eſſe hominẽ conuenit nobis per intellectiuam, & eſſe animal per ſenſitiuam, cũ animal prædicatur de homine, ſequetur, ipſum per accidens prædicari: ad hoc, inquam, reſponderet Ariſtoteles, ea, quæ attribuuntur alicui ratione diuerſarum formarũ, quarum altera non referatur eſſentialiter in aliam, ea, inquam, per accidens de ſe inuicem prædicari, & hanc ſolutionem docet idem D. Thomas in 1. q. 76. art. 3. in corpore quæſtionis. Sic igitur ex ſententia Ariſtotelis uidetur reſpõdendum ad argumenta, quæ contra ſententiam ipſius ponentis in homine duas animas re ſeiunctas afferebantur.

Quia tamen ſententia Ariſtotelis eſt falſa, ut pote a Chriſtiana religione aliena, neceſſe eſt, ipſam habere ortum ex aliquo principio falſo. quare, & ſi aliquę rationes contra ipſum allatæ diſſoluantur, non tamen omnes diſſolui poterũt. & ideo, reiecta ſententia Ariſtotelis, concedamus nos, & cõfiteamur, unam tantum in homine eſſe animam intellectiuã, quæ ſubit diuerſos gradus, & fungitur officio aliarum, quæ potentia continentur in ipſa, ut trigonum in tetragono. & licet ſenſitiua ſit corruptibilis, tamen, ut dicebat S. Thomas in 1. q. 76. art. 3. quatenus eſt coniuncta cum intellectiuã ipſa quoque efficitur incorruptibilis, neque adimit intellectiuæ ſuam incorruptibilitatem. Et hæc pro tempore, quæ ad quæſtionem illam quintam pertinebant, dicta ſint.

Caput IV.

SEd, quando dictum eſt, quod ſenſit Ariſtoteles duas eſſe in homine animas re ſeiunctas, intellectiuam ſcilicet, & phantaſiam propriam hominis: Quærendum eſt ſexto loco, utra cenſeat Ariſtoteles, quod det eſſe homini, phantaſia ne, an uero intellectiua. cum enim idem non habeat eſſe, niſi ab una forma, utraque non poteſt dare eſſe. ideo quæritur nunc, utra ex ſententia Ariſtotelis det eſſe: &, ſi altera

tantum det eſſe, uidetur ſequi, quod exiſtimet Ariſtoteles, quod altera tantum aſſiſtat, & operationes hominis, non autem eiuſdem eſſentiam perficiat.

Ad hanc quæſtionem reſpondent pleriq. ex recentioribus, in quibus eſt Ioannes Gandauenſis, phantaſiam propriam, quam ipſe cum Auerroe cogitatiuam appellat, dare eſſe homini, adeo, ut per eam homo reponatur in ſpecie hominis, intellectiuam uero duntaxat aſſiſtere homini, ut nauta aſſiſtit naui, ſic ut ſit tantum principium appropriatum operationum hominis, & perficiat tantum operationes, non autem eiuſdem eſſentiam, dicunt enim dupliciter dici formam, altero modo ut det eſſe rei, & ſecundum eſſentiā coniungatur corpori, cuius eſt forma, & hoc dicunt eſſe uulgarū ſignificatum ipſius formæ: quam definiens Ariſtoteles ſecundum uulgatum hoc ſignificatum, definit per quid erat eſſe: altero modo dicunt formam ſumi pro principio intrinſeco operationum, & illo quidem appropriato corpori, cuius operationes perficit: id uero dicitur intrinſecum operans appropriatum alicuius corporis, quod non eſt diſtinctum ab illo corpore loco, & ſubiecto, & cuius actus proprius proprie, & præciſe pendet ab illo corpore, uel ab alio exiſtente in illo corpore: ita tamen, ut operans illud intrinſecum, & corpus illud non ſint unū in eſſentia, ſic ut eſſe unius ſit eſſe alterius, ſunt tamen unum in opere proprio, quod ab utroq. pendet immediate, hanc dicunt eſſe formam aſſiſtentem, atq. hoc modo dicunt, intelligentiæ mouentes cælū dicuntur forma ipſius, non quod dent eſſe formaliter ipſi cælo, ſed quia ipſæ ſunt mouentia intrinſeca appropriata ipſi cælo, neq. ſunt ſeparatæ ab ipſo cælo loco, & ſubiecto. hanc diuiſionē formæ in aſſiſtentem, & informantē conantur confirmare multis argumentis: ac primo utūtur auctoritate Ariſtotelis 2. de anima tex. 11. ubi dicit: *quod igitur anima non ſit ſeparabilis a corpore, aut partes quædam ipſius, ſi poſſibilis natura eſt, non immanifeſtū eſt, quarundam enim actus partium eſt ipſarum, at uero ſecundum quaſdam nihil probibet, propterea quod nullius corporis ſint actus*. loquitur ergo de anima intellectiua cum dicit eam ſeparari, propterea

quod nullius corporis eſt actus:ſed quem actum adimet ipſi niſi informantem,& dantem eſſe? quare ſequitur,ut tribuat ei tantum actum aſſiſtentem,quod cum uſq. ad illum locum inexplicatũ reliquiſſet,quinimmo adhuc lateret, adiecit ob ſcurum eſſe, ſi anima ſit actus corporis, ſicut nauta nauis. quod ſi quæratur,ubi hanc quæſtionem explicauerit Ariſto teles, reſpondent; ubi demonſtrauit intellectum non eſſe mixtum cum corpore, quod nemo (dicunt ipſi) admittet, niſi illi,qui ipſum aſſiſtere tantum,non autem informare aſſerunt.hanc diuiſionem formæ,& hunc eundem ipſius ſigni ficatum fuiſſe etiam probatum Ariſtoteli,conantur oſtende re ex illa diuiſione ſubſtantiæ,quam poſuit Ariſtoteles 2.de Anima tex. 2. & 7. ac 12. Metaph. ubi diuidit ſubſtantiam in materiam,formam,& compoſitum.quibus in locis, ſi formam illam tantum appellaret, quæ dat eſſe,manca eſſet illa diuiſio: quia non comprehenderet formas tantum aſſiſtentes, quales ſunt intelligentiæ ad corpora cæleſtia. hanc for mæ diuiſionem probarunt Auerroes, Simplicius, & alij ex Græcis; immo omnes fere, qui hodie dicunt animam intellectiuam eſſe immortalem, aſſerunt, eandem ex ſententia Ariſtotelis aſſiſtere tantum homini, non dare eſſe: quare ſuppoſita hac diuiſione, dicunt, animamintellectiuam eſſe formam tantum aſſiſtentem, & perficientem,non eſſentiam, ſed operationes hominis,illamq. coniungi homini, non per eſſentiam,ſed per phantaſmata.

Sed,quoniam hæc ſententia aliena eſt tum a ueritate, tũ a ſententia Ariſtotelis: iccirco eam primo confutabimus, deinde ea,quæ uidentur ipſi fauere,diſſoluemus.

Caput V.

SEd,ut certum aliquid,& cõſtitutum proponamus, quod nobis probandum ſit, primum ponemus hanc concluſionem, nullam ſcilicet ex ſententia Ariſtotelis dari formam aſſiſtentem tantum, ſiue perficientem ſolas operationes, non autem eſſentiam; immo omnem formam perficere eſſen-

re eſſentiam eius, cuius eſt forma.

Secunda uero concluſio ſit, intellectum non eſſe formam aſſiſtentem, ſed informantem ipſum hominem.

Prima concluſio probatur, quia forma definitur ab Ariſtotele per quid erat eſſe, & definitio illa eſt uniuerſalis, & ad primam philoſophiam pertinens. quare neceſſe eſt illam conuenire omnibus formis. cum uero dicunt illum eſſe uulgatum ſignificatum formæ; quæro ex ipſis, quare non definierit Ariſtoteles formam ſecundum alterum ſignificatum, quia, ſi ille eſſet minus uulgatus, & minus perſpicuus, maiori indigebat declaratione, & ideo debuiſſet Ariſtoteles illam formam deſcribere, & declarare, praeſertim in prima philoſophia, ad quam, ſi daretur illa forma, maxime pertineret.

Secundo, omnis forma eſt natura, ergo omnis forma dat eſſe, tum quia natura eſt pars eſſentiæ eius, cuius eſt natura, tum quia ſecundo de natur. auſcult. tex. 10. cũ docuiſſet, naturam dici de materia, & uellet oſtendere, ipſam quoque dici de forma, dixit: *alio autem modo forma & ſpecies, quæ ſecundum rationem*, hoc eſt per quam res definitur, illa eſt natura. quod clarius expreſſit in tex. 12. &, ne quis putaret, figuram alicuius rei, & omnino formam accidentalem eſſe eiuſdem naturã, dixit, nihil habere ſuam ipſius naturam, priuſquam accipiat formam, quæ ſecundum rationem, quam definientes dicimus, quid eſt caro, aut os, & omnino quid ſit illud, cuius definitio aſſignata eſt: quare intelligitur, omnem formã ſubſtantialem eſſe naturam. ſi ergo forma, quæ eſt ſecundum rationem eſt natura, & illa forma, quæ eſt principium internũ motus eius, in quo eſt primum per ſe, & non ex accidenti, eſt forma ſubſtantialis, ſequetur formam ſubſtantialem eſſe naturam.

Quare, & hoc ſit tertium argumentum, dicimus, pugnare hæc inuicem, quod aliquid ſit principium appropriatum operationum, & non det eſſe: quia operatio propria alicuius pendet ab eſſentia: quare, quod perficit propriam operationem, neceſſe eſt, ut ipſam quoque eſſentiam perficiat.

Quarto, ex illa eadem diuiſione ſubſtantiæ, quam ipſi afferunt

ferunt pro confirmatione ſuæ ſententiæ, intelligitur, non dari formam, quæ tantummodo aſſiſtat, quia in ea diuiſione complectitur Ariſtoteles ſubſtantiam proprie dictam, nempe compoſitam,& principia illius ſubſtantiæ compoſitæ, & & in his numerat tantum materiam,& formam, quæ dicuntur ſubſtantiæ,quia ſunt principia ſubſtantiæ:ſed illa,quę ab iſtis appellatur forma aſſiſtens, non eſt principium ſubſtantiæ,ſed operationum dumtaxat.quo modo ergo dicemus eã eſſe ſubſtantiam? hoc argumentum maximam habere uim, intelligetur, ſi conſideremus, ſubſtantiam compoſitam illã proprie eſſe ſubſtantiam, ut docuit Ariſtoteles 7. Metaph. tex. 7. & 12.eiuſdem operis libro tex.14. atq. etiam ſecundo de anima tex. 2. materiam uero,& formam non dici ſubſtantias, niſi quia ſunt, ut ante dicebamus, principia ſubſtantiæ.

Quinto,& poſtremo,ſi darentur formæ aſſiſtentes,illæ eſſent intelligentię,& anima rationalis,ſed intelligentias ſentit Ariſtoteles non eſſe formas aſſiſtentes, ſed informantes corpora cæleſtia, quod etiam facile intelligetur, (ut breuitatis cauſſa multa omittam)ſi ſupponatur, quod ibi demonſtrauimus,in corpore cæleſti eſſe materiam, quæ eſt altera pars compoſiti, diuerſam tamen a materia horum ſublunarium, quæ quidem (quidquid dixerit Auerroes) non habet actum ex ſe,& ex ſe non eſt actu, cum omne quod eſt actu, uel ſit forma, uel habens formam, ſed neceſſe eſt ut habeat actum a forma cæleſti,quam Ariſtoteles tenuit eſſe ipſam intelligentiam,quare & ab eadem habeat eſſe, cum actus primus ſit principium eſſendi, id quod etiam ex eo poteſt intelligi, quod corpora cæleſtia uiuere per illas formas ſenſit idem Ariſtoteles 2. de cælo, ſed uiuere uiuentibus eſt eſſe, idem etiam conſtat ex ratione,qua uſus eſt Ariſtoteles 2.de anima tex.24. ut probaret animam eſſe formam. cum enim intelligẽtiæ ſint principium,quo primum mouentur corpora cæleſtia,ſequitur,per illam rationem Ariſtotelis, ipſas eſſe formas corporum cæleſtium:adde,quod ſecundum Ariſtotelem materia illa cæleſtis,cum ſit ens in potentia,ſecluſa

2. de cælo tex.12.

forma,

forma,non poſſet moueri, niſi haberet eſſe actu ab ipſis intelligentijs.

Quod ſi dicas,in cælo,præter intelligentias, quæ mouent orbes cæleſtes,eſſe aliam formam,quæ dat eſſe actu,inſtatur contra hanc reſponſionem. uel illa forma eſt educta e potentia materiæ, uel ſeparata a materia. ſi ſeparata, ergo eſt intellectus, quare ibi eſſent duo intellectus, quorum alter eſſet ſuperuacaneus: uel,ſi eſt educta e potentia materiæ cælum erit generabile,& corruptibile. nam,licet materia cæli ſit incorruptibilis, ſi tamen illa forma habuit principium, ſequetur,ex ſententia Ariſtotelis,falſa tamen, ut habeat finem.ſed,quamuis non eſſet educta e potentia materiæ, erit tamē extenſa,& diuiſibilis diuiſione materiæ,ſicq. habebit magnitudinem,& ita non poterit eſſe æterna. hoc enim ſequitur ex ijs, quæ ab Ariſtotele dicta ſunt de ipſis intelligentijs in 8.lib.de nat. auſcult. ſi uero ſit inextenſa,& indiuiſibilis,erit ſeparata a materia,ut conſtat ex Ariſtotele 12. Metap. tex. 39. dicente,id,quod eſt indiuiſibile,eſſe expers materiæ. quare ex hoc ſequetur, ipſam eſſe intellectum, ut ante demonſtrabamus.

Hæc & alia multa oſtendunt,Ariſtotelem ſenſiſſe,intelligentias eſſe formas corporum cæleſtium.quod etiā S. Thomas,coactus clariſſimis uerbis ipſius in eodem 2. de cælo ſcriptis,confeſſus eſt in 2. contra gentes cap. 70. quamuis alibi mutauerit ſententiam. Sic igitur pro tempore probata ſit noſtra prima concluſio.

Caput VI.

QVantum uero ad ſecundam pertinet,quidquid ſit de illa diſtinctione formæ,intellectum humanum nō eſſe formam aſſiſtentem corpori humano,ex multis Ariſtotelis locis,& rationibus licet intelligere, ac primum ex tex.8. 2. lib. de anima: ubi dicebat Ariſtoteles, *uniuerſaliter igitur dictum eſt quid anima: ſubſtantia enim eſt, quæ ſecundum rationem, hoc autem eſt,quod quid erat eſſe huiuſmodi corporis.* ſi ergo dictum eſt

uniuerſaliter, quid ſit anima, ſequitur, dictum eſſe, quid ſit intellectus, & dictum eſſe, ipſum eſſe ſubſtantiam, quæ ponitur in definitione, & quæ eſt quiditas humani corporis. hinc intelligitur ipſum non eſſe formam aſſiſtentem.

Idem confirmant clarius ea, quæ ſcripſit Ariſtoteles in eodem 2. libro tex. 24. 25. 26. Idem confirmant ea quæ dixit Ariſtoteles in eodem 2. lib. tex. 36. & 37. etenim in 36. dicit, animam eſſe ut eſſentiam animatorum corporum, idq. probat in tex. 37. quia cauſa eſſendi omnibus eſſentia eſt, uiuere autem uiuentibus eſſe cauſſam & principium horum animam. amplius autem, ſubiungit Ariſtoteles, *actus eius, quod potentia eſt, ratio eſt*. Item ult. Metaph. tex. 15. exponens ſignificata ſubſtantiæ, dixit: *alio modo id ſubſtātia dicitur, quod cauſſa eſt eſſendi, ineſtq. in talibus, quæ de ſubiecto non dicuntur, qualis eſt*
7. Metaph. tex. 35. ex part. Auer. *anima animalium*. Item 7. Metaph. 30. *cum autem animalium anima ſit forma ipſorum, id eſt enim ſubſtantia animantis, quod ſubſtantia eſt ad rationem accommodata, & forma atque quiditas corporis*. quare ex his ſequetur, cum intellectus ſit anima, ipſum eſſe formam, & ſubſtantiam hominis, per quam definitur homo: non ergo tantum aſſiſtit.

Idem multis rationibus confirmatur. ac primum utar illa, qua utebatur Ariſtoteles 2. de Anima tex. 24. uidelicet: illud, quo ſingulum compoſitū primo eſt tale, eſt forma eius & ſpecies: quo uero ſecundo loco eſt tale, eſt materia: ſed anima intellectiua eſt, qua primo intelligimus: ergo eſt ratio, & ſpecies. Quibus uerbis ſignificauit Ariſtoteles, ipſam eſſe formam ſubſtantialem, cum dicat, eſſe rationem per quā ſcilicet definitur homo, & eſſe ſpeciem, quia per eam reponitur in ſua ſpecie.

Secundo, illa forma dat eſſe homini, per quam homo & eſt, & dicitur homo: ſed homo eſt, & dicitur homo per animam intellectiuam, ex Ariſtotele 2. de generat. animaliū, c. 3. & 10. Ethic. cap. 7. ergo anima eſt forma, quæ dat eſſe homini: quod aſſumptum pro minore confirmatur etiam ratione: quia homo per illud maxime eſt homo, per quod attingit finem ſuum, & maxime principalem, ſcilicet felicita-

tem,

tem,& illam quidem non ſolum actiuam, ſed etiam contem platiuam: ſed per intellectum homo attingit hunc finem: ergo per ipſum maxime & eſt,& dicitur homo.

Tertio, illud dat eſſe homini, a quo ſumitur differentia eius eſſentialis,quodq. eius definitionem ingreditur: ſed ab intellectu ſumitur differentia eſſentialis hominis, ipſeq. ingreditur eius definitionem: ergo intellectus dat eſſe homini. Quod ſi dicas,differentiam ſumi ab intellectu, & ipſum non dare eſſe,ſed aſſiſtere tantum homini; ſequetur, differentiam eius ſumi ab extrinſeco.

Quarto,intelligere eſt propria operatio hominis, quatenus homo,accipiendo propriam operationem, ut diſtinguitur ab operatione aliorum animalium: ergo conſtituitur in eſſe ſpecifico per principium ſuæ operationis propriũ, quod eſt intellectus: quare intellectus eſt forma dans eſſe. Antecedens patet: quia in hac operatione, ſicut in operatione hominis propria, conſtituit Ariſtoteles ultimam felicitatẽ hominis. Prima conſequentia patet,quia natura cuiuſq. rei ex propria operatione cognoſcitur. Secundo,unumquodq. reponitur in ſpecie per propriam formam: ſed homo potiſſimum reponitur in ſpecie hominis per intellectum: ergo intellectus eſt forma hominis propria.

Ad hanc tamen,quæ fuit ratio S. Thomæ 1. q. 76. art. 1. reſpondent aliqui,hominem dupliciter ſumi: altero modo, in eſſe completo; altero modo,in eſſe incõpleto. primo modo,non eſt per ſe,neque in genere, neque in ſpecie: & dicit compoſitionem ex anima intellectiua & corpore: ſecundo modo ſecus eſt,& ita reponitur in ſpecie per propriam cõgitatiuam.

Sed contra hanc reſponſionem argumẽtatur Caietanus, quia ſic ſequetur, nullam in uniuerſo eſſe ſpeciem, quæ ſit animal rationale. conſequentia patet, quia rationale per eos non conſtituit hominem intrinſece,& eſſentialiter.

Rurſus ſequetur,addit ipſe, quod omnes ſpecies animalis ſint animalia bruta eſſentialiter: quare nõ eſt mirandũ,ſi nihil de ſeipſis intellexerint auctores reſpõſionis prædictæ.

Ad primam obiectionem non uideo, quid poſſint reſpondere.

Ad ſecundam tamen reſpondere poſſent, negando conſequentiam, quia phantaſia hominis, quam Ariſtoteles ſolet appellare phantaſiam rationalem, & phantaſiam deliberatiuam, eſt propria hominis, & differt ſpecie a phantaſia brutorum.

Sed ad primam obiectionem (ut dixi) non poſſunt reſpõdere, & maxime, quia eſſe perfectum, & completum hominis pendet ab intellectu.

Quinto, illud eſt eſſentia hominis, quod eſt medium in demonſtratione, per quam probantur propriæ paſſiones eius: ſed huiuſmodi eſt rationale, per quod demonſtramus, hominem non ſolum eſſe riſibilem, & capacem diſciplinæ, ſed capacem uirtutis, & omnino felicitatis, cuius expertia ſunt omnia animalia bruta: quo fit, ut rationale ſit eſsẽtia hominis.

Sexto, ſi intellectus aſſiſteret tãtum homini, ſequeretur, hominem non eſſe unum per ſe, & eſſentialiter. conſequentia probatur ex Ariſtotele 2. de Anima tex. 7. ubi, cum dixiſſet, animam eſſe actum corporis, ex eo intulit, non eſſe amplius dubium, quo modo ex anima, & corpore fiat unum per ſe, quia, cum anima ſit forma, & actus primus, corpus uero materia, & potentia, ex actu, & potentia fit unum per ſe, ex actu, ſcilicet formante, non tantum aſſiſtente, quia ex eo, & ex materia, non fit unum per ſe, ſicut ex nauta, & naui non fit unum per ſe; & ideo, ſi intellectus eſſet actus dumtaxat aſſiſtens, ex eo, & ex corpore non fieret unum per ſe.

Septimo, anima ſenſitiua, & phantaſia hominis propria refertur in animam intellectiuam, ut materia in formam: ſequitur ergo, ipſam animam intellectiuam eſſe formam ſubſtantialem hominis. conſequentia probatur, quia ad formã ſubſtantialem alicuius rei, omnia, quæ in illa re ſunt, referũtur: alioquin illa non eſſet omnium nobiliſſima, neque eſſet finis omnium. intellectiuam uero eſſe finem generationis hominis, conſtat ex Ariſtotele 2. de generat. animalium, cap. 3. ut ſtatim magis explicabimus.

Octauo, nullum aggregatum ex accidentibus dicitur operari operatione conueniente alteri aſſiſtendo: non enim aggregatum ex nauta, & naui dicitur intelligere, quamuis etiā nauta eſſet inſeparabilis a naui: ſed intellectio eſt operatio per ſe conueniens homini: quare neceſſe eſt, ut ſit unius per ſe entis: non ergo poteſt eſſe aggregati ex corpore, & forma aſſiſtente:

Nono, omne habens uitam ſecundum intellectum habet eſſe ab intellectu, quia uiuere uiuentibus eſt eſſe, 2. de Anima, tex. 37. ſed homo habet uitam ſecundum intellectum, x. Ethic. 7. & 2. de generat. animalium, cap. 3. ergo habet eſſe ab intellectu.

Poſtremo, argumentor ego: omnis natura eſt ſubſtantia eius, cuius eſt natura: ſed anima intellectiua eſt natura hominis, & non eſt materia: ergo forma, & forma ſecundum rationem: quia natura dicitur tantum de illa forma, a qua ſumitur definitio. quod uero anima intellectiua ſit natura, demōſtrauimus in diſputationibus, explanationis libri de Anima præmiſſis, & præſertim rationibus, ut ante dicebamus, quibus 2. de natur. auſcult demonſtrauit Ariſtoteles, formā eſſe naturam, atq; etiam auctoritate eiuſdem Ariſtotelis in 3. de Anima, & in libro de communi motu animalium, ubi demonſtrauit, intellectum eſſe principium motus progreſſiui in homine.

Secundo argumentor in eandem ſententiam: Intellectus eſt finis generationis hominis: ergo eſt natura. cōſequentia probatur per Ariſtotelem 2. de natur. auſcult. tex. xi. & xii. & 5. Metaph. tex. 9. ubi de natura agens cum iam plura ſignificata naturæ expoſuiſſet, & materiam dixiſſet eſſe naturā, ſubiunxit hæc uerba: *& inſuper forma, atq; ſubſtantia, quæ quidem eſt generationis finis.* antecedens uero patet, tum ex uerbis præcitatis ex 5. Metaph. cum etiam ex alijs ſcriptis 2. de generat. animalium cap. 3. ubi, cum dixiſſet, non ſimul haberi uegetatiuum, & ſenſitiuum, ſed prius uegetatiuum, deinde ſenſitiuum progrediente tempore recipi, & poſterius etiam rationalem animam, per quam eſt homo, & illam propriam,

per quam eſt æquus, &, reddens huius poſtremi dicti rationem, dixit, finem poſtea contingere, &, declarans quænam ſit illa forma, quæ eſt finis, dixit, *proprium autem*, id eſt forma propria, *eſt finis cuiuſque generationis*. quod uero per id, quod eſt proprium homini, ſignificet Ariſtoteles mentem ipſam, non phantaſiam ipſius propriam, quam Auerroes cogitatiuam appellat, ſatis (ut alia omittam) declarant uerba ſequentia. dicit enim: *quapropter de mente etiam, quonam tempore, & unde eam recipiāt, quæ principium id participant, plurimū dubitatur*.

Idem etiam ratione cōſtat, quia forma melior in unoquoque eſt finis: ſed intellectus eſt forma melior, quæ ſit in homine: ergo finis generationis hominis: ergo eſt natura, & eſſentia hominis: ergo non eſt tantum forma aſſiſtens, ſed informans ipſum hominem.

Poſſem plura argumenta congerere in hanc ſententiam, quæ breuitatis ſtudio dimitto: ſi quis tamen plura deſideret, legat ea, quæ congeſſit S. Thomas in 1. q. 76. art. 1. & 2. contra gentes cap. 70. & quæ Gregorius Ariminen. 2. ſent. diſt. 16. & 17. quæſt. 1. art. 1. & Achillinus quodlibet 3. Nos potiora attulimus, quibus ducimur in eam ſententiam, quā ſecuti ſunt etiā ipſi Præceptores noſtri Buccaferreus, & Mirandulanus, philoſophorum, ut alias diximus, ætatis noſtræ facile principes; quod anima intellectiua det eſſe homini, quatenus homo eſt.

Caput VII.

NVnc uero ſoluenda ſunt argumenta, quæ in contrariū afferebantur, & afferri poſſunt: & primum, quia ex Ariſtotele 2. de Anima tex. 11, colligebant bipartitam diuiſionem formę in aſſiſtentem tantum, & informātem, quia, cum ibi dicat Ariſtoteles, quaſdam partes animæ ſeparari, & proculdubio loquatur de anima intellectiua, & reddat rationem, quia partes illæ nullius corporis ſunt actus, quem actum, ſubiungunt ipſi, poteſt adimere Ariſtoteles animæ intellectiuæ, niſi informantem? quare ſequitur, ut ei tribuat

actum aſſiſtentem: reſpondeo, locum illum nihil illis faue-re. quod magis intelligetur, ſi conſilium, & propoſitum Ariſtotelis in eo loco exponamus. cum enim ex definitione animæ ſuperius allata intuliſſet illud corollarium, animam eſſe inſeparabilem a corpore, propterea quod eſt actus corporis, uel, ſi non omnem, ſaltē partes aliquas eius, quia ſunt actus partium ipſarum: potuiſſet quis obijcere ipſi Ariſtoteli, ſi omnis anima eſt inſeparabilis, ergo nulla erit immortalis: iccirco, uolens occurrere huic obiectioni, ſubiunxit, nihil prohibere, animam ſecundum quaſdam partes ſeparari, propterea quod nullius corporis ſunt actus: quaſi dicat, tametſi aliquæ partes animæ ſint inſeparabiles, & cōſequenter mortales, quia ſunt actus corporis, uel quarūdam partium eius, id eſt ſunt actus educti e potētia corporis, & ideo ſunt actus certi, & determinati corporis, uel quarundā eius partiū, qui bus utuntur tamquā organis, nihil tamen prohibet, partes aliquas ſeparari, propterea quod non ſunt actus educti e potētia corporis, & ideo non ſunt actus alicuius certi, & determinati corporis, aut certe partis, cum nullū habeāt organū corporeum, & ideo poſſunt ſeparari ab hoc, & ab illo corpore, atque ab hac, & illa parte corporis. quare, cum duplex ſit actus, alter eductus e potentia materiæ, qui cum ſit eductus e potentia huius, & illius materiæ, ſiue huius & illius corporis, eſt etiam conſequenter actus huius, & illius corporis, ſicq. ab ipſo inſeparabilis; alter uero ſit actus nequaquam eductus e potentia materiæ, qui conſequenter non eſt actus certi corporis, & ideo ſeparabilis ab hoc, & ab illo corpore, hunc actum tribuit Ariſtoteles intellectui, & adimit ipſi actum eductum e potentia materiæ, & actum certi corporis, qui eſt actus organicus. Quod uero non poſſit Ariſtoteles adimere ipſi actum informantem, & tribuere tantū aſſiſtentem, ex eo intelligetur, quod inferebat Ariſtoteles illud corollarium ex definitione animæ, quam uniuerſaliter definierat eſſe actum, ſcilicet formantem, & dantem eſſe, & conſequenter omni animæ ademerat illum, quem iſti uocāt aſſiſtentem: ſed, cum actus dans eſſe, qualis eſt anima, bipar

tito diuidatur, quandoquidem alter eſt materialis, alter immaterialis, hunc tribuit intellectui; & ideo dicit illum ſeparari poſſe, illum uero adimit, qui eſt inſeparabilis. quare ex his intelligitur, illum locum nihil ipſis fauere. Alia uero ex eodem tex. quibus contendunt, probare animam intellectiuam eſſe actum aſſiſtentem, tantum abeſt, ut ipſi faueant, ut omnino aduerſentur: cum uidelicet dicit Ariſtoteles: *amplius autem immanifeſtum, ſi ſit corporis actus anima, ſicut nauta nauis:* ſi enim hoc nō eſt manifeſtum, ſed dubium, quo modo poſſunt ex eo loco inferre intellectum eſſe actum, ſicut nauta nauis. adde, Ariſtotelem in eo loco loqui de anima uniuerſaliter, neque contrahere ſermonem ſuum ad animam intellectiuam: & ideo dicendum eſt, quod etiam uidetur dicere S. Thomas, Ariſtotelem in illis uerbis inferre aliud corollarium contra Platonem, & alios, qui, ponentes tranſmigrationem animarum, putabant animam adeſſe corpori, ſicut motor adeſt rei motæ, & nauta naui. hæc autē ſunt uerba Ariſtotelis eo loco: *quod igitur non ſit anima ſeparabilis a corpore, aut partes quædam ipſius, ſi partibilis eſt natura, non immanifeſtum eſt. quarundam enim actus partium eſt ipſarum: at uero quaſdam nihil prohibet, propterea quod nullius corporis ſunt actus, amplius autem immanifeſtum, ſi ſic corporis actus anima ſicut nauta nauis.* quaſi dicat, non eſſe immanifeſtum, immo clarum, & manifeſtum, animā eſſe inſeparabilem a corpore, aut partes quaſdam ipſius; at uero illud immanifeſtum, ſi ſit actus, ſicut nauta nauis, immo aperte falſum, cum iam dictum ſit, animam eſſe actum primum, & eſſe eſſentiam, ſeu quiditatem corporis animati.

Quod uero ex tripartita diuiſione ſubſtantiæ, quam conſueuit Ariſtoteles afferre, non ſolum non confirmetur, ſed infirmetur potius, & tollatur iſta forma aſſiſtens, iam oſtendimus: & ideo accedamus nunc ad ſoluenda alia argumenta, quibus nititur falſa hæc ſententia.

Adducitur ergo, uel pro ea adduci poteſt alius locus ex 12. Metaph. tex. 9. ubi ponens Ariſtoteles diſcrimen inter cauſſas efficientes & formales, dixit, hoc intereſſe, quod efficientes cauſſæ antecedūt, formales uero ſunt ſimul cum eo, cuius

tex. 16. ex Auerr.

cuius ſunt cauſſæ,ſiue cum ipſo compoſito. ſed anima intellectiua antecedit homini,teſte Ariſtotele 2. de generat.animal. cap. 3. non ergo eſt forma hominis: quare ſequitur,ipſam tantummodo aſſiſtere ipſi. Reſpondeo,illum locum, ſi bene intelligatur,non ſolum non infirmare, ſed potius confirmare hanc noſtram concluſionem: quia poſt illa uerba, quæ pro aduerſarijs citantur, ſtatim ſubiungit Ariſtoteles, nihil prohibere formam aliquam remanere, & dicit talem formam eſſe humanam mentem. quare ex eo loco duo pro tempore colligimus; alterum quidem, quod anima intellectiua ſit forma hominis: quod etiam recte colligit S. Thomas: alterum uero, quod remaneat poſt mortem. quod ſi dicas,ſi anima intellectiua antecedit compoſito,& remanet poſt ipſum, ſequetur, tolli illud diſcrimen, ibidem poſitum ab Ariſtotele inter cauſſam efficientem,& formalem; negabo iſtam conſequentiam,quia omne efficiens per ſe antecedit non ſolum natura, ſed etiam tempore, ſaltem ut plurimum: at non omnis forma antecedit, immo inter formas ſola anima intellectiua antecedit natura: quare animaduertens Ariſtoteles id,quod plurimum uenit,& quod conuenit efficienti per ſe, & formæ per ſe,poſuit illud diſcrimen inter utramque cauſſam. & ita ſoluitur obiectio contra hanc noſtram concluſionem,& aliam, quam de ſententia dumtaxat Ariſtotelis poſuimus in ſecunda noſtra ſuperiori diſputatione: nam,ſi remanet anima intellectiua,ſequetur,ex ſententia ipſius,ipſam etiam antecedere,quia,ex eiuſdem ſententia,quod eſt æternum ab una parte,eſt etiam æternũ ab utraque. Ad rationes uero ipſorum facile reſpondemus: ac primum, cum argumentantur: omnis forma, quæ dat eſſe materiæ, eſt materialis: ſed intellectus non eſt materialis: ergo non dat eſſe materiæ: negamus illam maiorem: quare dicimus,duplicem eſſe formam, alteram, quæ educitur è potentia materiæ, & pendet ab ipſa, & hæc eſt materialis; alteram, quæ extrinſecus accedit, qualis eſt intellectus, & huiuſmodi non eſt materialis. licet enim intellectus pendeat a materia,quoad operationes,nō pendet tamen quoad

eſſentiam. ſi uero dicas, id, quod dat eſſe rei corruptibili, eſt corruptibile: dico,id,quod dat eſſe rei corruptibili,ſi nõ educatur ex materiæ potentia,non eſſe corruptibile: ſed intellectus,ex eiuſdem Ariſtotelis ſententia, non educitur de potentia materiæ.

Quod ſi addas,principia corruptibilium ſunt corruptibilia,iam diximus,interpretãtes uerba illa Ariſtotelis, falſam eſſe propoſitionem in uniuerſum, cum materia prima, quæ etiam eſt ingenerabilis,& incorruptibilis,ſit principium rei corruptibilis.

Cum uero ſecundo loco arguitur, ſi anima intellectiua eſt coniuncta corpori ſecundum eſſe, aut illud eſſe coniunctum eſt ſubſtantia animæ, aut accidens eius: ſi ſit ſubſtantia,ſequetur, animam, quando non erit amplius coniuncta corpori,non fore animam: ſi uero ſit accidens,uel propriũ, & inſeparabile, uel ſeparabile: ſi inſeparabile, ſequetur, ſi ſubſtantia animæ remaneat poſt mortem, remanere etiam unionem eius cum corpore. quod ſi non remaneat unio,nõ manebit ſubſtantia animæ: ſi uero dicatur, coniunctionem animæ cum corpore eſſe accidens ſeparabile,& ratione accidentis ſeparabilis conſtituere hominem in ſuo eſſe ſpecifico: reſpondeo,ſecundum ueritatem fidei Chriſtianæ, illam coniunctionem abſolute eſſe accidens ſeparabile: non tamẽ inde ſequitur, ratione accidentis animam conſtituere corpus,quia,licet unio ſit accidens,& relatio,tamen eſſe, quod dat anima,eſt ſubſtantiale.

Argumentum uero difficilius, quia, ſi anima intellectiua ſit forma corporis, mouebitur motu corporis, iam ſolutum eſt: ſed,quamuis eſſet forma tantum aſſiſtens,immineret tamen illud idem argumentum.

Ad tertium uero,reſpondeo,deſinente compoſito, deſinere illam formam,quæ educitur e potentia materiæ.

Ad quartum,nego illud aſſumptum,quo utuntur,ſcilicet, quod nullum incorruptibile det eſſe generabili,& corruptibili,quia etiam materia prima eſt incorruptibilis ſecundum Ariſtotelem, & tamen concurrit ad compoſitionem rei gene-

nerabilis,& corruptibilis: multo ergo magis id præſtare poterit forma incorruptibilis.

Ad quintum uero,cum dicunt, ſi intellectus det eſſe homini,nullum indiuiduum hominis erit generabile, & corruptibile, reſponderet Ariſtoteles, negando conſequentiam, & diceret,hominem,quatenus homo eſt,in illo exemplo poſito in extremo primo libro Priorum Anal. non eſſe generabilem,& corruptibilem,ſed quatenus ſenſibile, ſiue quatenus animal: indiuidua uero hominis,ex ſententia eiuſdem, non habere eſſe ab intellectu,& ideo hunc,uel illum hominem,quatenus talis eſt,eſſe generabilem, & corruptibilem: homo enim primo ſignificat animam intellectiuam, ſecundo,corpus, & phantaſiam deliberatiuam, quarum ratione corrumpitur hic, & ille homo: ceterum reſpondemus, negando conſequentiam,quia,licet eſſe animæ ſit incorruptibile,tamen communicatio huius eſſe, quæ ſit compoſito in hac uita,aliquando peribit.

Ad ſextum uero,diceret Ariſtoteles, quod, licet intellectus det eſſe homini,non tamen idem eſt eſſe tui,& eſſe mei, quia intellectus,ut ante dictum eſt, de ſentẽtia Ariſtotelis, non dat eſſe huic,& illi homini,quatenus tales ſunt,ſed quatenus ſunt homines: nam, quatenus tales ſunt, ut puta Socrates,uel Plato,habent eſſe a phantaſia rationali, quæ diuerſa eſt in diuerſis hominibus: uerum nos reſpondemus ſicut ad quintum.

Cum uero ſeptimo dicunt,ſi intellectus det eſſe homini, ſequetur,eandem formam dare eſſe diuerſis, loco, & ſubiecto diſtinctis: ego primum reflecto argumentum, quia per ipſos quoq. eadem forma intrinſecus aſſiſtet diuerſis loco & ſubiecto diſtinctis. quare, ſi poteſt aſſiſtere, poterit etiam dare eſſe: reſponderet etiam Ariſtoteles ad idem argumentum, negando falſitatem conſequentis: non enim abſurdum exiſtimaret Ariſtoteles, unam, & eandem formã indiuiſibilem dare eſſe diuerſis, non quatenus diuerſa ſunt, ſed quatenus habent idem ſpecie corpus humanum: ſed nos dicimus,non eſſe eandem numero formam, ſed diuerſam.

Cumq. octauo loco argumentantur,ſi intellectus dat eſſe homini; corruptibile, & incorruptibile erunt eiuſdem generis phyſici,quia homo eſt incorruptibilis,reliquæ ſpecies animalium ſunt corruptibiles,& tamē animalia omnia ſunt in eodem genere phyſico,& uniuoco: reſponderet Ariſtoteles, hominem ratione corporis, & phantaſiæ, per quam reponitur ſimul in genere animalis,differre etiam ſpecie ab alijs animalibus, quæ phantaſia dat homini eſſe incompletum. completum uero huic & illi homini,ratione, inquam, horum hominem eſſe corruptibilem,ſed ratione intellectus eſſe incorruptibilem: & ideo non ſequitur, corruptibile, & incorruptibile eſſe in eodem genere uniuoco. Sed nos dicimus,hominem eſſe corruptibilem, quamuis anima incorruptibilis exſiſtat.

Ad nonum uero,cum dicunt, omne compoſitum eſt finis formæ dantis eſſe, quare,ſi intellectus det eſſe homini, ſequetur,hominem eſſe finem intellectus, ſicq. nobiliorem intellectu: ad hoc,inquam,argumentum reſpondeo,negando aſſumptum,immo dico,formam eſſe finem compoſiti, & idcirco nobiliorem ipſo.

Reſtat ſoluendum argumentum in principio quæſtionis adductum,uidelicet: idem non poteſt habere eſſe a diuerſis formis: ſed,cum in homine ſint duæ animæ,ſicq. duæ formæ re diſtinctæ,& ambæ non poſſint dare eſſe,ſequetur,alteram tantum aſſiſtere. Reſponderet Ariſtoteles,duplex, quod ad propoſitum pertinet,eſſe ipſius hominis eſſe: alterum ſpecificum,quod diuiditur in perfectum,& in imperfectum; alterum uero numerale. homo habet eſſe ſpecificum completum,& perfectum ab intellectu,a phantaſia uero numerale, & ſpecificum, inchoatum tamen, & imperfectum: phantaſia enim ponit hominem in ſpecie diuerſa a formis brutorū, &,quantum ad ipſam pertinet,facit hominem perfectiorem ceteris animalibus, ſed non ponit eum in eſſe perfecto hominis,per quod accedit quodammodo eſſe diuinum. homo enim, ut perfectus, & omnibus numeris humanitatis abſolutus, continet etiam animam rationalē, per quam ad Deū

pro-

proximius, quam cetera animalia, accedit.

Cum uero diximus, phantaſiam ponere hominem in ſpecie hominis, dicimus, quod non ita ponit, ut ſit, uel poſſit eſſe in ſubiecto, in quo non ſit anima rationalis. nam, cum phantaſia hominis ſit tantæ perfectionis, ut ſit apta parere rationi, niſi in eodem ſubiecto eſſet coniuncta cum anima rationali, fruſtra dediſſet ei natura illam aptitudinem, quare natura uoluit ipſam ſemper eſſe in eodem ſubiecto cum anima rationali; & per hanc coniunctionem fecit naturam humanam mediam inter corruptibilia ſimpliciter, & incorruptibilia: quæ natura partim quidem eſſet corruptibilis, partim uero incorruptibilis; corruptibilis quidem, ratione corporis, & phantaſiæ; incorruptibilis uero, ratione intellectus: dedit autem huic phantaſiæ, quod ſæpe attigimus, maiorem perfectionem, quam phantaſiæ brutorum, ut ipſa poſſet inſeruire animæ rationali: quod præſtare non poſſent animæ brutorum. quia ergo homo mediam naturam habiturus erat inter mortalia, & immortalia, cæleſtia, & terreſtria, iccirco diceret Ariſtoteles ipſum habuiſſe eſſe a duabus formis; ab altera, perfectum, quod conuenit humanæ naturæ, ſcilicet eſſe diuinum, quod habet per mentem; ab altera uero, imperfectum, quod etiam imperfecte collocat hominem in ſpecie hominis, & diſtinguit etiam ipſum a brutis.

Caput VIII.

SEd dicet aliquis: tu ex ſentẽtia Ariſtotelis tribuis homini duplex eſſe, & concedis, utrumq. ipſi cõuenire, quatenus homo eſt; alterum perfectũ quod eſt eſſe diuinũ, & illud dari ab intellectu; alterum imperfectũ, & illud dari a phantaſia deliberatiua: ſed illud eſſe perfectũ non uidetur conuenire homini, quatenus homo eſt, ſed quatenus diuinum quoddam: &, quia illud eſt a mente, uidetur effici, ut mens non det eſſe homini. quod uero illud eſſe perfectum non cõueniat homini, quatenus homo eſt, uidetur patere ex Ariſtotele

ſtotele x. Ethic. cap. 7. ubi, cum locutus eſſet de uita ciuili, deq. actionibus, & uirtute illa, a uirtutibus moralibus procedente, quæ quidem eſt felicitas actiua, conuertens ſermonem ad contemplationem & ad uitam in contemplatione poſitam, poſt multa, hæc uerba ſubiunxit: *Talis autem uita ſuperat hominis naturam. non enim hoc ipſo, quo homo eſt, ita uiuet, ſed quo eſt in ipſo quid diuinum. quantum igitur hoc ab ipſo compoſito differt, tantum & huius operatio diſtat ab ea, quæ uirtute alia proficiſcitur.* Quod ſi mens diuinum quiddam ad ipſum hominem eſt, & uita, quæ ab hac manat, diuina eſt, ratione ipſius uitæ humanæ. deinde in cap. 8. dixit: *at compoſiti uirtutes humanæ ſunt, quare & ea uita, quæ ab ipſis proficiſcitur, & felicitas humana eſt, mentis autem eſt ſeparati.* ſi ergo felicitas actiua conuenit homini, quatenus homo eſt, contemplatiua uero non quatenus eſt homo, ſed quatenus in ipſo eſt quid diuinum, uidetur ſequi, mentem non dare eſſe homini, quatenus homo eſt, ſed tantum ipſi aſſiſtere.

Reſpondeo, utramq. felicitatem conuenire homini quatenus homo eſt, quia utraq. prouenit ab illa uirtute, quæ humana eſt, ut dicebat Ariſtoteles primo Ethic. ult. ubi hæc uerba habuit: *de uirtute autem humana ſcilicet conſiderandum eſt, nam de bono humano, & de felicitate humana quærebamus.* uirtutem uero humanam diuidit in moralem, & intellectiuam. Item in eodem cap. 7. 10. Ethic. dicebat, optimam, & iucundiſſimam homini eſſe illam uitam, quæ ab ipſa mente oritur. ſi ergo per mentem homo eſt homo, & felicitas contemplatiua inſit homini, quatenus habet mentem, ſequetur, eam ineſſe homini, per id, quo eſt homo: &, quoniam homo per mentem, quæ diuinum eſt quiddam, homo eſt, ſequitur, ipſum, quatenus eſt homo, illud diuinum participare, &, quatenus eſt homo, conſequi illam felicitatem, quæ conuenit homini, quatenus diuinum quiddam participat. Item ibidem dicebat, abſurdum eſſe, ſi non ſuam, ſed alicuius alterius uitam expeteret.

Cum uero obijciebatur, Ariſtotelem in eodem cap. dixiſſe, talem uitam ſuperare hominis naturam, neque qua ho-

mo eſt ita uiuere, ſed quatenus in ipſo eſt diuinum quiddã: reſpondeo, hominem poſſe dupliciter conſiderari: altero modo, quoad phantaſiam propriam; altero modo, quoad intellectum, &, quia intellectus diuiditur in contemplatiuũ, & practicum: ſequitur, eundem ratione etiam intellectus poſſe dupliciter conſiderari. quomodo uero cumq. conſideretur, omnia illa, quæ conueniunt ei ratione intellectus, ſeu contemplatiui, ſeu practici, conueniunt ei, quatenus eſt homo: intellectus tamen contemplatiuus comparatus non ſolum ad phantaſiam, ſed etiam ad intellectum practicum, uidetur potius eſſe diuinum quiddam, quam humanũ, quia cõtẽplatio cõuenit Deo, ut dicebat Ariſtoteles 11. Ethic. cap. 8. cui non conuenit actio: quare uita, & operatio, quæ prouenit ab intellectu contemplatiuo, ſicq. felicitas contẽplatiua ſuperat illam hominis naturam, quæ tum ratione intellectus practici, ſiue operatiui conuenit ipſi homini, nõ eam, quæ conuenit ei ratione intellectus contemplatiui: hinc fit, ut homo, uiuens uita contemplatiua, dicatur uiuere per id, quod in ipſo diuinum eſt, ſi illud, quod tamen eſt proprium homini, nempe intellectus contemplatiuus, comparetur non ſolum ad corpus, & ad uitam ſenſitiuam propriam hominis, ſed etiam ad intellectum operatiuum: utraque ergo uita, tum contemplatiua, tum actiua, utraque etiã felicitas cõuenit homini, quatenus homo eſt. ſed, quia actiua conuenit ſoli homini, contemplatiua uero maxime conuenit Deo, & alijs mentibus ſeparatis, quibus ex ſententia Ariſtotelis non conuenit alia uita, neque alia felicitas: iccirco per contemplationem homo maxime accedit ad Deũ, & dicitur participare ipſam, quatenus diuinum quiddam participat: quare & eſſe, quod habet homo ab intellectu, eſt eſſe humanum perfectum & omnibus numeris abſolutũ: ſi tamen comparetur intellectus contemplatiuus ad operatiuum, hic dicetur humanus, & operatio eius dicetur humana, quia conuenit ſoli homini, ille uero diuinus, quia operatio eius ad operationem diuinam proximius accedit. quod uero rem ita ſe habere ſenſerit Ariſtoteles, & in hoc

ſenſu comparatiue locutus ſit, poſſumus intelligere ex uerbis eius 8. cap. 10. Ethic. ſcriptis in hunc modum: *nam felicitatem perfectam contemplatiuam quandam operationem eſſe, hinc quoq. fuerit manifeſtum. Deos enim maxime beatos eſſe putamus, atque felices: at, quoſnam actus tribuere illis oportet? iuſtosne? ſed ridiculi ſane uidebuntur, ſi commutent, & depoſita reddant, & huiuſmodi cetera agãt? an fortesne, propterea quod formidoloſas res ſuſtinent, periculaq. ſubeũt ipſius honeſtatis cauſſa? an liberales? at cuinam dabunt? abſurdum eſt inſuper, ſi nummos etiam habeant, aut aliquid tale. an temperantes? ad quidnam fuerint? an laus ſit importuna; ſi prauas dij cupiditates non habere dicantur? Ita per omnia diſcurrenti cuncta, quæ ſunt circa actus, parua quædam & digna dijs immortalibus ſane uidentur: at uero uiuere ipſos uniuerſi putant, quare & operari. non enim oportet illos, ut Endymionem aiunt, dormire. Viuenti igitur ei, cui actio, & multo magis affectio non tribuitur, quidnam aliud, præter contemplationem, reſtat? quare Dei operatio præcellens beatitudine contemplatiua ſine controuerſia fuerit, & humanarum igitur operationum ea homo eſt ſumme felix, quæ illi maxime eſt cognata, ſignum eſt huius, & animalia cetera felicitatis expertia eſſe tali penitus operatione priuata: nam dijs quidem tota eſt uita beata talem habentibus operationem; hominibus autem quoad ipſos, talis operationis quædam ineſt ſimilitudo.* Cum ergo contemplationem appellet Ariſtoteles humanam operationem, ſequitur, uitam contemplatiuam ipſam quoque humanam eſſe: ſed, quia habet ſimilitudinem cum operatione diuina, iccirco dicitur diuina, & maxime dicitur diuina, ſi comparetur ad actionem, quæ non conuenit Deo, ſed conuenit ſoli homini, & ideo dicitur conuenire homini, quatenus eſt homo. Adde etiam, quod homo, ut dicebat Ariſtoteles 1. Polit. eſt animal ſociabile: &, quia actiones reſpiciunt humanam ſocietatem, iccirco dicuntur conuenire homini, quatenus eſt homo: & ideo in eodem cap. 8. 10. Ethic. dicebat Ariſtoteles, *ſed hoc ipſo, quo homo eſt, & cum pluribus uiuit, expedit ei ea agere, quæ a uirtute proficiſcuntur.* ubi Virtutem appellat, quod ſæpe facit, ſolam moralẽ, quod etiam fecit 1. Rhetor. cum dixit, commune eſſe omnium bonorum, quod poſſimus ipſis abuti; præterquam uirtutis.

Caput

Caput IX.

SEd dicet aliquis, Si homo habet eſſe a duabus formis, ſequetur, ipſum neceſſario definiendum eſſe per duas formas, & conſequenter per duas differentias. ſed, definientes hominem, diximus, ipſum eſſe animal rationale: & hæc cõmuniter exiſtimatur eſſe uera hominis definitio: neque tamen habet duas, ſed unam tantum differentiam: & ideo nõ uidetur continere niſi animam rationalem.

Reſpondeo, non ſolum non eſſe abſurdum, ſed neceſſariũ, ut homo definiatur per duas differentias: &, cum definitio explicet ſubſtantiam rei definitæ, neceſſario conſtituenda eſt ex omnibus illis rebus, quæ ſunt de eſſentia definiti: alioquin ipſa non declararet eſſentiam rei definitæ. cum uero inferebatur, ergo in definitione hominis erunt ponẽdæ duę differentiæ: reſpondeo, neceſſarium eſſe, duas illas differentias poni in definitione hominis, quæ quidem licet non ſignificentur diuerſis uocibus, ſatis eſt, ut una uoce ſignificentur. nam rationale ſignificat animam, quæ eſt particeps rationis, & illam, quæ eſt apta parere rationi, qualis eſt phantaſia humana, teſte Ariſtotele 1. Ethic. cap. ult. & ideo, ut ſæpe dictum eſt, conſueuit Ariſtoteles appellare illam phantaſiam rationalem, atque etiam deliberatiuam. quod uero una tantum uoce ſignificentur non ſolum illæ duæ formæ; ſed & aliæ animæ, & omnino omnes aliæ formæ priores, quæ poteſtate continentur in ſenſitiua propria hominis, cum ipſæ ſint eiuſdẽ generis, ex eo perſpicue intelligi poteſt, quod, cum genus in definitione referat materiã, animal, quod eſt genus proximum hominis, refert non ſolum materiam primam, ſecundam, & tertiam, & omnino omnes materias uſq. ad materiam propriam hominis incluſiue, quæ materia eſt propria hominis temperatura; ita & differentia illa rationale refert omnes formas. nam, quod omnes materiæ; ſicut & formæ omnes rei definitæ, debeant in definitione contineri, ſeu per definitionem ſignificari, ex eo intelligi poteſt, quod aliter definitio non ſignificaret naturam rei definitæ;

neque faceret nos ſcire rem definitam, cum ad ſcientiam cauſſati requiratur cognitio omnium cauſſarum. Sic igitur hucuſq. demonſtratum ſit, animam intellectiuam, non ſolū ex ipſa ueritate, ſed etiam ex ſententia Ariſtotelis eſſe ueré formam hominis, neque tantum operationes, ſed etiam eſſentiam hominis perficere: quare illos conſtat non eſſe audiendos, qui putant, immortalitatem eius non poſſe integram remanere, niſi ponatur forma tantum aſſiſtens, & perficiens tantum operationes hominis, non autem eſſentiam ipſius. quæ opinio, aliena non ſolum a ſententia Ariſtotelis, ſed etiam a ueritate Catholica, optimo iure damnata eſt in Generali Concilio tum Vienenſi ſub Clemente Papa V. tum Lateranenſi ſub Leone Papa X. celebrato.

Clement. 1 § porro de ſumma Trinit. & fide Cath. Conc. Later. nouiſſimum ſeſſ. 8 in Bulla Apoſto. regiminis ſollicitudo.

Caput X.

SEd cū hactenus multa ſint diſputata de immortalitate, deque origine animæ rationalis, de unitate, uel multiplicatione eius, de natura intellectus agentis, de numero animarū, quæ ſunt in homine, & unde pendeat eſſentia eius, an ſcilicet intellectiua aſſiſtat tantum ipſi, an uero det eſſe, poſtremo, ne quid, quod ad hanc diſputationem pertineat, intactum relinquatur, quærendum, quo tempore, quo modo, & unde nobis adueniat anima intellectiua. Quæ quidē quæſtio licet ardua ſit, & teſte etiam Ariſtotele 2. de generatione anim. cap. 3. difficilem habeat explicationem; enitemur tamen pro uiribus, quid de ea ſenſerit Ariſtoteles, (quod in alijs fecimus) explicare, ueritate tamen minime omiſſa, ut non ſolum, quid ſenſerit Ariſtoteles, ſed quid nobis ſentiendum ſit, intelligatur. Hæc quidem quæſtio pertinet ad libros de generatione animalium, quia in 2. libro quæritur, quo tempore adueniat anima intellectiua, quod nihil aliud eſt, niſi quærere, quo tempore terminetur generatio hominis, quæ terminatur, quando acquiritur anima intellectiua, teſte eodem Ariſtotele loco citato, dicente, eā eſſe finem generationis: & ideo ſubiungebat: *Quamobrem de mente, & quonam tempore, & quomodo, & unde eam recipiant, quæ*

principium id participant, plurimum dubitatur, tamen'q; commodioris,& abundantioris doctrinæ cauſſa,nonnulla de hac re hic diſputabimus,& ea,quæ ad inſtitutum pertinent,ex eo loco accipiemus. ſed,quoniam res eſt difficilis,neque ab Ariſtotele alicubi,ſaltem aperte,explicata,diuerſi in diuerſas ſententias abierunt. quare eorum opiniones, ſaltem potiores, operæpretium erit percurrere.

Nonnulli igitur ſenſerunt,nullam animam aduenire animali, niſi poſtquam fetus perfectus ſit, & abſolutus. quod ſi illud ipſis obijciatur,quod uidemus fetum exercere opera uitae,nutritur enim,augetur,&q; ſentit,mouetur etiam, quãuis adhuc non ſit perfectus, reſpondent; has operationesq; quæ fiunt in fetu, neque ab anima prouenire, neque ab aliqua uirtute animæ in ipſo exſiſtente; ſed ab anima matris. At hæc ſententia repugnat rationi,& ueritati: ſi enim uera eſſet,fetus non eſſet uiuens,neque animal: quod tamen ueritati,& ſententiæ Ariſtotelis aduerſatur, aduerſatur etiam rationi,quia operationes uitales immediate non prouenĩũt a principio extrinſeco,ſed à principio intrinſeco; & ideo, ſi fetus non haberet animam propriam,non poſſet uere nutriri,quia nutritio eſt a principio intrinſeco: immo non ſolum dixit Ariſtoteles fetum adhuc imperfectum uiuere; ſed dixit,cor primum omnium membrorum produci, & ſtatim uiuere,quia ſaltem uiuit anima uegetatiua.

At dicet aliquis,ſi cor uiuit, & fetus imperfectus etiam ſit animal,ſequetur,dari minus minimo.

Præterea,illud non eſt uiuens, quod per ſe non nutritur; ſed fetus non nutritur per ſe, quia non nutritur proprijs organis, cum ſanguis ipſi ſubminiſtretur a matre per uenam umbilicalem,quo fit,ut fetus non ſolum non ſit animal, ſed neque etiam uiuens.

Ad primam obiectionem dicimus, non eſſe illud abſurdum,quod detur minus minimo, dum ſit animal.

Ad ſecundam uero, negamus, fetum non nutriri per ſe, quia per animam,quã habet, ſanguinem ſibi a matre tranſmiſſum conuertit in ſui ſubſtantiam. Cum uero obijciebatur,

tur, ipſum non nutriri proprijs organis: reſpondeo, quod, licet non utatur proprijs organis, ſaltem omnibus, quia non utitur uentriculo, ſatis eſt tamen, quod ſuo tempore poſſit uti. non enim audiendus eſt Ioan. Grammaticus 2. de anima in una reſponſione, ubi dicit, fœtum, donec eſt in utero, non eſſe animal, ſed, cum in lucem editur, tunc fieri animal perfectum, & tunc etiam uitam rationis participẽ ſuſcipere.

Ioan. Grã-ma. 2. de Anim. ſuper tex. 3. & ſuper tex. 59

Caput XI.

Alij uero fuerunt in ea ſententia, cum hac, quam nuper refutauimus, omnino pugnante: quod, ubi decidit ſemen ab aliquo corpore animato, tunc temporis una cum ſemine traducantur etiam ipſæ animæ omnes, quæ aſſiſtant ipſi ſemini. quod ſi dicas, operationes animæ non eſſe conſpicuas in ſemine, quare in ipſo nullam eſſe animam: reſpondent, hoc prouenire ex defectu organorum. ſed, hanc ſententiam repugnare ueritati, multis argumentis oſtenditur: ac primum, quia anima eſt actus corporis organici, ſemen non eſt organicum, ergo non habet animam.

Secundo, ſi anima initio eſſet in ſemine, ſequeretur, generationem animalis fieri per ſolam ſeminis deciſionem, & in ipſa ſeminis deciſione generari animal: quod omnium abſurdiſſimum eſt.

Tertio, ſequetur, ſemina plantarum, atque etiam oua animalium eſſe animata.

Quarto, ſequeretur, omnes tranſmutationes ſequentes deciſionem ſeminis eſſe impertinentes ad formam, quia, ſi ſemen, ubi ſtatim decidit, haberet animam, tranſmutationes illæ nihil facerent ad acquiſitionem animæ.

Quinto, ſequeretur, generationem inſequi, & non antecedere formam ipſam. conſequens eſt falſum, quia generatio ſubſtantialis natura præcedit formam, non ſequitur.

Sexto, ſequeretur, in quacumque ſeminis humani deciſione, licet ex illo ſemine nihil produceretur excidi, animã intellectiuam, & cum illo etiam ſemine traduci: quod omnium abſurdiſſimum eſt.

Poſtre-

Poſtremo, hæc ſententia aduerſatur Ariſtoteli 2. de generat. animalium, cap. 3. ubi propoſitam quæſtionem, an animæ ſint in fetu, ſoluit, dicens, omnes animas prius haberi potentia, quam actu, &, incipiens a uegetatiua, de qua minus uidebatur, dicit, eam in ſeminibus, & conceptibus nondum ſeparatis, ſcilicet a reliqua materia, ex qua non fit generatio; quæue remanet extra fetum, & nondum propria membrana obductis potentia ineſſe, non actu, priuſquam cibum trahant eo modo, quo trahunt conceptus iam ſeparati, & ſuis membranis obducti, quique iam habent uenam umbilicalem, per quam a matre trahunt alimentum.

De anima ſenſitiua pari modo dicendum eſſe ſubiungit, atque etiam de intellectiua. omnes enim potentia prius haberi, quam actu, neceſſe eſt; deinde, paullo infra, epilogans, dixit: *de anima quomodo conceptus, & genitura habeant eam, & quomodo non habeant, definitum iam eſt: potentia enim habent, actu non habent.* Eandem ſententiam habuit 2. de anima, tex. 10. quo, declarans uerba illa, *potentia uitam habentis*, quibus uſus fuerat in definitione animæ, dixit, ſe potentia uitam habens non appellare illud, quod abiecit animam, ut cadauer, neque id, quod eſt aptum habere, ut ſemen, & fructus, ſed quod actu habet animam, non tamen exercet opera eius.

Ex quibus uerbis colligitur, falſam eſſe Ioannis Grammatici opinionem, qui ſuper 2. de generatione animalium dixit, animam uegetatiuam traduci cum ſemine; quam opinionem ſecutus eſt Sueſſanus ibidem. dicebat enim Ioann. Grammaticus, ſemen animatum eſſe anima, quam accepit a patre, eamq. primum tribuere cordi una cum uirtute formatiua. Sed hanc Ioannis opinionem, præter cetera, quæ ante attulimus, redarguunt etiam uerba Ariſtotelis, quibus uolens probare, animam uegetatiuam, & ſenſitiuam non poſſe extrinſecus accedere, & aduenire illi corpori, cuius ſunt animæ, dixit, *nec enim ipſæ per ſe accedere poſſunt, cum ſint inſeparabiles, neque cum corpore: ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt.* quorum uerborum ille eſt ſenſus, non poſſe illas animas extrinſecus accedere, quia aut per ſe ipſas accederent, aut cũ

ſemine traducerentur: per ſe ipſas non poſſunt accedere, quia, cum ſint inſeparabiles a corpore, ſine corpore deferri non poſſunt: neque poſſunt traduci cum ſemine, quia ſemẽ eſt excrementum alimenti mutati, & conuerſi in ſubſtantiã rei nutritæ: quare non eſt pars rei animatæ, & iccirco non poteſt eſſe ſubiectum animæ, neque ipſam deferre. Ex quibus intelligitur, nullam animam cum ſemine deferri poſſe. quod etiam confirmant, & alia efficaciſſima ratione indicãt ea, quæ ante dixerat Ariſtoteles 2. de generatione animalium cap. 3. his uerbis: *ſed habeatne ſemen animam, necne, ratio eadem, atque de partibus, reddenda eſt. nec enim anima ulla poteſt eſſe in alio, niſi in eo, cuius eſt, neque pars ulla eſſe poteſt, quod particeps animæ non eſt, niſi æquiuoce, ut mortui oculus*. ibi enim propoſita quæſtione, an ſemen habeat animam, ſoluit per ſimilitudinem, dicens, eandem eſſe rationem de ſemine, & de partibus uiuentium. nam, ſicut illæ non ſunt tales partes, niſi ſint coniunctæ cum toto, ſicq. ſint animatæ, quia anima non poteſt eſſe in alio, quam in eo, cuius eſt anima, hoc eſt in corpore inſtrumẽtario, cuius ipſa eſt actus, ita etiã neque ſemen eſt animatum, quia non eſt corpus inſtrumentarium, ubi Ariſtoteles utitur eadem ratione ſumpta a definitione animæ, qua nos in omni anima paullo ante utebamur: uidelicet: anima eſt actus corporis organici, ſed ſemen non eſt corpus organicũ, ergo non eſt animatum.

Neque dicendum eſt, ſemen habere animam quoad eſſentiam, non quoad operationes, quia loquitur etiam de eſſentia animæ, cum dicit, animam non poſſe eſſe niſi in eo, cuius eſt, hoc eſt in corpore organico, cuius eſt actus. quod ſi obijciat aliquis uerba Ariſtotelis in eodem 2. lib. princ. fere cap. 3. dicentis, *conceptum enim nemo inanimatum eſſe ſtatuerit uita omnibus modis priuatum, quippe cum nihilominus ſemina, & conceptus animalium uiuant, quam ſtirpes, & aliquandiu prolifica ſunt, ergo animam in his haberi uegetantem palam eſt*: reſpondebo, Ariſtotelem loqui de ſeminibus plantarum, quæ, intra terram incluſa, iam ex potentia animatis facta ſunt actu animata, loqui etiam de conceptibus animalium iam ſeparatis a reliquo

ſangui-

ſanguine,& propria membrana obductis. conceptum enim dicebat Ariſtoteles 1. de generatione animalium cap. 20. ſe appellare primam ex mare,& femina mixturam,quæ mixtura non ſtatim ab ipſo congreſſu maris,& feminæ, ſed procedente tempore, & paucis poſt diebus obducitur propria membrana, & tunc ille conceptus dicitur ſeparatus, & actu uiuit anima uegetatiua, cum,antequam obduceretur propria membrana,illam potentia tantum, non actu, haberet.

Quod uero de conceptibus illis ſeparatis loquatur,& nõ accipiat ſemina plantarum abſolute, & conceptus etiam abſolute,& indiſtincte,indicant ſequẽtia illa uerba,uidelicet: *animam igitur uegetalem in ſeminibus conceptibus nondum ſeparatis haberi potentia ſtatuendum eſt,non actu priuſquam eo modo,quo cõceptus, qui iam ſeparantur,cibum trahant,& officio eius animæ fungantur. principio enim hæc omnia uitam ſtirpis uiuere uidentur*, id eſt ſemina plantarum, & conceptus iam ſeparati uidentur uiuere uitã ſtirpis. ſubiungit etiam alia uerba clariſſima,cum de anima ſenſitiua & intellectiua, tum de omni anima, quibus indicat,animam uegetatiuam prius haberi potẽtia,quam actu, ſicq. non traduci cum ſemine. dicit enim: *de anima quoque ſenſuali pari modo dicendum eſt,atque etiã de intellectuali. omnes enim potentia prius haberi,quam actu neceſſe eſt.* & tandem, epilogans,dicit: *de anima,quemadmodum conceptus, & genituræ eam habeant, & non habeant,definitum iam eſt: potentia enim habent,actu non habent.*

Si item quiſpiam obijciat nobis uerba Ariſtotelis in eodem 2.libro de generatione animalium cap.4. ubi dicebat, corpus ex femina eſſe, animam ex mare, quibus uidetur ſignificare, omnes animas cum ſemine traduci: reſpondeo, hoc non ſequi ex illis uerbis,quippe quæ declarantur ab eodem Ariſtotele in eodem 2.libro cap.1. ubi dicebat,patrem dare motum ipſi ſemini, ſemen motum mouere ſanguinem menſtruum,ex cuius potentia educit uegetatiuam, & ſenſitiuam,& ita pater eſt cauſſa efficiens illarum animarum medio tamen inſtrumento,ſcilicet ſemine, hæc autem ſunt uerba Ariſtotelis: *omnia,quæcumque, aut arte,aut natura efficiuntur,ab eo quod actu eſt, fiunt ex eo quod potentia tale eſt. ſemen igitur tale eſt, motumq. habet,& principium tale,ut,motu peracto,pars exſiſtat quæque,*

eademque

eademque ſit animata. motum uero appellat Ariſtoteles uim motricem, ut ex eodem Ariſtotele ibidem cap. ult. licet intelligere: deinde paullo infra ſubiungebat hæc uerba: *motus autem naturæ in ipſo eſt ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam*: ſemen uero ipſum non habere actu animã, ſtatim oſtendebat, in uerbis ſequentibus, a nobis ſupra commemoratis. Facultas igitur, quæ a patre eſt indita ſemini, agit in ſanguinem feminæ, & ex eius potentia educit animam uegetatiuam primum, poſtea ſenſitiuam: ſicq. illæ animæ dicuntur a patre per uim motricem ab ipſo patre impreſſam ſemini, per quam uim motricem anima uegetatiua, & ſenſitiua educuntur e potentia materiæ. &, quia anima intellectiua ſequitur ſenſitiuam propriam hominis, iccirco ipſa quoquo modo eſt a patre, non tamen ſicut aliæ, quæ a facultate ſeminis motrice educuntur e potentia materiæ, cum ad intellectiuã nihil faciat pater, niſi quod per facultatem inditam ſemini præparat materiam, eamque habilem reddit ad recipiendã animam intellectiuam. Ex his igitur conſtat, non ſolum alias animas non traduci cum ſemine, ſed ne uegetatiuam quidem, quam ſolam Ioannes Grammaticus traduci opinatus eſt.

Sed afferet aliquis pro Io. Grammatico uerba Ariſtotelis in epilogo primi capitis 2. de generatione animalium: ubi dixit: *ſemen igitur habere animam, & eſſe potentia, palam eſt*. Reſpondeo, uerba illa nihil fauere Io. Grammatico, quia ibi loquitur Ariſtoteles de cauſſa generationis effectiua, ut conſtat ex principio capitis citati, & cõſtat etiã ex calce, & ultimis uerbis eiuſdẽ capitis, ubi dixit Ariſtoteles: *Expoſui iã ad ea, quæ ante quærebantur, quid cauſſa ſit, ut principium generationis cuiuſq. mouens primum, & procreans*. quare, cum paullo ante dicit Ariſtoteles, ſemen habere animam potentia, loquitur de potentia actiua: *nihil autem refert*, paullo ante in eodem cap. dicebat Ariſtoteles, *ſi dicamus ſemen, an ad id, a quo ſemen. ſcilicet qua motum, quem illud mouebat ſemen in ſeipſum continet, fieri autem poteſt, ut hoc ab hoc moueatur, & hoc ab hoc, ſitq. perinde quaſi admirabilia illa ſpontina, partes enim habent uim, modo quodam etiam cum quie*

ſcunt,

ſeunt, quarum primam ubi extrinſecus aliquid mouerit, ſtatim proxima actu efficitur. ut igitur in ſpontinis illis quodammodo illud mouet, quod nihil nunc tangit, ſed ante tetigit, ſic id, a quo ſemen, aut quod ſemen effecit, mouet, cum aliquid tetigerit, quamquam non adhuc tangit. Sensus ergo illorum uerborum, ut ex paullo ante dictis conſtat, ille eſt, ſemen habere animam ſcilicet effectiue, & eſſe potentia ad producendam animam, ſicut demonſtrationem dicebat Ariſtoteles 1. Poſteriorum eſſe demonſtratiuā ſcientiam, quia poteſt illam producere. 1. Poſteriorum tex. 9. & tex. 44.

Aliam tamen ſententiam habuit idem Ioannes Grammaticus, ab ea, quam ſuperius commemorauimus, & confutauimus longe diuerſam, in ſuis uidelicet commentarijs, in princ. 3. cap. 2. de generatione animalium: ubi, cum dixiſſet Ariſtoteles, animam uegetatiuam prius aduenire cōceptui, deinde ſenſitiuam, poſtremo intellectiuam, dixit Io. Grammaticus, non eſſe exiſtimandum, illas animas diuerſas diuerſis temporibus innaſci, ſed uno & eodem tempore: dicuntur tamen (addebat ipſe) diuerſis temporibus innaſci, quia diuerſis temporibus manifeſtātur earum operationes. nam prius incipit operari uegetatiua, deinde ſenſitiua, poſtremo intellectiua: cuius rei illam dicit eſſe cauſſam, quod, ſi non in eodem tempore, ſed in diuerſis temporibus aduenirent diuerſæ animæ, ſequeretur, diuerſas eſſe in homine animas ab inuicem ſeiunctas. Conatur etiam oſtendere idē Ioannes, animam ſenſitiuam non exercere aliquam operationem, niſi quando animal in lucem prodierit, quia ſenſatio non poteſt fieri, niſi præſentibus ſenſibilibus: at nulla ſenſibilia ſunt in utero: quo modo ergo fetus in utero poterit ſentire?

Sed hæc ſententia, omnium abſurdiſſima, Ariſtoteli, & ſuomet auctori aduerſatur: ſuo auctori, quia, ut diximus, putauit ipſe, animam uegetatiuam cum ſemine traduci; in 2. autem de Anima, locis ſupra citatis, inquit, animam ſenſitiuam perfectam inſitam eſſe fetui, ſtatim cum paritur. quare non omnes eodem tempore, ut ipſe inquit, innaſcuntur: Ariſtoteli uero, quia, cum dixiſſet, conceptum prius uiuere

uita uegetatiua, ſubiunxit: *ſed, quam ob cauſſam eam primo habere neceſſe ſit; in alijs quæ de Anima diſſeruimus, apertum eſt; ſenſualem etiam, qua animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo eſt, certum. non enim ſimul animal fit & homo, nec animal & equus.* Ex quibus patet, nolle Ariſtotelem fetum ſimul recipere omnes animas. Rationi quoque aduerſatur hæc opinio Ioannis Grammatici, quia diuerſæ animæ diuerſas diſpoſitiones requirunt, quare non poſſunt omnes ſimul acquiri: aliā enim diſpoſitionem requirit anima uegetatiua, aliam & longe nobiliorem requirit ſenſitiua: quæ tamen diſpoſitio, licet ſit nobilior, non tamen eſt apta, & accommodata non ſolum animæ intellectiuæ, ſed neque etiam ſenſitiuæ ſpecificæ, quæ eſt propria hominis. Ratio uero, qua adductus eſt Grammaticus, ut diceret, omnes animas ſimul acquiri, uidetur oſtendere, (quod pace ipſius dixerim) ipſum non intelligere uim, & materiā generationis. etenim, cum argumentatur: ſi diuerſæ animæ diuerſis temporibus acquirerentur, ſequeretur, in homine tres eſſe animas ſeiunctas: reſpondemus, hoc non ſequi: &, ut pro tempore omittamus intellectiuam, de qua ſuperius, quod ad hanc diſputationem pertinet, plura diximus, & infra etiam dicemus: dicimus, in aduentu ſenſitiuæ corrumpi uegetatiuam, quæ poſtea continetur in ſenſitiua poteſtate, non actu, & tunc ſenſitiua fungitur muneribus uegetatiuæ, & in aduentu ſenſitiuæ ſpecificæ corrumpitur ſenſitiua generica: quomodo uero corrumpantur formæ illæ priores aduentu poſteriorum, quæ ſunt eiuſdem generis, declarauimus in commentarijs noſtris 1. libri de gener. & interitu, dicentes, corruptiones illas non fieri a cōtrario, ſed ratione ſubiecti, quia diſpoſitiones, quas requirunt formæ poſteriores, licet ſint nobiliores, & perfectiores, non ſunt tamen accommodatæ formis prioribus, neque poſſunt illas conſeruare in materia.

Falſum præterea eſt, quod dicebat Io. Grammaticus, in utero non eſſe ſenſibilia, quia in utero ſunt qualitates primæ, quas proculdubio ſentit fetus, qui quidem, ante quam in lucem edatur, eſt animal, & ideo habet ſenſum tactus, cū

animal

animal ſit animal per ſenſum tactus: quod ſi fetus in utero non eſſet animal, & non acquireret in utero animam ſenſitiuam, non acquireret etiam, ex ſentētia ipſius Ioannis, ipſam uegetatiuam, quia omnes animæ (dicebat ipſe) ſimul acquiruntur: quare fetus in utero non erit animatus, ſeu uiuens.

Caput XII.

ALij uero, cum quæritur, quo tempore nobis adueniat anima intellectiua, dixerunt, Eam non ſolum non acquiri in utero matris, ſed nō aduenire homini ante ætatem, in qua poſſit ratiocinari, diſcurrere, & diſcernere bonum a malo, & uerum a falſo. etenim ante id tempus fruſtra adueniret, cum non poſſit exercere has operationes. & hæc uidetur fuiſſe ſententia quorundam Auerroiſtarum, dicentium, intellectum uniri nobis per operationem, non per eſſentiam.

Mirandulanus etiam, Præceptor meus, lib. 33. de euerſione ſing. certam. ſect. 3. licet aliter ſenſerit de unione intellectus, quem dixit nobis uniri per eſſentiam, conſentit tamen cum illis in tempore unionis: & ſuæ ſententiæ auctorem, quod & ipſi uidentur feciſſe, laudat Ariſtotelem 7. Polit. cap. xv. dicentem: *deinde ut anima, & corpus duo ſunt, ſic uidemus duas partes ipſius animæ, unam irrationalem, & alteram rationalē: habitus quoque earum duos, quorum alter quidem eſt appetitus, alter intellectus. ſed quemadmodum corpus eſt generatione ipſa anima prius, ita irrationale eſt prius habente rationem: manifeſtum eſt autem & hoc in pueris, quibus ſtatim ira, & concupiſcentia exſiſtit, at ratio & mens procedente ætate in illis fieri aptæ ſunt.* ſi ergo irrationale eſt prius generatione, ſubiungit Mirandulanus, ſequitur, ut ſit prius tempore. quod uero anima intellectiua non adueniat fetui humano in utero matris contento, ſed multo poſt, quam exiuit ex utero, conatur confirmare duabus rationibus, ductis ex uerbis Ariſtotelis: ac primum affert hanc rationem: ſi anima intellectiua ante annos, & ætatem iudicij nobis adueniret,

niret, fruſtra eo tempore in nobis eſſet. hanc conſequentiã probat per ea, quæ dixit Ariſtoteles de palpebra 2. de gener. animalium cap.4. his uerbis: *palpebra etiam talis pars eſt: ſed, cum natura nihil fruſtra, nihil ſuperuacaneum facere ſoleat, conſtat, neque prius, neque poſterius, quam uſus exigat, ab ea effici quidquam. ſic enim, quod factum eſt, fruſtra & ſuperuacaneum fuerit: itaque palpebras ſimul & diſtingui, & poſſe moueri, neceſſe eſt.* Si ergo, inquit Mirandulanus, ratio Ariſtotelis uera ſit, ut exiſtimandum eſt, neceſſitas cogere uidetur, ut anima rationalis, neque prius, neque poſterius homini adueniat, quam uſus exigat, quia, quod factum eſt, fruſtra, aut ſuperuacaneum fuerit, ſi aliter fieret. Idem confirmat alia ratione, ducta ex uerbis Ariſtotelis, in eodem lib. cap.3. ubi dicit Ariſtoteles, conceptus non habere animam uegetalem actu, niſi poſtquã actu faciat actum talis animæ. ſi ergo (inquit ipſe) anima rationalis non eſt ponẽda in homine, niſi poſtquã faciat opus huius animæ, cũ pueri non faciant opus huius animæ, ſequetur neceſſario, inquit ipſe, ſi ſunt uera, quae de conceptu dixit Ariſtoteles, ut pueris nõ inſit anima rationalis. id quod præterquã quod ex ſe perſpicuũ eſt, cognoſci poſſe dicit ex dictis Ariſtotelis 1. Ethic. cap.9. ubi dicebat, puerũ non eſſe felicem, quia nondum eſt actiuus talium operationum propter ætatem: quare ſequitur, ſubdit ipſe, ut non habeat intellectum: quia, ſi haberet, poſſet habere prudentiam, & rectam rationem agibilium: ſed non poteſt agere: ergo non habet intellectum: quare ex his fundamentis, falſis tamen, cogimur, inquit ipſe, inferre, animam intellectiuam non prius nobis aduenire, quam eo tempore, quo poſſimus illa uti. quod ſi quæras, quænam ſit illa procedens ætas, & quibus adſit annis, ſic, ut anima intellectiua opus ſuum præſtare poſſit, & nos poſſimus ipſa uti: reſpondebat uir ille præſtantiſſimus, difficile eſſe, hoc plane aſſerere, probabile tamen eſſe, hanc ætatem ijs annis aduenire, quibus pueri primum incipiunt diſcernere bonum a malo: deinde ſubiungit duas quæſtiones, quarum altera eſt, an in omnibus eodem tempore adueniat anima intellectiua, ſiquidem non omnes incipiunt eo-

dem tempore diſcernere bonum a malo: altera uero eſt, utrum fieri poſſit, ut aliquibus hominibus numquam adueniat, quia reperiuntur nonnulli ita natura ſtulti, ſtolidi, & ſtupidi, ut numquam ſciant diſcernere bonum a malo.

Ad priorem quæſtionem reſpondet, eodem tempore aduenire omnibus animam intellectiuam, quia natura opera ſuá ordinate facit: per ſe enim facit. quare, ſicut, poſitis diſpoſitionibus, ſemper ſequitur forma ſubſtantialis, ita etiã, poſita anima ſenſitiua in corpore, & diſpoſita ita, ut poſſit eſſe inſtrumẽtum animæ intellectiuæ, infertur neceſſario, ut adueniat anima intellectiua. ſed diſpoſitiones illæ, addit ipſe, non conſiſtunt in puncto, ſed late patent: tamen, licet in alio, atque alio aliter ſe habeãt, dicit, ſibi uideri rationi cõſentire, ut natura certum quoddam tẽpus animæ intellectiuæ aſſignauerit, quo tempore humanũ corpus ingrediatur, ne humana natura deficiat, inquit ipſe: nullã tamen ſubiungit huius temporis determinati ſignificationẽ. uidetur dediſſe aliam Ariſtoteles, ſed neque ipſamet natura.

Ad alteram uero quæſtionem reſpondet uideri ſibi conſentaneum, ut omnibus, quicumque diſpoſitionem naturæ humanæ habent, neceſſario accedat, quia naturaliter impellitur, ſicut etiam neceſſarium eſt, ut, poſitis diſpoſitionibus formæ, uerbi gratia ſenſitiuæ, quæ ex potentia materiæ educenda eſt, qualeſcumque illæ ſint, neceſſe eſt, ut ipſa educatur, alioquin non educeretur naturaliter: repugnat enim naturæ, ut adſit diſpoſitio alicuius, & nõ ſequatur id, cuius eſt diſpoſitio. quod ſi dentur aliqui ita natura male affecti, ut numquam ſciant diſcernere bonum a malo, hoc dicit eſſe per accidens, non autem per ſe: itaque nihil obſtare, quo minus anima rationalis ingrediatur in corpus illorum hominũ, quia naturaliter operatur: hoc enim magis uidetur rationi conſentire. Vnde, cum nulla adſit ratio, addit ipſe, quæ prohibeat, quin ita poſſit eſſe: iccirco exiſtimandum eſt, rem ita ſe habere. Sed hæc ſententia, (quod pace tanti uiri dixerim) non ſolum Ariſtoteli, cui ipſam tamen tribuebat, & rationi, ſed etiam ueritati aduerſatur: &

ideo

ideo, ueritate ipſa coactus, quam ſanctum eſt, ut admonebat Ariſtoteles, Amicis in honore anteponere, cogor ipſe Præceptori meo, quem ſummo honore, & ſumma ueneratione, dum uiueret, proſecutus ſum, & memoriā eius ſemper proſequar, aduerſari.

Arist. 1. Ethic. cap. 6.

Rationi quidem aduerſatur hæc ſententia, quia puer ante annos iudicij eſt animal rationale, quare habet animam intellectiuā, &, quamuis non utatur ratione, ſatis eſt, quod ſuo tempore poſſit uti. neque enim rationale dicit actum, ſed potentiam, ſiue aptitudinem, quæ ſuo tempore, & remotis impedimentis poſſit producere actum. nam & riſibile etiam non dicit actum; ſed aptitudinem, quæ tamen ante quadrageſimum diem nō exit in actum, & tamen ante quadrageſimum diē infans dicitur riſibilis. Item puer ante annos iudicij eſt homo, ergo habet mentem, quia homo eſt homo per mentem.

Aduerſatur etiam hæc opinio Ariſtoteli in loco a nobis toties citato, uidelicet 2. de genet. anim. cap. 3. ubi apertam nobis ſignificationem dedit, ſe eſſe in ea ſententia, ut exiſtimaret, animam intellectiuam aduenire homini, non poſtquam in lucem editus eſt, ſed dum adhuc in utero matris continetur. Verum, ut ſententia Ariſtotelis ueritati conſentanea, planius accipiatur, ego ex eius uerbis colligo hāc rationem: proprium, idest forma propria, eſt finis generationis hominis: ſed anima intellectiua eſt propria homini: ergo eſt finis generationis hominis: ulterius: generatio fit in utero, non extra: ergo in utero acquiritur anima intellectiua. Prioris rationis maiorem propoſitionem ponit Ariſtoteles in loco commemorato; ubi, cum dixiſſet, nō ſimul fieri animal & hominem, nec animal & equum, hoc eſt nō ſimul acquiri formam genericam, & ſpecificam, reddebat rationem ſui dicti, dicens: *finis enim poſtea contingit*: quaſi dicat: finis ſequitur ea media, quæ ſunt neceſſaria ad finem: ſed forma generica eſt tamquā medium ad ſpecificam: quare ſpecifica eſt poſterior: & ideo ſubiungit Ariſtoteles: proprium, hoc eſt formam propriā, eſſe finem generationis cuiuſque:

iuſque minor uero manifeſta eſt, nempe, animam intellectiuam eſſe propriam hominis: nam, licet phantaſia rationalis ſit propria hominis, tamen, quod ibi loquatur de anima intellectiua, indicant uerba ſequentia: nam, cum dixiſſet, proprium eſſe finem generationis eaîuſquo, uidens poſſe aliquē quærere de mente, quæ eſt forma propria hominis, quo tempore adueniat, ſtatim ſubiungit: *quamobrem idem mentem etiam quonam tempore, & unde eam recipiunt, qui principium id participant, plurimum dubitatur.* Cum enim dicit, *de mente etiam*, ſatis indicat, ipſam eſſe proprium, & conſequenter eſſe finem generationis hominis: &, quia finis poſtea contingit, ideo merito dubitatur, quo tempore poſt animam ſenſitiuam acquiratur anima intellectiua.

Sed, quamuis ibi loqueretur de phantaſia rationali, & eā innueret eſſe proprium hominis, ſequitur tamen, animā intellectiuam in utero acquiri, quia, ſi dicat quis, phantaſiam illam rationalem eſſe finem generationis hominis, cum generatio fiat in utero, neceſſe eſt, illam in utero acquiri: ſed, acquiſita illa ſtatim acquiritur intellectiua, immo in eodem momento, ut dicemus infra: quare neceſſe eſt, & ipſam intellectiuam in utero acquiri. id quod etiam in hunc modum oſtendo: ubi materia eſt diſpoſita, & perfecte diſpoſita, ſtatim introducitur forma: ſed, ubi fetus acquiſiuit animam ſenſitiuam, & phantaſiam rationalem, eſt idoneum ſubiectum animæ rationalis, cum phantaſiam illam rationalem in utero acquirit: neceſſe eſt, illico aduenire animam intellectiuam.

Cum uero contra arguitur, ſi anima intellectiua adueniret fetui in utero exſiſtenti, & omnino adueniret puero ante annos iudicij, fruſtra adueniret, quia ante id tempus non poſſet exercere opera ſua. Ego primum ſic reflecto argumentū: ſi anima intellectiua adueniret homini ſtulto, & ſtupido, fruſtra adueniret: quare ſtulti, & ſtupidi homines non haberent animam intellectiuam: quod tamen alienum eſt a ueritate. Præterea, omnes potentiæ ſenſitiuæ exteriores adueniūt fetui, & tamen fetus in utero neque uidet, neque olfacit, neque guſtat, ſed ſolo tactu utitur: neque ſolum ſenſi-

 tiuæ

tiuæ exteriores, ſed etiam interiores in utero acquiruntur, & tamen in utero earum opera non exercentur. Item in corpore cuiuslibet animalis ſunt multa membra, præſertim dũ eſt in utero, quæ per aliquod tempus non poſſunt exercere opera ſua: homò etiam, ut cetera animalia prætermittam, ubi in lucem eſt editus, per aliquod tempus non utitur cruribus, neque etiam inſtrumentis, quæ deſeruiunt locutioni, & tamen illa fruſtra non ſunt ei data, quia ſatis eſt, quod ſuo tempore poſſit illis uti, præſertim remotis impedimentis.

Quare ad argumentum reſpondeo, illam potentiam eſſe fruſtra, quæ ſuo tempore, & remotis impedimentis, non poteſt exercere ſua opera: & ideo non eſt negãdum, quin mẽs inſit puero, atque etiam fetui humano, diſpoſito ſecundum corpus, & animam: & ita quidem perfecta eſſentialiter, ſicut eſt in uiro. quod ſi in puero non exerceat ſuas operationes, hoc prouenit ratione corporis, quia, cum anima nõ poſſit operari ſine corpore, corpora uero puerorum, ob exceſſum caloris, & motus continuos; præſertim auctionis, qui fiunt in ipſis, non ſunt accommodata operationibus animæ intellectiuæ, immo ualde inepta: iccirco ipſa per id tempus non poteſt exercere ſuas operationes. quamobrem dicebat Ariſtoteles 7. de natur. auſcult. ſcientem aliquem, & prudentem fieri, propterea quod ſedantur perturbationes, & tranquilla fit anima: dicebat etiam ibidem, pueros non poſſe diſcere, neque ſenſibus uti, perinde atque ætate prouectiores, quoniam uehemens eſt in illis turbatio, atque motus, quæ impediunt operationes ipſius animæ: & ideo, ſi pueri non exercent opera intellectus, hoc non prouenit defectu ipſius, ſed culpa, & uitio corporis, quod non eſt aptũ, & accõmodatum operationibus animæ, ſiue illa utatur corpore tamquam inſtrumento, quod non eſt concedendum, ſiue, quod potius eſt affirmandum, utatur alia facultate utente organo. utitur enim phãtaſia, quæ indiget organo. quod uero diuerſitas inſtrumẽtorum immutet operationes ipſius operantis, in artificialibus ipſis quotidiana experientia perſpicitur. uidemus enim, ipſos, ex defectu inſtrumenti, ſeu uitio

Ariſto. 7. phyſicorũ tex. 20.

uitio eiuſdem, non poſſe præſtare opera artis: & ideo anima intellectiua in uno ſerius, in alio uero citius incipit operari: quia hoc corpus eſt aptius, illud uero ineptius operationibus ipſius phantaſiæ deliberatiuæ. quamobrē dicebat Ariſtoteles, molles carne eſſe aptos mente. hoc idem exemplo ebriorum & ægrotantium, quibus exemplis loco nuper citato ex 7. de natur. auſcult. utebatur Ariſtoteles, licet intelligere. nam, licet mentem perfectam habeant; uitio tamen corporis non poſſunt ſecundum mentem operari: ubi autem ab ebrietate illi ſe receperint, hi uero a morbo cōualuerint; mente iam ad trāquillitatem redacta, eius operationes perfecte exercent omnes. ibiq. (ut hoc obiter dicam) non loquitur Ariſtoteles, quod plerique putant, ex ſententia Platonis, dicentis, ſpecies eſſe nobis innatas, & ingenitas; ſicq. ſcientiam non eſſe nouam cognitionem in nobis acquiſitā, ſed rerum oblitarum recordationem: immo, cum ibi propoſitum eſſet Ariſtoteli, oſtendere, in parte intellectiua non eſſe alterationem, ſicq. acquiſitionem ſcientiæ non eſſe generationem, neque alterationem, ex eo probabat, quod ſecundum nullam potentiam motis nobis fit ſcientia, hoc eſt nulla potentia mouetur, cum in nobis acquiritur ſcientia; ſed fit ſcientia, cum in nobis exſtiterit aliquid, hoc eſt ſingulare in phantaſia, ex quo nobis quieſcentibus fit cognitio uniuerſalis, quæ eſt ſcientia. hoc autē probabat exemplo ebriorum, ægrotorū, & dormientiū, qui habent habitū ſcientiæ, & tamen non utuntur, perinde ac ſi a principio non accepiſſent, & omnino caruiſſent ea. ſi tamen illi mutentur in contraria, hoc eſt in ſobrietatē, ſanitatem, & uigiliā non dicuntur rurſus fieri ſciētes, neque ſcientia dicitur in ipſis generari. quare uſus ſcientiæ in ipſis non eſt generatio: item neque in illis, qui a principio ſcientiam acquirunt, ſcientia dicitur generari. ſimilitudo uero in hoc conſiſtit, quod, ſicut ebrij, cum fiunt ſobrij, non mutantur ſecundum ſcientiā, quia habent ſingulare, ex quo ipſa fit, & ſicut ebrius, cum mutatur ad ſobrietatem, non dicitur ſcire, ſiue acquirere ſcientiam, ſed quia acquieſcit, & ablatus eſt motus, qui fie-

bat ab ebrietate, ita neque ille, qui de nouo acquirit ſcientiam, dicitur alterari, aut moueri, ſed in quietem potius, quam in motum referenda eſt acceptio, atque etiam uſus ſcientiæ: & ideo, ut reuertamur, unde digreſſi ſumus, in pueris non eſt uſus intellectus, non quia non habeant intellectum, ſed quia motus continui, qui fiunt in corporibus ipſorum, impediunt operationem intellectus.

Ad Ariſtotelis autem uerba accepta ex 7. Polit. cap. 15. in quibus uidetur innuere, animam intellectiuam non eſſe in pueris, ſed longo poſt tempore aduenire; cum dicit, mentem, & rationem in pueris procedente ætate eſſe aptas fieri; reſpondemus, mentem, & rationem poſſe dupliciter accipi; altero modo, pro ſubſtantia ipſius mentis, ſiue animæ intellectiuæ; altero modo, pro uſu, & operatione eiuſdem: priore modo non accipit eam Ariſtoteles, ſed ſecundo, hoc eſt pro uſu, & operatione ipſius, ſiue habitu mentis perfectiore, ſic, ut dicat, ſiue uſum, ſiue operationem, & habitum mentis perfectiorem procedente ætate fieri, quia, ut dictum eſt, ubi ſedatæ fuerint perturbationes, & motus corporis natura, uel alio modo, ſic, ut deſinant turbare mentem, tunc ipſa incipit eluceſcere, & in ſuas operationes prodire: ſicq. illi, qui prius ex appetitu uiuebant, incipiunt ex ratione uiuere.

Quod uero noluerit Ariſtoteles in loco commemorato 7. Polit. mentem ipſam aduenire homini iam in lucem edito, conſtat ex primis uerbis ibidem ſcriptis, quia comparat corpus, & animam quoad ordinem generationis, & ſic etiã comparat animam irrationalem ad rationalem: ſed corpus, & anima coniunguntur in utero, ergo animam rationalem, & irrationalem in utero coniungi ſenſit. ſed, quia uſus corporis eſt prior uſu animæ, iccirco, licet corpus iam perfectũ ſaltem aliqua ex parte, ſit ſimul cum anima; dicit tamen corpus antecedere, quia operationes eius antecedunt: ſic etiã ex operationibus irrationalis, quæ corpus reſpiciunt, probat irrationalem, hoc eſt uſum, & opera ipſius eſſe priora, quam uſum, & opera rationalis: & ducit argumentum ab operationibus, quas illæ poſt natiuitatem exercent: quia

uerisi-

uerisimile est, illas animas in utero acquiri prius, quarũ operationes extra uterum prius cõſpiciuntur:&, quia extra uterum iraſcibilis, & cõcupiſcibilis, quarum operationes ſignificantur per iram, & concupiſcentiam, prius incipiunt operari, hoc argumento ſignificat, illas prius acquiri in utero, quam rationalẽ, cuius operationes poſterius, & non niſi longo poſt tempore conſpiciuntur. quare per mentẽ ſignificauit Ariſtoteles uſum mentis. quod uero cõcedat idẽ aliquas potentias nobis ineſse, licet ſua opera non exerceant, facile poſsumus intelligere ex dictis ipſius 30. ſect. problemate 4. quæ ſunt hæc: *Vt igitur manu non iam inde ab ortu naturæ uti poſſumus, ſed cum eam natura abſoluit, perfecitque, procedente namque ætate manus ſuum opus maxime efficere poteſt, ita etiam mens, quæ res naturalis eſt, non protinus, ſed in ſenectute nobis maxime contingit, atque tunc potiſſimum conſummatur, atque abſoluitur.* Per mentem igitur proculdubio ſignificat uſum mentis: innuit etiam, quod, ſicut manus habemus, antequam ipſis utamur, ſic etiam ſimiliter habemus mentem, antequam ipſa utamur.

Ad rationes uero præſtantiſſimi Mirandulani Præceptoris noſtri, & primo ad illam, quæ ſumebatur ex uerbis Ariſtotelis 2. de gen. anim. cap. 4. de palpebra loquẽtis, ex quibus inferebat, animam rationalem neque prius, neque poſterius homini aduenire, quam uſus exigat, quia quod factum eſt, fruſtra, aut ſuperuacaneum foret: reſpõdeo, Ariſtotelem loqui de his, quæ fiunt a natura, quæ incipiunt eſſe cũ prius non eſſent: ſed huiuſmodi ex ſententia Ariſtotelis nõ eſt anima intellectiua, quam ipſe exiſtimauit nõ eſſe factam, ſed undique æternam, & ideo improductam: ſed quamuis ſit facta, quemadmodũ nos diuino lumine illuſtrati ipſam creatam eſſe concedimus, non tamen ſequitur mentẽ fruſtra aduenire, antequam uſus poſtulet: quia reſpõdebimus, quemadmodum reſpondet idem Præceptor noſter ad uerba Ariſtotelis contra ſe citata ex probl. 4. ſect. 30. cõcedit enim ipſe, naturam multa facere antequam uſus exigat, & dicit dictum illud, uidelicet, naturam non facere aliquid, aut prius, aut poſterius, quam uſus exigat habere locum tantummodo

mis, in quibus natura non cogitur; ſed in quibus cogitur prius facit, quam uſus exigat; & ideo cogitur facere oculos, manus, & pedes, antequam poſſint opera ſua exercere, quia, niſi faceret ea in utero matris, non poſſet amplius ea facere: ſed in introductione animæ intellectiuæ natura cogitur, quia, ubi fetus acquiſiuit phantaſiā rationalem, eſt diſpoſitus ad recipiēdam animam intellectiuam, ſic, ut, diſpoſito fetu, & præparato per conuenientes diſpoſitiones ad recipiendam animam intellectiuam, neceſſe ſit, ut eam recipiat, quia natura cogitur eam introducere, atque omnino impellitur, ut idem Mirandulanus dicebat: & quia, poſitis diſpoſitionibus formæ ſubſtātialis ſemper ſequitur forma ipſa ſubſtantialis, ut ille idem aſſerebat in reſponſione ad ſuam primam quæſtionem, qua quærebatur, utrum eodem tempore omnibus adueniat anima intellectiua, ita poſita forma ſenſitiua in corpore, & diſpoſita ſic ut poſſit eſſe inſtrumentū animæ intellectiuæ, efficitur neceſsario, ut adueniat anima intellectiua: ſed anima ſenſitiua acquiritur in utero, quia educitur e potentia materiæ, & per generationem acquiritur, quare & animam intellectiuam in utero neceſsarium eſt introduci.

Ad aliam uero rationem deſumptam ex cap. 3. 2. de gen. anim. reſpōdeo, propoſitum Ariſtotelis in illis uerbis ab ipſo commemoratis illud fuiſse, ut oſtenderet animam uegetabilem prius haberi potētia, quam actu, & ideo dicit illam non eſse actu in ſeminibus, & conceptibus nondum ſeparatis, ſed tantum potentia; neque eſse actu priuſquam conceptus ſeparati officio illius animæ fungantur; quare ex opere illius animam indicat Ariſtoteles illos conceptus habere animam actu, quod de uegetatiua maxime dici poteſt. nam, ubi illa adeſt, poteſt ſtatim ſuo officio fungi, quia ſtatim fetus eſt diſpoſitus ad opera eius exercenda, & ideo ex opere ipſius poſsumus arguere præſentiā, & ex defectu operis arguere abſentiā, quod de intellectiua fieri non poteſt, & ideo ex eo, quod non fungatur ſuo officio in pueris, nō poſsumus negare, quin inſit eis. ſatis eſt enim, quod ſuo tempore poſſit fungi.

Caput XIII.

CVm igitur confutatæ ſint nobis multorum reſponſiones, ad quæſtionem propoſitã, qua quærebatur, quo tempore nobis adueniat anima intellectiua, iam nobis reſpondendum eſt; & quid Ariſtoteles de hac re ſenſerit, exponendum: quod quidem difficile eſt admodum. difficultatem uero uidetur Ariſtoteles indicaſſe, non explicaſſe. nos tamen ex iis, quæ traduntur ab ipſo, conabimur pro uiribus huic quæſtioni ſatisfacere.

Quare dicimus, ex ſententia Ariſtotelis, atque etiam ex ipſa ueritate, animam intellectiuam nobis extrinſecus accedere, dum ſumus in utero, non ſimul cum alijs, ſed poſtquã non ſolum uegetatiua, ſed etiam ſenſitiua generica fuerint eductæ e potẽtiã materiæ. eſt enim homo prius animal, quã homo, ut dicebat Ariſtoteles 2. de gener. anim. cap. 3. a nobis toties citato: ſed eſt animal per animam ſenſitiuam: quare neceſſe eſt, ut uixerit uita ſenſitiua, priuſquam incipiat uiuere uita intellectiua, & prius fuerit in genere antequã fuerit in ſpecie: ſed, quia ad conſtitutionem ſpeciei humanæ requiri duas animas ſenſit Ariſtoteles, nempe phantaſiam propriam hominis, & intellectiuam, illas duas ſimul acquiri neceſſe eſt, fateatur; adeo, ut in eo momento, in quo phantaſia propria hominis educitur e potentia materiæ, intellectiua extrinſecus accedat: tunc uero ueriſimile eſt omnia mẽbra ſaltem principalia conſtituta fuiſſe: nam, cum anima intellectiua ſit perfectiſſima forma, requirit perfectiſſimum apparatum, & perfectiſſimam corporis diſpoſitionem, quantum quidem ſtatus ille in utero patitur: nam in dies poſtea maiorem perfectionem acquirit, & creſcente perfectione corporis, creſcit etiam perfectio, accidentalis tamen, animæ intellectiuæ; nam eſſentialis ſemper eſt eadem.

Sed, quamuis, ex ſententia Ariſtotelis, ponẽtis in corpore humano duas animas re diſtinctas, ita uideatur dicendũ; ſi tamen ſecundum ueritatem nobis loquendum ſit, quemadmodum loquendum eſt; ſicq. ponenda ſit in nobis una

tantum anima, nempe intellectiua, quæ habeat diuerſos gra dus, ſiue diuerſas potentias, quarum priores contineantur in ipſa non actu, ſed potentia, ſicut triãgulum in quadrato, hunc ordinem dicemus in generatione humani fetus habere has potẽtias, ut prius uegetatiua, deinde ſenſitiua generica, poſtremo ſenſitiua ſpecifica per generationẽ, acquiratur, & tunc in eodem momento intellectiua per creationem extrinſecus accedat, & fungatur officio aliarum potentiarum præcedentium.

Sed, quia dictum eſt mentem, ſiue animam intellectiuam poſt ſenſitiuam genericam aduenire, neque ſimul eſſe animal & hominem, quæret aliquis, quo tempore innaſcatur homini illa ſenſitiua generica, per quam eſt animal? nondũ tamen eſt, ſed futurus eſt homo.

Et, quia, præter ſenſitiuam genericam, eſt etiam in homine ſenſitiua ſpecifica, quæ ſubit opera genericæ iam in eius aduentu corruptæ, quæramus ſecundo loco, quando innaſcatur illa ſenſitiua ſpecifica: non enim ſimul cum ſenſitiua generica poteſt innaſci, quia ſimul animal fieret & homo. Quare, cum poſt ſenſitiuam genericam neceſſe ſit acquiri ſpecificam, & in aduentu eius corrumpi genericam, quæramus tertio loco, an ſimul innaſcatur ſenſitiua ſpecifica, & indiuidualis? iam enim diximus, quod ſentit Ariſtoteles, hominem nõ habere eſſe indiuiduale ab anima intellectiua, ſed a phãtaſia propria, per quam ex parte eſt homo, & abſolute eſt talis homo, uerbi gratia, Socrates aut Plato; & ideo quærendũ eſt, an ſimul innaſcatur utraque, ſcilicet phantaſia ſpecifica, & indiuidualis, an uero altera poſt alteram: utrique enim adſunt difficultates, quia, ſi ſimul utraque acquiratur, ſequetur, ſimul fieri indiuiduum & ſpeciem, & tamen ſpecies eſt prior indiuiduo; ſi uero in diuerſis temporibus utraque innaſcatur, ſequẽtur alia incommoda grauiora; alterum, quod genita ſpecie non erit indiuiduum illius ſpeciei: alterum uero, quod in generatione indiuidualis, uel corrumpetur ſpecifica, uel remanebit. at non poteſt corrumpi, quia, ſi corrumperetur, neceſſe eſſet eam corrumpi, ſicut corrumpuntur

tur aliæ formæ antecedentes : propterea quod diſpoſitiones,quæ introducuntur pro forma indiuiduali,non eſſent accommodatæ ipſi ſpecificæ,quod quidem non eſt aſſerendũ, quia diſpoſitiones conueniętes alicui indiuiduo in una ſpecie non poſſunt repugnare illi ſpeciei, immo uero non poſſunt non eſſe illi accommodatæ. ſi uero in aduentu indiuidualis remaneat illa ſpecifica, ſequetur,duas formas eiuſdę generis, quarum altera eſt prior, altera uero poſterior,eſſe ſimul actu in eodem ſubiecto: cum tamen dixerit Ariſtoteles,priorem contineri potentia in poſteriore.

Caput XIV.

QVantum ad primam quæſtionem pertinet,nihil certi, aut conſtituti omnino habemus: ſed,quantum coniectura aſſequi poſſumus, conabimur aliqua de hac re in medium afferre; &,ut tota res planius accipiatur, tentabimus ordinem humanæ generationis exponere.

In generatione igitur hominis fiunt, ut recte dicebat S. Thomas,multæ generationes, & multæ corruptiones, quæ quidem habent hũc ordinę inter ſe,ut primo per generatione acquiratur anima uegetatiua,per quam fetus eſt uiuens, ſicut corpus animatũ; deinde ſenſitiua cõmunis, ſeu mauis appellare genericã, in cuius acquiſitione corrũpitur anima uegetatiua,& tũc ipſa ſenſitiua,quæ cõtinet ipſam in potentia,incipit gerere uicem, eiusq. opera exercere,adeo,ut uegetatiua non ſit amplius actu in ipſo fetu, ſed contineatur in ſenſitiua,ſicut triangulum in quadrato: corrumpitur autem uegetatiua, non a contrario, ſed quia diſpoſitiones introductæ pro ſenſitiua non ſunt aptæ ad conſeruandam ipſam in materia: poſt ſenſitiuam uero acquiri ſenſitiuam ſpecificam hominis propriam tenuit Ariſtoteles, quam, ut ſæpius dixi, ſolet ipſe Ariſtoteles appellare tum phantaſiam rationalem, tum etiam deliberatiuam, interdum uero appellat intellectum paſſiuum, ut fecit in 3. de anima tex.20. hæc uero phantaſia ſpecifica propria hominis ſecundũ Ariſtote-

ſtotelem differt ſpecie a ſenſitiua cęterorum animalium: in aduentu autem, ſeu potius acquiſitione ipſius, corrumpitur ſenſitiua communis eo modo, quo in acquiſitione, ſeu generatione ipſius corrupta fuit uegetatiua.

Cum uero corrupta ſenſitiua generica educitur e potentia materiæ ſenſitiua propria hominis, tunc ſimul & in eodem momento tenuit Ariſtoteles, intellectiuam extrinſecus accedere: neque neceſse eſt in aduētu intellectiuæ corrumpi ſenſitiuam ſpecificā propriam hominis, ut ſentit Ariſtoteles, quandoquidem ipſa ad intellectiuam ſubit uicem materiæ. has enim duas formas ad cōſtitutionem hominis neceſsarias eſse exiſtimauit Ariſtoteles. hunc ordinē ſuperius expoſitum, ſaltē quoad priores animas, docuit Ariſtoteles 2. de gener. anim. cap. 3. ubi dicit: *atque etiam de anima, qua animal dicitur (eſt autem animal parte animæ ſenſuali) utrum in ſemine, & conceptu ineſt, an non, & unde: conceptum enim animatū eſſe nemo ſtatuerit uita omnibus modis priuatum, quippe cum nihil minus ſemina, & conceptus animalium uiuant, quam ſtirpes, & aliquandiu prolifica ſunt: ergo animam in ijs haberi uegetalem palam eſt: ſed quam ob rem primū haberi neceſſe ſit, ex ijs, quæ alibi de anima diſſeruimus, apertum eſt: ſenſualem etiam, qua animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certum eſt, non enim ſimul & animal fit & homo; nec animal & equus; eademque in ceteris animalibus ratio eſt: finis enim poſtea contingit, proprium autem eſt finis cuiuſque generationis.* Quare ex his uerbis intelligitur, ſenſitiuam poſt uegetatiuā acquiri, & poſt ſenſitiuam genericam acquiri ſenſitiuam ſpecificam: ex quibus, præter cetera, quæ ſupra diximus, conſtat, falſam eſse, & ab Ariſtotelis ſententia longe alienam Io. Grammatici ſentētiam, dicentis, omnes animas ſimul acquiri: ſed, quo tempore, & quo interuallo poſt uegetatiuam acquiratur ſenſitiua generica, non ſatis cōſtat, nec quidquā certi habemus ab Ariſtotele: immo, ſi in aliorum animalium generatione id incertum eſt, in generatione humana certe eſt incertius: nam cetera animalia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficiunt, cum unum pariendi tempus omnibus a natura ſtatutum ſit, ut eſt apud Ariſtotelem 7. de hiſt. animalium cap. 4. de gener. anim. cap. itidem 4. homi-

ni ſo-

ni ſoli incertum eſt tempus pariendi: ſiquidem, ut ibidem, ſcilicet 7. de hiſtoria animalium dicebat, ſeptimo menſe, octauo, & nono, &, quod plurimũ eſt, decimo menſe, nõnullæ etiam undecimum tangunt: at uero in 4. de generatione animalium ſermonem faciens de homine dicebat: *hinc tempus etiam uteri ferẽdi enorme unum hoc animal ſortitum eſt: ceteris enim unum eſt tempus, homini uero plura ſunt, quippe cum & ſeptimo menſe, & decimo naſcatur, atque etiam inter ſeptimum, & decimum poſitis. qui enim menſe octauo naſcuntur, etſi minus, tamen uiuere poßunt*. quare, cum tam diuerſa tempora pariendi habeat homo, rationi conſentaneum eſt, eundem formationis, & conſtitutionis ſuæ habere diuerſa tempora. ex his tamen, quæ dicuntur ab Ariſtotele, poſſumus coniectura proxime accedere ad hæc tempora. Ariſtoteles igitur 7. de hiſtoria anim. cap. 3. dicebat, corruptiones illas, quæ intra ſeptimum diem accidunt, effluxiones uocari: abortiones uero appellari illas, quæ intra quadrageſimum. immo addit, quod, ſi in ſeptimũ diem ſemen in utero permanſerit, conceptum iam eſſe, certum eſt: hinc intelligetur, conſentaneum eſſe rationi, uegetatiuam ante ſeptimum diem non innaſci, ſed circiter: & tũc cõceptus nulla uita uiuit, immo eſt penitus inanimatus.

Sed dicet quis, ſi conceptus tunc temporis nullam habẽt animam, quid eſt, quod agit in ſanguinem menſtruum, ut ex ipſo incipiat formare corpus? reſpondeo, id eſſe formam ſeminis per facultatem ſibi inditam a generante, per quam facultatem agit ſemen, teſte ipſo Ariſtotele principio 3. cap. 2. de gener. anim. utitur autem ſpiritu tamquam inſtrumento, quem ſpiritum gignitiuum appellant. hoc autem, quod diximus de ſpiritu, colligitur ex eodem Ariſtotele in eodẽ 2. de generatione animalium, eodem cap. ubi dicebat: *ineſt enim in ſemine omnium, quod facit, ut fecunda ſint ſemina, uidelicet, quod calor uocatur, idque non ignis non talis facultas aliqua eſt*, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoq. corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. quod etiam ſemen agat in ſanguinem menſtruum, ut ante dicebamus, idem Ariſtoteles paullo infra docet in

eodem cap. his uerbis: *ſemen aut cum excrementum ſit, eodemq. mouetur motu, quo augetur corpus digeſtione ultimi alimenti, ubi uterum ſubijt, conſtituit, & mouet excrementum feminæ eodem motu, quo ipſum mouetur. nam illud quoque excrementum eſt, habetq. omnes partes potentia actu nullam.*

Caput XV.

EX his igitur intelligitur, uegetatiuam circa ſeptimum diem innaſci, uel paullo poſt, acquiſita uegetatiua, fetus incipit nutriri opera, & beneficio eius ſanguine attracto ex utero matris per uenam umbilicalem. ingeneratur autē anima uegetatiua circa illud tempus, genito iam corde, a quo uena umbilicalis ortum ducit, ſicut & omnes aliæ uenæ: ortum, inquam, ducit ex corde, ex ſententia ipſius Ariſtotelis, & ex ipſa, ut ego exiſtimo, ueritate. cor enim primū generatur, ut eſt apud eundem Ariſtotelem 2. de gener. animal. cap. 4. ubi hæc uerba ſcripta reliquit: *quamobrem cor primum actu ſecernitur: quod non modo ſenſu ita fieri conſtat, uerum etiam ratione: cum enim, quod gignitur de ambobus, adiunctum iam eſt, ſe ipſum regere, gubernare, & diſpenſare debet, perinde quaſi filius a patre emancipatus, ſeorſum collocatus: itaque principium haberi oportet, a quo etiam poſt ordo membrorum deſcribatur, & quæcumque ad abſoluendū animal pertinent, diſponantur.* ibiq. confutabat Ariſtoteles opinionem Democriti, qui putabat, exteriora animalis primū diſcerni, deinde interiora, quaſi lapideum, aut ligneum animal condatur. Hanc opinionem dicebat Ariſtoteles falſam eſſe, propterea quod, ſi res ita ſe haberet, res talis nullū principium haberet. at animalia omnia principium habent, atque intra ſe continent: & ideo ſubiūgebat Ariſtoteles hæc uerba: *Quapropter cor primum diſtinctum in omnibus conſpicitur animalibus, quæ ſanguinem habent. id enim principium eſt ſimilarium, & diſſimilarium partium. iam enim principium id accepiſſe animalis, conſtitutiq. fetus decet. cum alimentum deſiderat. quod enim iam animal eſt, augetur, alimentum autem ultimum animalis ſanguinis eſt, aut quod ſanguini proportionetur, quorum uaſa, & conceptacula uenæ ſunt: quamobrem*

rem uenarum quoque principium cor eſt. patet hoc ex hiſtorijs, & diſſectionibus animalium. ſed, cum potentia quidem animal ſit, ſed imperfectum, aliunde accipiat alimentum, neceſſe eſt. quamobrem utero, & parente, ut terra, planta utitur ad cibum hauriendum, donec perficiatur & iam ſit animal potentia greſſile. Quocirca ex corde primum duas illas uenas natura deſcripſit, de quibus uenulæ dependent in uterum, ex quibus, qui umbilicus uocatur, conſtat. Quod etiam repetijt idem Ariſtoteles in eodem libro principio cap. 5. cor uero primum generari, paullò poſt in eodem 4. cap. ſubiungebat idem Ariſtoteles non modo ſenſu percipi, ſed etiam ratione, quia cor ult. moritur. *euenit namque in omnibus,* (dicebat ipſe) *ut, quod ultimum fit, id primum deficiat, &, quod primum id ultimum, quaſi natura decurſionem reducem agat, & a calce ad carceres, unde prorui t, redeat: eſt enim generatio ex non ente in ens; corruptio, contra, ex ente in non ens.* cor ergo primum gignitur, & eſt principium omnium. *poſt principiũ,* dicebat idem Ariſtoteles, *gignuntur interiora prius, quam exteriora, ſed prius maiora, quam minora uiſuntur:* ac primum in eodem cap. ſubiungebat, *pars ſuperior per generationem diſtinguitur, inferior uero tempore procedente recipit incrementum in ſanguineo genere: omnia uero* (addebat ipſe) *lineamentis primum deſcribuntur, deinde colores recipiunt, & duritiem, & mollitiem, quaſi pictoris officio fungatur natura, cum condit, & creat. pictor enim, ubi lineis primum deſcripſit animantem, mox uario illinit colore, ac perficit. cum itaque principium ſenſuum, totiusq. animalis in corde contineatur, hoc ob eam rem primum gignitur, mox ob eius calorem frigiditas ſupra, ubi deſinunt uenæ, reſpondens cordis calori, conſtituit cerebrum: itaque caput a corde continuo generatur; & magnitudine ceteris præſtat.* Hoc, quod in loco commemorato dixit Ariſtoteles, uidi ego in fetu (ut mihi relatum eſt) menſtruo olim diſſecto in Gymnaſio Romano a Realdo Columbo, inſigni Anatomico, in quo fetu cor formatum diſtinctum, & explicatum magis, quam iecur, & quoduis aliorum membrorum conſpicuum erat. conſpiciebatur etiam ſpina dorſi, & caput, ſed non ita explicata perinde atque ipſum cor, cetera omnia erant admodum confuſa: &, licet Realdus in ſuis commentarijs de re Anatomica dicat, ſe uidiſſe in eo fetu iecur primum formatum, & huius rei me (ut audio) teſtem appellet: tamen res, ut dixi, ita ſe habebat, & ego multis, ac præſertim meis auditoribus

cor optime formatum, & diſtinctum tunc oſtendi, gauiſiq; ſunt illi, cum reipſa uiderent Ariſtotelis ſententiam, cui, me Doctore, operam dabant, ea in re ueritati conſentire. Quare, cum dicat Realdus ipſe, ſe tunc uidiſſe iecur primum formatum, maiorem fidem uidetur habuiſſe Galeno, qui in lib. de formatione fetus, & alibi ſententiam illam habuit, quam ſuo ſenſui: cum tamen in iis, quorum iudex poteſt eſſe ſenſus, ut admonebat Ariſtoteles in 5. de generatione animalium, plus credendum ſit ſenſui, quam rationi. Si tamen in hac quæſtione rationes Ariſtotelis cum rationibus Galeni conferantur, & æqua iudicij tamquam trutina perpendantur, facile cognoſci poterit, rationes Ariſtotelis rationibus Galeni præponderare.

Caput XVI.

ILlam eandem, de origine & formatione cordis, quam in libris de generatione animalium habuit ſentẽtiam ſæpius repetebat Ariſtoteles, & nos abundantioris doctrinæ cauſſa repetere operæpretium eſse exiſtimamus. repetebat (inquam) ſæpius Ariſtoteles, & præſertim in 3. lib. de part. anim. cap. 3. & 4. ubi hæc uerba ſcripta reliquit. etenim c. 3. dicit: *cor enim in parte priori, atque in medio ſitum eſt, in quo principium uitæ, omnesq. motus & ſenſus eſſe cenſemus.* quæ uero ſit pars ſuperior, & quæ inferior, declarauit ipſe in 2. libro cap. 10. ubi dixit, in omnibus uita præditis & perfectis partes maxime neceſsarias duas eſſe; alteram, qua cibum capiunt; alteram, qua excrementum emittant: quales partes in homine ſunt os, qua parte cibũ capiunt, & pyloron, qua excrementum emittunt. inter has duas partes medium ſitum obtinet cor. errant enim errore ridiculo, qui, uolẽtes inuenire medium ſitum cordis, metiuntur totũ corpus ab extremis manibus uſque ad extremos pedes. cor enim eſt in medio partis ſuperioris, & inferioris, ſcilicet inter partẽ, qua cibus capitur, & qua excrementum emittitur. in 4. uero cap. eiuſdem 3. libri hæc uerba ſcripſit Ariſtoteles: *cor igitur omnibus*

ſanguine præditis. ineſt & quam ob cauſſam dictum & antehac eſt, & nunc dicemus. ſanguis enim neceſſario ineſt iis, quæ ſanguinea ſunt, qui cum humidus ſit, conceptaculum ſibi habeat neceſſe eſt: ideoq. uenas natura emoliri uidetur, quarum unum eſſe principium neceſſe eſt. ubicumque enim fieri poteſt, unum eſſe, quam plura, melius eſt: cor autem uenarum principium eſt. ex hoc enim uenæ, & per hoc eſſe uidentur. natura etiam eius uenoſa eſt, utpote generis ſocietate iuncta cũ uenis, quoniam & ſitus eius ſedem obtinet principalem. in medio enim poſitum eſt, ſed magis ſuperius, quam inferius, & parti priori admotius, quam poſteriori: natura enim rem nobiliorem conſtituere in locis nobilioribus ſolet, niſi quid maius impediat. cordis hunc eſſe locum, latiſſime in homine patet, ſed in ceteris quoque animalibus pari ratione tenere ſibi uult mediũ corporis neceſſarij, cuius ſane exitus eſt, qua excrementa emittuntur: crura autem aliis aliter adiuncta ſunt, nec ad uitam neceſſaria habentur. quamobrem, iis demptis, uita nõ tollitur, additis etiam, nullum ſequi interitum certum eſt. Ex quibus intelligitur, cor obtinere locum medium, non in toto corpore, ſed inter partes ad uitam neceſſarias: Deinde reprehendit Ariſtoteles opinionẽ eorũ, qui uenas non a corde, ſed a capite oriri putant: & inquit: *Qui capiti uenarum originem tribuunt, non recte opinantur: plura enim, diſperſaq. principia faciunt, idque in loco frigido. argumentum quod frigus uehementius hic locus ſentiat: contra, cordis locus calore abundat. cumq. per cetera uiſcera uenæ tranſigant, nulla per cor tendit, ut dictum eſt: itaque partem & principium uenarũ cor eſſe, apertum eſt: idq. optima ratione: medium enim cordis ſpiſſum, cauumq. corpus eſt: plenum etiã ſanguinis eſt, quaſi hinc uenæ oriantur: cauum eſt, ut contineat ſanguinem: ſpiſſum, ut principium caloris ſeruare poſſit. in hoc enim uiſcerum, & partium omnium corporis ſanguis ſine uenis complectitur: ceteræ partes ſanguinem habẽt uenis contentũ. idq. recta ratione, ſanguis enim ex corde ad uenas quoque deriuatur: at uero ad cor non aliunde deuenit. id enim origo prima, & fons ſanguinis eſt, aut cõceptaculum primum. Hæc ex conſectione animalium conſpici poſſunt, atque etiam ex generatione: cor enim ſtatim omnium partium primum conſiſtens ſanguinolentum eſt: motus etiam lætitiæ, ac triſtitiæ. denique omnium ſenſuum hinc oriri, eodemq. deſinere uidetur: rationeq. quoque ita eſſe probatur: principium enim unum eſſe oportet, ubicumque fieri poteſt: aptiſſimus autem omnium locorum medius eſt: mediũ enim unum eſt, & tale, ut undique attingi, uel æque, uel proxime poſſit. Ad hæc, cũ nec pars alia ſanguinea ulla, neque ſanguis ipſe uim habeant ſentiendi, quod primum ſanguinẽ habet id eſſe quod ſentiat, certũ eſt, habeat autem perinde, ac uas quod principium eſt, neceſſe eſt: nec ratione tantum ita eſſe probatur, uerum etiam ſenſu percipitur. nam in partuum prima generatione ſtatim cor palpitare cernitur, quaſi animal ſit, ut quod.*

prin-

principium ſit naturæ eorum. quæ ſanguinem habent. argumentum uel inde deduci poteſt, quod nullum animal ſanguinis compos careat corde. principium enim ſanguinis habeant,neceſſe eſt:iecur etiam omnibus ſanguine præditis ineſt:ſed nemo id cenſuerit eſſe principium uel corporis totius,uel ſanguinis:ſitum enim nequaquam obtinet principalem. lienem uero ſibi habet aduerſum, in iis, quæ exquiſitius cõſtent:nec uero ſanguinis conceptaculũ modo cordis intra ſe continet,ſed ut reliquæ partes ſanguinem uenis incluſum habet. ad hæc uena per iecur tendit, nec ulla ex eo prouenit; uenæ enim omnes ex corde ſua initia trahunt:itaque,cum alterutrum iſtorum principiũ eſſe neceſſe ſit, iecur autem non ſit, cor ſanguinis quoque principium eſſe neceſſe eſt; animal enim ſenſu definitur, uis autem ſentiendi primò illi tribuitur, quod primũ ſanguine præditum eſt:tale autem cor eſt,quippe quod & origo ſanguinis ſit, & primum ſanguinem habeat. Hanc igitur ſententiam de corde, & principatu ipſius, quam alibi teſtatã reliquit, & præſertim in lib. de ſom.& uig.& in lib.de iuuen.& ſenect.cap.2. hanc,inquam, ſententiam in 4.cap.3.lib. de partibus animalium, & ratione,& ſenſu,quæ duo ſunt inſtrumenta philoſophi naturalis, efficaciſſime cõfirmauit Ariſtoteles,ſic,ut,qui in uerba nullius iurauerit,facile intelligere poſſit,utrum probanda ſint, uel improbanda uerba Galeni principio lib. de formatione fetuum ſcripta, ubi accuſat philoſophos, qui aggreſſi ſunt aliquid ſcribere de formatione fetuum, nulla eorũ, de quibus diſſerunt, perficiendorum fiducia ex corporũ diſſectione accepta: & ideo dicit, non eſſe mirum, ſi a ueritate aberrauerint, atque etiã inter ſeſe diſſenſerint. quod ſi in his philoſophis Ariſtotelem philoſophorum principem numerat Galenus, ea, quæ nuper Ariſtotelis uerba, citauimus animaduertant ueritatis ſtudioſi. & uidebunt, Ariſtotelem ipſum non ſolum ratione, ſed ſenſu,& cognitione, ducta ex ipſa fetuum inſpectione, & diſſectione niti, facileq. intelliget, an ipſe rei anatomicæ gnarus,uel ignarus fuerit:immo, qui libros eius admirabiles de animalibus conſideret,uidebit,ipſum non ſolum in diſſectione corporum humanorum, ſed omnino omnium animalium feliciter, & diligenter uerſatum eſſe: ad quas diſſectiones ſæpe nos reiicit, ut in 4. de hiſt.anim.cap.4.& 6.eiuſdẽ operis lib.cap.11. immo in hoc ultimo loco uidetur innuere, ſe libros anatomicos ſcripſiſſe. Hanc,

ſe. Hanc, quam expoſuimus, Ariſtotelis de principatu & origine cordis ſententiam confirmauit Hippocrates, præſertim in lib. de corde: ubi, de corde, & de uentriculis cordis ſermonem faciens, hæc uerba habuit: *hi fontes ſunt humanæ naturæ, & hæc flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur, atque hi etiam uitam homini conferunt, & ubi reſiccati fuerint, homo moritur:* uenas uero ex ipſo corde ortum ducere, & ipſe in ſequentibus uerbis confirmat, dicens: *At uero prope exortum uenarum corpuſcula circũ uentriculos conſurgunt mollia, cauernoſa, quæ auriculæ appellantur.* Quibus omnibus intelligitur, Galenum, qui in lib. de formatione fetus dicebat, ſe, quando libros de ſemine ſcribebat, & cogebatur de ordine temporis ſingularum partiũ formationis aliquid dicere, quod fecit in primo illo lib. cap. 2. cum, inquam, cogeretur de ordine ſingularium partium dicere, tunc dixiſſe, cor ſimiliter, ut hepar, circa primos geſtationis in utero dies, uelut fundamentum quoddam generationis, obtinere, id dixiſſe, quia ex utilitate, quæ in perfectis corporibus maxme memorabilis exſiſtit, ad hanc ratiocinationem perductus fuit: ſed, ubi reliquis omnibus tum medicis, tum philoſophis placere inueniſſet, fetum uſque ad manifeſtam effigiationem, ſimiliter ut plantas, gubernari, probabilius etiam ſibi uiſum eſſe, nullã ipſius generationis in principio, nullam ſcilicet eſſe cordis utilitatẽ, immo penitus hepate poſteriorem eſſe ipſam cordis generationem: ex dictis, inquam, intelligitur, Galenum meliorem, quã prius habuerat, in peiorem ſententiam commutaſſe. ſi enim conſiderentur illa, quæ citauimus, Ariſtotelis uerba, & præſertim, cum, ſenſu duce, & ratione ex ſenſibus ducta, probauit, originem uenarum eſſe ab ipſo corde, & fetum in utero nutriri per uenam umbilicalem ex ſanguine attracto a matre, facile intelligetur, maximam prouenire utilitatem ex generatione cordis in principio facta, immo neceſſarium fuiſſe, cor ipſum prius generari, cum ex generatione ipſius non ſolum proueniat utilitas, immo neceſſitas.

Hæc igitur hactenus dicta ſint, & repetita Ariſtotelis uerba de origine, & principatu cordis, ut intelligatur, animam

uege-

uegetatiuam, quod oſtendere nobis propoſitum erat, circa ſeptimum diem ingenerari, eamq. genito iam corde nutritionis, & incrementi opera exercere. Ex quibus locis licet intelligere cauſſam eius, quod ſcriptum reliquit Ariſtoteles 4. de generat. anim. cap. 4. quare ſcilicet numquam ullum animal corde carens ortum ſit.

Caput XVII.

SEd, quoniam, ut loco ſuperius citato, ſcilicet 2. de generat. anim. cap. 4. dicebat Ariſtoteles, genito corde conſtituitur cerebrum, conſentaneum eſt rationi, conſtituto cerebro animam ſenſitiuam procedente tempore ingenerari; cuius inſtrumenta, nempe ſpiritus ipſi inſeruientes a corde ad cerebrum tranſmiſſi eius frigiditate ita temperentur, ut motus, & ſenſus fiant idonea inſtrumenta: quare hinc intelligitur, animam ſenſitiuam non niſi conſtituto cerebro ingenerari.

Sed, quo tempore ſenſitiua ipſa innaſcatur, licet nõ poſſimus omnino definire, tamen, ut ab effectu ad cauſſam procedamus, cum fetus incipit moueri in utero: cumq. tunc tẽporis nõ moueatur a principio extrinſeco, neceſſe eſt, ipſum habere animam ſenſitiuam genericam, ſicq. fetum eſſe animal, neque ſolum habere ſenſum tactus, per quem animal eſt animal, ſed etiam phantaſiam. etenim, ubi eſt ſenſus, & motus, ſecundum locum, ibi eſt, phantaſia, & appetitus, ut eſt apud Ariſtotelem 2. de Anima tex. 29. atque etiam in 3. eiuſdem operis lib. & in lib. de ſom. & uigil. cap. 1. & ideo uidendum eſt, quo tempore moueatur fetus, ut poſſimus cõiectura proxime accedere ad tempus, quo acquiritur anima ſenſitiua. Ariſtoteles igitur 7. de hiſt. anim. cap. 3. dicebat, quod etiam Hipocrates confirmauit, mares fetus magna ex parte circa quadrageſimum diem dextro potius latere mouentur, feminæ ſiniſtro circiter nonageſimum. nihil tamen certi ſubiungebat Ariſtoteles in ijs affirmare licet, ſcilicet quoad locum motus, non quoad tẽpus ipſius. quod

Hipp. lib. de ſeptime ſtri partu.

uero hac incertitudinem ſignificare uelit Ariſtoteles; quoad locum motus, indicant uerba ſequentia. cum enim dixiſſet; *nihil tamen certi in his affirmare licet*, ſtatim ſubiungit, *multis etenim ferentibus feminam motus agitur in dextro; & contra in ſiniſtro gerentibus marem. ſed enim hæc & reliqua huiuſmodi, ut differunt eo, quo magna ex parte & magis minuſue accidit, ſic accepimus*. Subiungebat etiam, hoc eodem tempore diſtingui fetum, cum antea caruncula in formis conſtaret.

Ex his igitur, quæ dicta ſunt, intelligitur, ſenſitiuam genericam, per quam animal eſt animal, magna ex parte circa quadrageſimum diem maribus innaſci, feminis uero circa nonageſimum; & conſequenter licet intelligere, fetum, qui circa illud tempus, uel ante ſecundum, uel ante tertiũ menſem per multos dies mouetur, eſſe marem; qui uero poſt nonageſimum diem mouetur, eſſe feminam: quare anima ſenſitiua tardius innaſcitur feminis, quam maribus, tum quia femina eſt ueluti mas læſus, ut eſt apud eundẽ Ariſtotelem 2. de generat. anim. cap. 3. tum etiam quia frigidiores ſunt feminæ, quam mares, atque iccirco tardius earum corpora formantur, & diſtinguuntur. quod etiam dixit Ariſtoteles 7. de hiſt. anim. loco a nobis ſuperius citato, ſcilicet, cap. 3. ubi hæc uerba protulit: *Cum itaque fetus in utero formatur femina tardius quam mas perfectionem quarumcumque partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quam mas, protrahitur.*

Sic igitur reſponſum ſit primæ quæſtioni, qua quærebatur, quo tempore ingeneretur nobis anima ſenſitiua generica, per quam animal eſt animal.

Caput XVIII.

AD ſecundam uero, qua quærebatur, quo tempore a die conceptus, & poſt ſenſitiuam genericam acquiratur in homine ſenſitiua ſpecifica, ſimulque intellectiua, per quam homo eſt homo, longe difficilior eſt reſponſio. non enim in ſoluenda hac quæſtione poſſumus incedere ea uia, qua in ſoluẽda proxima ſuperiore quæſtione incedebamus,

propterea quod nullus effectus non ſolum intellectiuæ, ſed neque etiam phantaſiæ deliberatiuæ in utero cõſpicuus eſt: ex dictis tamen intelligitur, proculdubio utramque prius acquiri in maribus, quam in feminis: cumque inter uegetatiuam, & ſenſitiuam genericam intercedãt dies circiter triginta in maribus, uel paullo plures; in feminis uero octoginta circiter; ueriſimile eſt admodum, nõ minus temporis, ſed potius paullo plus intercedere inter acquiſitionem ſenſitiuæ ſpecificæ: adeo, ut in maribus ante ſeptuageſimum diem non acquiratur ſenſitiua ſpecifica, quam phantaſiam deliberatiuam, ſeu rationalem, ut ſæpe diximus, ſolet Ariſtoteles appellare: immo potius, cũ ipſa indigeat maiori, & perfectiori diſpoſitione, quæ longius tempus requirit, ueriſimile eſt, eam non niſi poſt ſeptuageſimum diem acquiri, & fortaſſe non ante tertium menſem completum, uel ſaltem magna ex parte elapſum, quo tempore dictum eſt in feminis acquiri ſenſitiuam genericam. hãc proportionem inter tempus acquiſitionis harum animarum licet intelligere ex eo tempore, quo dicebat Ariſtoteles, marem, & feminã moueri: marem ſcilicet circa quadrageſimum, feminam uero circa nonageſimum. licet etiam intelligere eandẽ proportionem ex eo, quod dicebat Ariſtoteles, procedẽte tempore acquiri ſenſitiuam genericã, per quam eſt animal, & rationalem, per quã eſt homo, neque ſimul fieri animal & hominem, animal & equum, & in ceteris eãdem eſſe rationẽ ſubiungebat Ariſtoteles in eodem 2. lib. de generat. anim. a nobis toties citato. quod ſi in maribus non acquiratur ſenſitiua ſpecifica, & cõſequenter intellectiua ante tertium menſem, uel circiter id tempus, ueriſimile uidetur, eam in feminis non acquiri ante quartum, ſed circiter quintum mẽſem.

Ad tertiam uero quæſtionem minus principalem, reſpõdet Ariſtoteles, eodem tempore acquiri ſenſitiuam ſpecificam propriam hominis, & indiuidualẽ, quæ eſt propria huius & illius hominis, ſic, ut ſenſitiua ſpecifica ſit prior indiuiduali quoad naturam, ſicut ſpecies quoad naturam eſt prior indiuiduo: neque abſurdũ eſt, illas, quas diximus, animas

mas ſimul acquiri, quia ipſæ nõ requirunt diuerſas diſpoſitiones: quandoquidẽ temperatura Socratis, & Platonis eſt temperatura humana,quę tamen multam habet latitudinẽ.

Cum uero contra arguebatur,ut oſtenderetur, non poſſe illas ſimul tempore acquiri,quia ſic ſequeretur, ſpeciem,& indiuiduum illius ſpeciei ſimul fieri:concedo, hoc ſequi;neque abſurdum eſſe,immo neceſſariũ,ut, dum fit ſpecies ſpecialiſſima, fiant indiuidua illius ſpeciei, ipſa tamen eſt prior natura ipſis indiuiduis, & ideo natura ſpecifica poteſt abſtrahi a natura indiuiduali; quia prius poteſt abſtrahi a poſteriore,& ſine ipſo intelligi;neque tamen putandũ eſt,ſenſitiuam ſpecificam eſſe re diuerſam ab indiuiduali,ita, ut in homine ſint duæ ſenſitiuæ, ſiue duæ phãtaſiæ rationales re diuerſæ. nam in quolibet homine, ex ſententia tamen Ariſtotelis, non dico ex ueritate, eſt una phantaſia indiuidualis,quæ gerit uicem ſpecificæ,&,cum generatur, prius natura habet gradum ſpecificæ,quam indiuidualis,& a gradu illo ſpecifico ſumitur uniuerſale ſpecificum, ut puta, homo, cum a gradu quem habet,ut indiuidualis eſt, nullum ſumatur uniuerſale. nam ut Socrates ſignificat naturã ab omnibus aliis hominibus diuerſam, ſic ab ipſo ut talis eſt nullum ſumitur uniuerſale. Quare ſic ſolutæ ſint illæ quæſtiones a nobis in ſolutione primæ principalis propoſitæ. Nunc uero ad alias duas principales ab Ariſt. propoſitas accedamus.

Caput XIX.

CVm igitur ſecundo loco quærebatur,quo modo nobis adueniat anima intellectiua, Alexãder Aphrodiſeus, & ceteri,qui Alexandri ſententiam ſequuntur,putantes ipſame duci e potentia materię,dicerent,eam per generationem acquiri,ſic, ut incipiat eſſe,cum prius non eſſet. quam ſententiam a nobis ſupra ſatis ſuperque confutatam a ſententia Ariſtotelis, & a ueritate longe alienam dimittamus. nam, licet dixerimus,ex ſententia Ariſtotelis 2.de generat. anim.cap.3.animam intellectiuam eſſe finem generationis,

non concedimus tamen, neque concedendum eſt, ipſam per generationem acquiri: ſed per generationem diceret Ariſtoteles acquiri phantaſiam rationalem, eaq. acquiſita ſtatim & in eodem inſtanti acquiri animam intellectiuam: & ideo diceret Ariſtoteles, animam intellectiuam eſſe finē generationis hominis, quia ad ipſam tendit generatio hominis, & in eius acquiſitionem, tamquam in ſuum finem, refertur generatio hominis.

Quare ad quæſtionem propoſitam Ariſtoteles, qui dixit mentem extrinſecus accedere, ſicque ſignificauit eam non educi e potentia materiæ, reſponderet, animam intellectiuam acquiri per unionē, & extrinſecum ingreſſum, ſiue acceſſum, uniri autem homini per eſſentiā, & uniri tamquam formam ſpecificam, ut ſupra dictū eſt, non tamen immediate, quia incorruptibile, ex ſententia ipſius, quæ uidetur etiā fuiſſe ſententia Platonis, nō potuit immediate uniri corruptibili: ſed unitur media ſenſitiua propria hominis: hic igitur eſt modus, quo ſenſit Ariſtoteles acquiri animam intellectiuam: ſed, unde ſit hic extrinſecus ingreſſus, & quo modo ab Ariſtotele poſitus fuerit, conabimur in explicatione ſequentis quæſtionis explicare. Cum enim Ariſtoteles 2. de gener. anim. cap. 3. propoſuiſſet illam quæſtionem, an omnes animæ ſint ante corpus, & oſtendiſſet, non poſſe omnes eſſe ante corpus, reſpondebat, ſolam mentem extrinſecus accedere, ita, ut manifeſte innueret, ſe exiſtimare, illa duo inuicem reciprocari, nempe eſſe ante corpus, & extrinſecus aduenire: & ideo, licet conueniat ipſi cum Theologis noſtris, mentem extrinſecus accedere, propterea quod nō educitur e potētia materiæ, in eo tamen, quod credidit ipſe, hinc eſſe conſequens, minime cōuenit, ſcilicet eſſe ante corpus: immo ex uerbis in eo, quem citauimus, loco ſcriptis facile intelligitur, ſenſiſſe ipſum Ariſtotelem, omnem animam, quæ extrinſecus accedit, eſſe ante corpus: quia, cum ſibi probandū propoſuiſſet, omnes animas non eſſe ante corpus, facta probatione, concludebat rationem ſuam, dicens: *itaque extrinſecus ea uenire impoſſibile eſt.* quod ſi omnis anima, quæ extrinſe-

eius accedit eſt ad te corpus, manifeſtum eſt, ipſam nō creari; quia, ſi crearetur, nō eſſet ante corpus. Quare ibi, ſicut & alibi, ſæpe uidetur Ariſtoteles ignoraſſe maximā illam ueritatē, quæ nobis ſuperno lumine illuſtratis manifeſtiſſima eſt, animam ſcilicet intellectiuam habere eſſe per creationem. Sed, quamuis ſentiat Ariſtoteles animam intellectiuam acquiri per extrinſecum ingreſſum, non tamen probauit ſententiam Pythagoricorū, qui dixerunt eā acquiri per ingreſſum, & per egreſſum amitti; quæ tamen ſententia fortaſſe trahi poſſet ad ſententiam Ariſtotelis; ſi ipſi habuiſſent rationem corporis, quod ingreſſura erat, & ex quo egreſſura: ſed ipſi illud peccabant, dicebat Ariſtoteles 1. de anima, quod nullam rationem habuerunt corporis, quod ipſa ingreſſura eſſet, perinde ac ſi quælibet anima quodlibet corpus ingredi poſſet: non probaret, inquam, ſententiam Pythagoricorū, neque etiam probaret ſententiam Plotini, qui dixit animam intellectiuam acquiri per animationem: finxit enim ipſe unam animam intellectiuam, & ab ea dixit prouenire diuerſas animationes, ita ut ab illa anima intellectiua ſinguli homines per animationem ſuos intellectus recipiant: quæ ſententia non ſolum aduerſaretur Ariſtoteli, ſi ipſe illam ſententiam habuiſſet de unitate intellectus, quā ipſi tribuunt; ſed aduerſatur manifeſte rationi: ſi enim ex ipſo Plotino quæratur, ubi ſit illa anima unica? fingat quodcumq; uelit, non poteſt reſpondere aliquid, quod ueritati conſentiat, atque etiam Ariſtoteli. nam ſenſit Ariſtoteles nullam dari intelligentiam, quæ non informet ſuum orbem; quare illa anima, quam fingit Plotinus, uel erit in aliquo orbe cæleſti, uel in orbe humano: non in cæleſti, quia quo modo ab ipſa poſſent prouenire tam multæ animationes, quibus animari poſſint tam multi & diuerſi homines ab ipſa tā longe diſtantes? &, ſi erit in orbe cæleſti, quærendum, an ſit ibi tamquam forma, uel alio modo, & quiſnam ſit ille orbis cæleſtis? nullum enim modum uidetur poſſe fingere; neque ullum orbem cæleſtem: non poteſt etiam dicere ipſam eſſe in orbe humano, quia quo modo ab illa poſſent prouenire

1. de Anima tex. 53.

diuer-

diuerſæ animationes diuerſorum hominum? quare huic opinioni non conſentiret Ariſtoteles.

Non conſentiret etiam ijs, qui dicunt ipſam acquiri per aſſiſtentiam, propterea quod dicunt ipſi, incipit aſſiſtere, cũ ante non aſſiſteret: iam enim hæc opinio de aſſiſtentia exploſa eſt, & confutata: ſed, quando omnes ſupradictæ ſententiæ a ueritate longe aberrant, accipienda eſt, & probanda reſponſio Theologorum noſtrorum, qui diuino lumine illuſtrati dicunt animam intellectiuam aduenire nobis per creationem, quandoquidem Deus ſingulis naſcentibus hominibus ſingulas animas rationales creat, & creando infundit: ſicq. accepta, & probata hac ueritate cognoſcimus extrinſecus aduenire animam intellectiuam, & non educi e potentia materiæ, neque fuiſſe ante corpus, ſed præparato, & diſpoſito corpore incipere eſſe per creationem, Ariſtoteli (ut diximus) incognitam, quæ creatio, neque eſt motus, neque mutatio: & hæc ueritas Ariſtoteli incognita a nobis maxime probanda eſt, & firmiter retinenda. Et hæc quoad ſecundam quæſtionem principalem ſatis dicta ſint.

Caput XX.

AD tertiam uero, & poſtremam, qua quærebatur, unde nobis adueniat anima intellectiua, reſponderent fortaſſe aliqui, ex ſẽtẽtia Platonis, ipſam prouenire ab anima mundi: ad quam opinionem poſſent aliqui opinari alluſiſſe Virgilium 6. Aeneidos dicentem:

Plato in Timæo.

Principio cælum, & terras, campoſq. liquentes,
Lucentemq. globum lunæ, Titaniaq. aſtra
Spiritus intus alit, totamq. infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum, pecudumq. genus, uitæq. uolantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Igneus eſt ollis uigor, & cæleſtis origo,
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq. hebetant artus, moribundaq. membra.

Sed

Sed,ſiue alluſerit Poeta ille præſtantiſſimus ad ſententiã Platonis,ſiue non,non eſt nunc locus declarandi: certe illa ſententia Platonis nõ ſolum aliena eſt a ueritate, ſed etiam à ſententia Ariſtotelis; & ideo,qui uoluerit iuxta illam quæſtioni propoſitæ reſpondere,nitetur fundamento falſo, ſcilicet,quod detur illa anima mundi, quam confutauit Ariſtoteles,neque dari poſſe demonſtrauit in 1.lib. de Anima. 1. de Anima tex.46.

Alij uero dixerunt animam noſtram intellectiuam prouenire a ſtellis per deſcenſum, ut ferunt ſenſiſſe Calippum, & Eudoxum dicentes tunc animam deſcendere in corpus, cũ in eo acquiritur quædam ſimilitudo,per quam corpus illud aſſimilatur illi ſtellæ, in qua commorabatur anima.

Ad hanc ſententiam dicerent aliqui acceſſiſſe Platonem, cum dixit Deum ab initio produxiſſe animas,illaſq. per ſingula aſtra diſpoſuiſſe. Plato in Timæo.

Sed,ut reliqua omittam,quæ huic ſentẽtiæ aduerſantur, ipſam alienam eſſe a ueritate,ex multis, quæ a nobis ſuperius diſputata ſunt, licet intelligere: eam uero ſibi non probari,ſatis ſignificauit Ariſtoteles 1. de anima tex.12. quem locum exiſtimauit Alexander Aphrodiſeus,exiſtimarunt & Alexandrei pertinere ad mortalitatem, de qua non dubitauit Ariſtoteles, cum uideret ſe immortalitatem optime, & efficaciſſime demonſtraſſe; ſed pertinet potius ad alium ſtatum animæ extra corpus, de quo dubium fuiſſe Ariſtotelẽ, non autem de immortalitate,grauiſſimi,& doctiſſimi uiri dixerunt; qui ſtatus non uidetur fuiſſe Ariſtoteli ſatis cognitus & probatus,iuxta ſua fundamẽta loquenti, & præſertim iuxta æternitatem mundi.

Quare,ſi ex ſententia illa, falſa tamen,quam Theophraſtus,& plerique alij tribuunt Ariſtoteli,& ad quam aliquando, ſaltem tacite,& implicite,numquam tamen apertis uerbis pronuntiaſſe uidetur declinaſſe Ariſtoteles: ſi, inquam, ex ſententia illa falſa reſpondendum eſſet ſuppoſita unica anima in omnibus hominibus,quæ cum ſit indiuiſibilis, tota ſit in tota ſpecie humana, & tota in quolibet indiuiduo illius ſpeciei,dicerent illi fautores unitatis,quod putant dictum

ctum

ctorum fuiſſe Ariſtotelem, animam, quæ eſt tota in matre ſimul; & tota in ſpecie humana, aduenire fetui in utero matris contento, & ſuo tempore illum informare, quando ſcilicet fetus iam diſpoſitus eſt, & paratus ad ipſam recipiendã; ſicq. euaderent omnia argumenta ſumpta a motu, quoniã dicerent illam animam, quæ eſt in matre, & ſimul eſt in tota ſpecie humana, ſine ulla ſui mutatione informare fetum diſpoſitum ad eam recipiendam; neque tamen ſequitur contra ſententiam Ariſtotelis, quam ſuperius explicauimus, matrem præbere animam, tum quia illa eadem anima intellectiua, quæ eſt in matre, ſimul etiam eſt in patre, & ſimul eſt (ut ipſi opinantur) in omnibus hominibus: tum quia de ſola uegetatiua, & ſenſitiua anima locutus eſt Ariſtoteles, cũ dixit patrem præbere animam, eo ſcilicet modo, quem expoſuimus: intellectiuam uero non dicitur præbere, niſi quia principium, & præparatio ad recipiendam ipſam effectiue eſt a patre. Sic igitur (ut diximus) ſuppoſito illo unitatis figmento declararent fautores illius extrinſecum illum animæ ingreſſum, ita, ut anima intellectiua non educatur e potentia materiæ, ſed per matrem, in qua tota eſt anima intellectiua, ſicut & in alijs hominibus, communicetur fetui; ſed, ablato illo unitatis falſo fundamento, ruit id, quod ſuperſtructum eſt: & ideo aliter ex ipſa ueritate declarandum eſt, unde nobis adueniat anima intellectiua, & quo modo accipiendus ſit extrinſecus ingreſſus ipſius, & iccirco confugiendum eſt ad Theologiam Chriſtianam, & ab ea accipienda eſt ſolutio quæſtionis propoſitæ: & ideo, cum quæritur unde nobis adueniat anima intellectiua, reſpondetur, eam prouenire a Deo immediate: & ita ſentiũt, & bene ſentiunt Theologi noſtri, dicentes, ipſam immediate creari a Deo tamquã a cauſſa efficiente, ſimulque creari, & infundi ipſi fetui. ſed hanc animæ originem, ut ſupra diximus, non cognouit Ariſtoteles, neque cognouerunt Philoſophi ſolo naturali lumine ducti, quo contemplantur tantum ea, quæ fiunt a Deo medijs ſecundis cauſſis, & ideo nõ cognoſcunt creationem, quæ, ut recte dicebat Sanctus, & Angelicus Doctor, eſt opus

S. Thomas 1. parte q. 45. art. 5.

ſolius

olius diuinitatis, & in qua, nec miniſterio quidem utitur Angelorum.

Hactenus igitur, Sanctori Cardinalis, uirtutum gloria, & Chriſtianæ Religionis ſpecimine Illuſtriſſime, Hactenus inquã fauẽte Deo, & Tui nominis Amplitudine ſuffragãte explicatæ ſint a nobis quæſtiones ſeptem ad explicandum propoſitæ, quarũ tamen poſtrema in tria capita diſtributa erat, ſic, ut nouem quæſtiones pro ingenij, & doctrinæ noſtræ imbecillitate explicauerimus: ita tamẽ, ut in ſingulis, & quid ſenſerit, uel uidetur ſenſiſſe Ariſtoteles; & quid ſentiendũ ſit, expoſuerimus: quæ tamen omnia, ſicut & mea reliqua, piæ, & ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio, a quo ne tranſuerſum quidem unguem diſcedere mihi propoſitum eſt, reuerenter ſubijcio.

Ita decet Chriſtianum Philoſophum, ac in Tui potiſſimũ diſciplina edoctum. quantum enim, & quam uberem fructũ ex humana ſapientia, ſi tamen cum diuina coniungatur, atque illi ſubijciatur, percipiamus, ex Te ſemper didici, atque in Te potiſſimum omnes intuentur. Cum enim iuris prudẽtiam, qua præcipue excellis, ceteraſq; diſciplinas humanas Diuino iuri, atque pijs Sanctorum Patrum dogmatibus religioſe coniunxeris, talem tantumque in Eccleſia Dei prouentum feciſti, quantum omnes hucuſque conſpexerunt, atque conſpiciunt. Quantum uero detrimenti, ex humana ſapientia, qua infatuatum eſt (ut Apoſtolus inquit) inſipiens cor eorum, qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, ſi ſola abſque freno Diuinarum, atque Eccleſiaſticarum ſanctionum noſtris pectoribus ſedeat, Te admonente etiam ſæpius animaduerti. In quales enim, & quã præruptas errorum uoragines ierint nonnulli, qui temerario faſtu humana tantum ſapientia freti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omniũ Fidelium Matri ac Magiſtræ refragrari, ac minime obedire uoluerunt, Tu Cardinalis ampliſſime maxime noniſti, qui amplius ſex luſtrorum curriculo maximis exantlatis laboribus, & Archiepiſcopus, primum a conſilijs Sanctæ Romanæ & uniuerſalis Inquiſitionis, & Cardinalis,

principium ſit naturæ eorum, quæ ſanguinem habent. argumentum uel inde deduci poteſt, quod nullum animal ſanguinis compos careat corde. principium enim ſanguinis habeant, neceſſe eſt: iecur etiam omnibus ſanguine præditis ineſt: ſed nemo id cenſuerit eſſe principium uel corporis totius, uel ſanguinis: ſitum enim nequaquam obtinet principalem. lienem uero ſibi habet aduerſum, in ijs, quæ exquiſitius cōſtent: nec uero ſanguinis conceptaculū modo cordis intra ſe continet, ſed ut reliquæ partes ſanguinem uenis incluſum habet. ad hæc uena per iecur tendit, nec ulla ex eo prouenit; uenæ enim omnes ex corde ſua initia trahunt: itaque, cum alterutrum iſtorum principiū eſſe neceſſe ſit, iecur autem non ſit, cor ſanguinis quoque principium eſſe neceſſe eſt; animal enim ſenſu definitur, uis autem ſentiendi primo illi tribuitur, quod primū ſanguine præditum eſt: tale autem cor eſt, quippe quod & origo ſanguinis ſit, & primum ſanguinem habeat. Hanc igitur ſententiam de corde, & principatu ipſius, quam alibi teſtatā reliquit, & præſertim in lib. de ſom. & uig. & in lib. de iuuen. & ſenect. cap. 2. hanc, inquam, ſententiam in 4. cap. 3. lib. de partibus animalium, & ratione, & ſenſu, quæ duo ſunt inſtrumenta philoſophi naturalis, efficaciſſime cōfirmauit Ariſtoteles, ſic, ut, qui in uerba nullius iurauerit, facile intelligere poſſit, utrum probanda ſint, uel improbanda uerba Galeni principio lib. de formatione fetuum ſcripta, ubi accuſat philoſophos, qui aggreſſi ſunt aliquid ſcribere de formatione fetuum, nulla eorū, de quibus differunt, perficiendorum fiducia ex corporū diſſectione accepta: & ideo dicit, non eſſe mirum, ſi a ueritate aberrauerint, atque etiā inter ſeſe diſſenſerint. quod ſi in his philoſophis Ariſtotelem philoſophorum principem numerat Galenus, ea, quæ nuper Ariſtotelis uerba, citauimus animaduertant ueritatis ſtudioſi. & uidebunt, Ariſtotelem ipſum non ſolum ratione, ſed ſenſu, & cognitione, ducta ex ipſa fetuum inſpectione, & diſſectione niti, facileq. intelligēt, an ipſe rei anatomicæ gnarus, uel ignarus fuerit: immo, qui libros eius admirabiles de animalibus conſideret, uidebit, ipſum non ſolum in diſſectione corporum humanorum, ſed omnino omnium animalium feliciter, & diligenter uerſatum eſſe: ad quas diſſectiones ſæpe nos reiicit, ut in 4. de hiſt. anim. cap. 4. & 6. eiuſdē operis lib. cap. 11. immo in hoc ultimo loco uidetur innuere, ſe libros anatomicos ſcripſiſſe. Hanc,

ſe. Hanc, quam expoſuimus, Ariſtotelis de principatu & origine cordis ſententiam confirmauit Hippocrates, præſertim in lib. de corde: ubi, de corde, & de uentriculis cordis ſermonem faciens, hæc uerba habuit: *hi fontes ſunt humanæ naturæ, & hæc flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur, atque hi etiam uitam homini conferunt, & ubi reſiccati fuerint, homo moritur:* uenas uero ex ipſo corde ortum ducere, & ipſe in ſequentibus uerbis confirmat, dicens: *At uero prope exortum uenarum corpuſcula circũ uentriculos conſurgunt mollia, cauernoſa, quæ auriculæ appellantur.* Quibus omnibus intelligitur, Galenum, qui in lib. de formatione fetus dicebat, ſe, quando libros de ſemine ſcribebat, & cogebatur de ordine temporis ſingularum partiũ formationis aliquid dicere, quod fecit in primo illo lib. cap. 2. cum, inquam, cogeretur de ordine ſingularium partium dicere, tunc dixiſſe, cor ſimiliter, ut hepar, circa primos geſtationis in utero dies, uelut fundamentum quoddam generationis, obtinere, id dixiſſe, quia ex utilitate, quæ in perfectis corporibus maxme memorabilis exſiſtit, ad hanc ratiocinationem perductus fuit: ſed, ubi reliquis omnibus tum medicis, tum philoſophis placere inueniſſet, fetum uſque ad manifeſtam effigiationem, ſimiliter ut plantas, gubernari, probabilius etiam ſibi uiſum eſſe, nullã ipſius generationis in principio, nullam ſcilicet eſſe cordis utilitatẽ, immo penitus hepate poſteriorem eſſe ipſam cordis generationem: ex dictis, inquam, intelligitur, Galenum meliorem, quã prius habuerat, in peiorem ſententiam commutaſſe, ſi enim conſiderentur illa, quæ citauimus, Ariſtotelis uerba, & præſertim, cum, ſenſu duce, & ratione ex ſenſibus ducta, probauit, originem uenarum eſſe ab ipſo corde, & fetum in utero nutriri per uenam umbilicalem ex ſanguine attracto a matre, facile intelligetur, maximam prouenire utilitatem ex generatione cordis in principio facta, immo neceſſarium fuiſſe, cor ipſum prius generari, cum ex generatione ipſius non ſolum proueniat utilitas, immo neceſſitas.

Hæc igitur hactenus dicta ſint, & repetita Ariſtotelis uerba de origine, & principatu cordis, ut intelligatur, animam

uege-

uegetatiuam, quod oſtendere nobis propoſitum erat, circa ſeptimum diem ingenerari, eamq. genito iam corde nutritionis, & incrementi opera exercere. Ex quibus locis licet intelligere cauſſam eius, quod ſcriptum reliquit Ariſtoteles 4. de generat. anim. cap. 4. quare ſcilicet numquam ullum animal corde carens ortum ſit.

Caput XVII.

Sed, quoniam, ut loco ſuperius citato, ſcilicet 2. de generat. anim. cap. 4. dicebat Ariſtoteles, genito corde conſtituitur cerebrum, conſentaneum eſt rationi, conſtituto cerebro animam ſenſitiuam procedente tempore ingenerari, cuius inſtrumenta, nempe ſpiritus ipſi inſeruientes a corde ad cerebrum tranſmiſſi eius frigiditate ita temperentur, ut motus, & ſenſus fiant idonea inſtrumenta: quare hinc intelligitur, animam ſenſitiuam non niſi conſtituto cerebro ingenerari.

Sed, quo tempore ſenſitiua ipſa innaſcatur, licet nō poſſimus omnino definire, tamen, ut ab effectu ad cauſſam procedamus, cum fetus incipit moueri in utero: cumq. tunc tēporis nō moueatur a principio extrinſeco, neceſſe eſt, ipſum habere animam ſenſitiuam genericam, ſicq. fetum eſſe animal, neque ſolum habere ſenſum tactus, per quem animal eſt animal, ſed etiam phantaſiam. etenim, ubi eſt ſenſus, & motus, ſecundum locum, ibi eſt, phantaſia, & appetitus, ut eſt apud Ariſtotelem 2. de Anima tex. 29. atque etiam in 3. eiuſdem operis lib. & in lib. de ſom. & uigil. cap. 1. & ideo uidendum eſt, quo tempore moueatur fetus, ut poſſimus cō iectura proxime accedere ad tempus, quo acquiritur anima ſenſitiua. Ariſtoteles igitur 7. de hiſt. anim. cap. 3. dicebat, quod etiam Hipocrates confirmauit, mares fetus magna ex parte circa quadrageſimum diem dextro potius latere mouentur, feminæ ſiniſtro circiter nonageſimum. nihil tamen certi ſubiungebat Ariſtoteles in ijs affirmare licet, ſcilicet quoad locum motus, non quoad tēpus ipſius. quod

Hipp. lib. de ſeptimeſtri partu.

uero

uero hac incertitudinem ſignificare uelit Ariſtoteles; quoad locum motus, indicant uerba ſequentia. cum enim dixiſſet, *nihil tamen certi in his affirmare licet*, ſtatim ſubiungit, *multis etenim ferentibus feminam motus agitur in dextro; & contra in ſiniſtro gerentibus marem. ſed enim hæc & reliqua huiuſmodi, ut differunt eo, quo magna ex parte & magis minuſue accidit, ſic accepimus.* Subiungebat etiam, hoc eodem tempore diſtingui fetum, cum antea caruncula in formis conſtaret.

Ex his igitur, quæ dicta ſunt, intelligitur, ſenſitiuam genericam, per quam animal eſt animal, magna ex parte circa quadrageſimum diem maribus innaſci, feminis uero circa nonageſimum; & conſequenter licet intelligere, fetum, qui circa illud tempus, uel ante ſecundum, uel ante tertiũ menſem per multos dies mouetur, eſſe marem; qui uero poſt nonageſimum diem mouetur, eſſe feminam: quare anima ſenſitiua tardius innaſcitur feminis, quam maribus, tum quia femina eſt ueluti mas læſus, ut eſt apud eundẽ Ariſtotelem 2. de generat. anim. cap. 3. tum etiam quia frigidiores ſunt feminæ, quam mares, atque iccirco tardius earum corpora formantur, & diſtinguuntur. quod etiam dixit Ariſtoteles 7. de hiſt. anim. loco a nobis ſuperius citato, ſcilicet, cap. 3. ubi hæc uerba protulit: *Cum itaque fetus in utero formatur femina tardius quam mas perfectionem quarumcumque partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quam mas, protrahitur.*

Sic igitur reſponſum ſit primæ quæſtioni, qua quærebatur, quo tempore ingeneretur nobis anima ſenſitiua generica, per quam animal eſt animal.

Caput XVIII.

AD ſecundam uero, qua quærebatur, quo tempore a die conceptus, & poſt ſenſitiuam genericam acquiratur in homine ſenſitiua ſpecifica, ſimulque intellectiua, per quam homo eſt homo, longe difficilior eſt reſponſio. non enim in ſoluenda hac quæſtione poſſumus incedere ea uia, qua in ſoluẽda proxima ſuperiore quæſtione incedebamus;

propterea quod nullus effectus non ſolum intellectiuæ, ſed neque etiam phantaſiæ deliberatiuæ in utero cōſpicuus eſt: ex dictis tamen intelligitur, proculdubio utramque prius acquiri in maribus, quam in feminis:cumque inter uegetatiuam, & ſenſitiuam genericam intercedāt dies circiter triginta in maribus,uel paullo plures;in feminis uero octoginta circiter; ueriſimile eſt admodum,nō minus temporis, ſed potius paullo plus intercedere inter acquiſitionem ſenſitiuæ ſpecificæ:adeo,ut in maribus ante ſeptuageſimum diem non acquiratur ſenſitiua ſpecifica, quam phantaſiam deliberatiuam, ſeu rationalem,ut ſæpe diximus, ſolet Ariſtoteles appellare: immo potius, cū ipſa indigeat maiori, & perfectiori diſpoſitione, quæ longius tempus requirit, ueriſimile eſt,eam non niſi poſt ſeptuageſimum diem acquiri, & fortaſſe non ante tertium menſem completum, uel ſaltem magna ex parte elapſum, quo tempore dictum eſt in feminis acquiri ſenſitiuam genericam. hāc proportionem inter tempus acquiſitionis harum animarum licet intelligere ex eo tempore,quo dicebat Ariſtoteles,marem,& feminā moueri: marem ſcilicet circa quadrageſimum, feminam uero circa nonageſimum. licet etiam intelligere eandē proportionem ex eo,quod dicebat Ariſtoteles,procedēte tempore acquiri ſenſitiuam genericā, per quam eſt animal, & rationalem,per quā eſt homo, neque ſimul fieri animal & hominem,animal & equum, & in ceteris eādem eſſe rationē ſubiungebat Ariſtoteles in eodem 2.lib.de generat.anim.a nobis toties citato. quod ſi in maribus non acquiratur ſenſitiua ſpecifica, & cōſequenter intellectiua ante tertium menſem,uel circiter id tempus,ueriſimile uidetur, eam in feminis non acquiri ante quartum, ſed circiter quintum mēſem.

Ad tertiam uero quæſtionem minus principalem, reſpōdet Ariſtoteles, eodem tempore acquiri ſenſitiuam ſpecificam propriam hominis, & indiuidualē, quæ eſt propria huius & illius hominis, ſic,ut ſenſitiua ſpecifica ſit prior indiuiduali quoad naturam, ſicut ſpecies quoad naturam eſt prior indiuiduo: neque abſurdū eſt,illas,quas diximus,animas

mas ſimul acquiri, quia ipſæ nō requirunt diuerſas diſpoſitiones: quandoquidē temperatura Socratis, & Platonis eſt temperatura humana, quę tamen multam habet latitudinē.

Cum uero contra arguebatur, ut oſtenderetur, non poſſe illas ſimul tempore acquiri, quia ſic ſequeretur, ſpeciem, & indiuiduum illius ſpeciei ſimul fieri: concedo, hoc ſequi; neque abſurdum eſſe, immo neceſſariū, ut, dum fit ſpecies ſpecialiſſima, fiant indiuidua illius ſpeciei, ipſa tamen eſt prior natura ipſis indiuiduis, & ideo natura ſpecifica poteſt abſtrahi a natura indiuiduali; quia prius poteſt abſtrahi a poſteriore, & ſine ipſo intelligi; neque tamen putandū eſt, ſenſitiuam ſpecificam eſſe re diuerſam ab indiuiduali, ita, ut in homine ſint duæ ſenſitiuæ, ſiue duæ phātaſiæ rationales re diuerſæ. nam in quolibet homine, ex ſententia tamen Ariſtotelis, non dico ex ueritate, eſt una phantaſia indiuidualis, quæ gerit uicem ſpecificæ, &, cum generatur, prius natura habet gradum ſpecificæ, quam indiuidualis, & a gradu illo ſpecifico ſumitur uniuerſale ſpecificum, ut puta, homo, cum a gradu quem habet, ut indiuidualis eſt, nullum ſumatur uniuerſale. nam ut Socrates ſignificat naturā ab omnibus aliis hominibus diuerſam, ſic ab ipſo ut talis eſt nullum ſumitur uniuerſale. Quare ſic ſolutæ ſint illæ quæſtiones a nobis in ſolutione primæ principalis propoſitæ. Nunc uero ad alias duas principales ab Ariſt. propoſitas accedamus.

Caput XIX.

CVm igitur ſecundo loco quærebatur, quo modo nobis adueniat anima intellectiua, Alexāder Aphrodiſeus, & ceteri, qui Alexandri ſententiam ſequuntur, putantes ipſame duci e potentia materię, dicerent, eam per generationem acquiri, ſic, ut incipiat eſſe, cum prius non eſſet. quam ſententiam a nobis ſupra ſatis ſuperque confutatam a ſententia Ariſtotelis, & a ueritate longe alienam dimittamus. nam, licet dixerimus, ex ſententia Ariſtotelis 2. de generat. anim. cap. 3. animam intellectiuam eſſe finem generationis,

non concedimus tamen, neque concedendum eſt, ipſam per generationem acquiri: ſed per generationem diceret Ariſtoteles acquiri phantaſiam rationalem, eaq. acquiſita ſtatim & in eodem inſtanti acquiri animam intellectiuam: & ideo diceret Ariſtoteles, animam intellectiuam eſſe finē generationis hominis, quia ad ipſam tendit generatio hominis, & in eius acquiſitionem, tamquam in ſuum finem, refertur generatio hominis.

Quare ad quæſtionem propoſitam Ariſtoteles, qui dixit mentem extrinſecus accedere, ſicque ſignificauit eam non educi e potentia materiæ, reſponderet, animam intellectiuam acquiri per unionē, & extrinſecum ingreſſum, ſiue acceſſum; uniri autem homini per eſſentiā, & uniri tamquam formam ſpecificam, ut ſupra dictū eſt, non tamen immediate, quia incorruptibile, ex ſententia ipſius, quæ uidetur etiā fuiſſe ſententia Platonis, nō potuit immediate uniri corruptibili: ſed unitur media ſenſitiua propria hominis: hic igitur eſt modus, quo ſenſit Ariſtoteles acquiri animam intellectiuam: ſed, unde ſit hic extrinſecus ingreſſus, & quo modo ab Ariſtotele poſitus fuerit, conabimur in explicatione ſequentis quæſtionis explicare. Cum enim Ariſtoteles 2. de gener. anim. cap. 3. propoſuiſſet illam quęſtionem, an omnes animæ ſint ante corpus, & oſtendiſſet, non poſſe omnes eſſe ante corpus, reſpondebat, ſolam mentem extrinſecus accedere, ita, ut manifeſte innueret, ſe exiſtimare, illa duo inuicem reciprocari, nempe eſſe ante corpus, & extrinſecus aduenire: & ideo, licet conueniat ipſi cum Theologis noſtris, mentem extrinſecus accedere, propterea quod nō educitur e potētia materiæ, in eo tamen, quod credidit ipſe, hinc eſſe conſequens, minime cōuenit, ſcilicet eſſe ante corpus: immo ex uerbis in eo, quem citauimus, loco ſcriptis facile intelligitur, ſenſiſſe ipſum Ariſtotelem, omnem animam, quæ extrinſecus accedit, eſſe ante corpus: quia, cum ſibi probandū propoſuiſſet, omnes animas non eſſe ante corpus, facta probatione, concludebat rationem ſuam, dicens: *itaque extrinſecus ea uenire impoſſibile eſt.* quod ſi omnis anima, quæ extrinſecus

eius accedit est ad te corpus, manifestum est, ipsam nõ creari; quia, ſi crearetur, nõ eſſet ante corpus. Quare ibi, ſicut & alibi, ſæpe uidetur Ariſtoteles ignoraſſe maximã illam ueritatẽ, quæ nobis ſuperno lumine illuſtratis manifeſtiſſima eſt, animam ſcilicet intellectiuam habere eſſe per creationem. Sed, quamuis ſentiat Ariſtoteles animam intellectiuam acquiri per extrinſecum ingreſſum, non tamen probauit ſententiam Pythagoricorũ, qui dixerunt eã acquiri per ingreſſum, & per egreſſum amitti; quæ tamen ſententia fortaſſe trahi poſſet ad ſententiam Ariſtotelis, ſi ipſi habuiſſent rationem corporis, quod ingreſſura erat, & ex quo egreſſura: ſed ipſi illud peccabant, dicebat Ariſtoteles 1. de anima, quod nullam rationem habuerunt corporis, quod ipſa ingreſſura eſſet, perinde ac ſi quælibet anima quodlibet corpus ingredi poſſet: non probaret, inquam, ſententiam Pythagoricorũ, neque etiam probaret ſententiam Plotini, qui dixit animam intellectiuam acquiri per animationem: finxit enim ipſe unam animam intellectiuam, & ab ea dixit prouenire diuerſas animationes, ita ut ab illa anima intellectiua ſinguli homines per animationem ſuos intellectus recipiant: quæ ſententia non ſolum aduerſaretur Ariſtoteli, ſi ipſe illam ſententiam habuiſſet de unitate intellectus, quã ipſi tribuunt; ſed aduerſatur manifeſte rationi. ſi enim ex ipſo Plotino quæratur, ubi ſit illa anima unica? fingat quodcumq; uelit, non poteſt reſpondere aliquid, quod ueritati conſentiat, atque etiam Ariſtoteli. nam ſenſit Ariſtoteles nullam dari intelligentiam, quæ non informet ſuum orbem; quare illa anima, quam fingit Plotinus, uel erit in aliquo orbe cæleſti, uel in orbe humano: non in cæleſti, quia quo modo ab ipſa poſſent prouenire tam multæ animationes, quibus animari poſſint tam multi & diuerſi homines ab ipſa tã longe diſtantes? &, ſi erit in orbe cæleſti, quærendum, an ſit ibi tamquam forma, uel alio modo, & quiſnam ſit ille orbis cæleſtis? nullum enim modum uidetur poſſe fingere, neque ullum orbem cæleſtem: non poteſt etiam dicere ipſam eſſe in orbe humano, quia quo modo ab illa poſſent prouenire

1. de Anima tex. 53.

diuer-

diuerſæ animationes diuerſorum hominum? quare huic opinioni non conſentiret Ariſtoteles.

Non conſentiret etiam ijs, qui dicunt ipſam acquiri per aſſiſtentiam, propterea quod dicunt ipſi, incipit aſſiſtere, cũ ante non aſſiſteret: iam enim hæc opinio de aſſiſtentia exploſa eſt, & confutata: ſed, quando omnes ſupradictæ ſententiæ a ueritate longe aberrant, accipienda eſt, & probanda reſponſio Theologorum noſtrorum, qui diuino lumine illuſtrati dicunt animam intellectiuam aduenire nobis per creationem, quandoquidem Deus ſingulis naſcentibus hominibus ſingulas animas rationales creat, & creando infundit: ſicq. accepta, & probata hac ueritate cognoſcimus extrinſecus aduenire animam intellectiuam, & non educi e potentia materiæ, neque fuiſſe ante corpus, ſed præparato, & diſpoſito corpore incipere eſſe per creationem, Ariſtoteli (ut diximus) incognitam, quæ creatio, neque eſt motus, neque mutatio: & hæc ueritas Ariſtoteli incognita a nobis maxime probanda eſt, & firmiter retinenda. Et hæc quoad ſecundam quæſtionem principalem ſatis dicta ſint.

Caput XX.

AD tertiam uero, & poſtremam, qua quærebatur, unde nobis adueniat anima intellectiua, reſponderent fortaſſe aliqui, ex ſentẽtia Platonis, ipſam prouenire ab anima mundi: ad quam opinionem poſſent aliqui opinari alluſiſſe Virgilium 6. Aeneidos dicentem:

Plato in Timæo.

Principio cælum, & terras, campoſq. liquentes,
Lucentemq. globum lunæ, Titaniaq. aſtra
Spiritus intus alit, totamq. infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:
Inde hominum, pecudumq. genus, uitæq. uolantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Igneus eſt ollis uigor, & cæleſtis origo,
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq. hebetant artus, moribundaq. membra.

Sed

Sed, ſiue alluſerit Poeta ille præſtantiſſimus ad ſententiã Platonis, ſiue non, non eſt nunc locus declarandi: certe illa ſententia Platonis nõ ſolum aliena eſt a ueritate, ſed etiam à ſententia Ariſtotelis; & ideo, qui uoluerit iuxta illam quæſtioni propoſitæ reſpondere, nitetur fundamento falſo, ſcilicet, quod detur illa anima mundi, quam confutauit Ariſtoteles, neque dari poſſe demonſtrauit in 1. lib. de Anima. 1. de Anima tex. 46.

Alij uero dixerunt animam noſtram intellectiuam prouenire a ſtellis per deſcenſum, ut ferunt ſenſiſſe Calippum, & Eudoxum dicentes tunc animam deſcendere in corpus, cũ in eo acquiritur quædam ſimilitudo, per quam corpus illud aſſimilatur illi ſtellæ, in qua commorabatur anima.

Ad hanc ſententiam dicerent aliqui acceſſiſſe Platonem, cum dixit Deum ab initio produxiſſe animas, illasq. per ſingula aſtra diſpoſuiſſe. Plato in Timæo.

Sed, ut reliqua omittam, quæ huic ſentẽtiæ aduerſantur, ipſam alienam eſſe a ueritate, ex multis, quæ a nobis ſuperius diſputata ſuut, licet intelligere: eam uero ſibi non probari, ſatis ſignificauit Ariſtoteles 1. de anima tex. 12. quem locum exiſtimauit Alexander Aphrodiſeus, exiſtimarunt & Alexandrei pertinere ad mortalitatem, de qua non dubitauit Ariſtoteles, cum uideret ſe immortalitatem optime, & efficaciſſime demonſtraſſe; ſed pertinet potius ad alium ſtatum animæ extra corpus, de quo dubium fuiſſe Ariſtotelẽ, non autem de immortalitate, grauiſſimi, & doctiſſimi uiri dixerunt; qui ſtatus non uidetur fuiſſe Ariſtoteli ſatis cognitus & probatus, iuxta ſua fundamẽta loquenti, & præſertim iuxta æternitatem mundi.

Quare, ſi ex ſententia illa, falſa tamen, quam Theophraſtus, & plerique alij tribuunt Ariſtoteli, & ad quam aliquando, ſaltem tacite, & implicite, numquam tamen apertis uerbis pronuntiaſſe uidetur declinaſſe Ariſtoteles: ſi, inquam, ex ſententia illa falſa reſpondendum eſſet ſuppoſita unica anima in omnibus hominibus, quæ cum ſit indiuiſibilis, tota ſit in tota ſpecie humana, & tota in quolibet indiuiduo illius ſpeciei, dicerent illi fautores unitatis, quod putant dicturum

ctum fuiſſe Ariſtotelem, animam, quæ eſt tota in matre ſimul; & tota in ſpecie humana, aduenire fetui in utero matris contento, & ſuo tempore illum informare, quando ſcilicet fetus iam diſpoſitus eſt, & paratus ad ipſam recipiendã; ſicq. euaderent omnia argumenta ſumpta a motu, quoniã dicerent illam animam, quæ eſt in matre, & ſimul eſt in tota ſpecie humana, ſine ulla ſui mutatione informare fetum diſpoſitum ad eam recipiendam; neque tamen ſequitur contra ſententiam Ariſtotelis, quam ſuperius explicauimus, matrem præbere animam, tum quia illa eadem anima intellectiua, quæ eſt in matre, ſimul etiam eſt in patre, & ſimul eſt (ut ipſi opinantur) in omnibus hominibus: tum quia de ſola uegetatiua, & ſenſitiua anima locutus eſt Ariſtoteles, cũ dixit patrem præbere animam, eo ſcilicet modo, quem expoſuimus: intellectiuam uero non dicitur præbere, niſi quia principium, & præparatio ad recipiendam ipſam effectiue eſt a patre. Sic igitur (ut diximus) ſuppoſito illo unitatis figmento declararent fautores illius extrinſecum illum animæ ingreſſum, ita, ut anima intellectiua non educatur e potentia materiæ, ſed per matrem, in qua tota eſt anima intellectiua, ſicut & in alijs hominibus, communicetur fetui; ſed, ablato illo unitatis falſo fundamento, ruit id, quod ſuperſtructum eſt: & ideo aliter ex ipſa ueritate declarandum eſt, unde nobis adueniat anima intellectiua, & quo modo accipiendus ſit extrinſecus ingreſſus ipſius, & iccirco confugiendum eſt ad Theologiam Chriſtianam, & ab ea accipienda eſt ſolutio quæſtionis propoſitæ: & ideo, cum quæritur unde nobis adueniat anima intellectiua, reſpondetur, eam prouenire a Deo immediate: & ita ſentiũt, & bene ſentiunt Theologi noſtri, dicentes, ipſam immediate creari a Deo tamquã a cauſſa efficiente, ſimulque creari, & infundi ipſi fetui. ſed hanc animæ originem, ut ſupra diximus, non cognouit Ariſtoteles, neque cognouerunt Philoſophi ſolo naturali lumine ducti, quo contemplantur tantum ea, quæ fiunt a Deo medijs ſecundis cauſſis, & ideo nõ cognoſcunt creationem; quæ, ut recte dicebat Sanctus, & Angelicus Doctor, eſt opus

S. Thomas 1. parte q. 45. art. 5.

ſolius

olius diuinitatis, & in qua, nec miniſterio quidem utitur Angelorum.

Hactenus igitur, Sanctori Cardinalis, uirtutum gloria, & Chriſtianæ Religionis ſpecimine Illuſtriſſime, Hactenus inquã fauẽte Deo, & Tui nominis Amplitudine ſuffragãte explicatæ ſint a nobis quæſtiones ſeptem ad explicandum propoſitæ, quarũ tamen poſtrema in tria capita diſtributa erat, ſic, ut nouem quæſtiones pro ingenij, & doctrinæ noſtræ imbecillitate explicauerimus: ita tamẽ, ut in ſingulis, & quid ſenſerit, uel uidetur ſenſiſſe Ariſtoteles; & quid ſentiendũ ſit, expoſuerimus: quæ tamen omnia, ſicut & mea reliqua, piæ, & ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio, a quo ne tranſuerſum quidem unguem diſcedere mihi propoſitum eſt, reuerenter ſubijcio.

Ita decet Chriſtianum Philoſophum, ac in Tui potiſſimũ diſciplina edoctum. quantum enim, & quam uberem fructũ ex humana ſapientia, ſi tamen cum diuina coniungatur, atque illi ſubijciatur, percipiamus, ex Te ſemper didici, atque in Te potiſſimum omnes intuentur. Cum enim iuris prudẽtiam, qua præcipue excellis, ceteraſq. diſciplinas humanas Diuino iuri, atque pijs Sanctorum Patrum dogmatibus religioſe coniunxeris, talem tantumque in Eccleſia Dei prouentum feciſti, quantum omnes hucuſque conſpexerunt, atque conſpiciunt. Quantum uero detrimenti, ex humana ſapientia, qua infatuatum eſt (ut Apoſtolus inquit) inſipiens cor eorum, qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, ſi ſola abſque freno Diuinarum, atque Eccleſiaſticarum ſanctionum noſtris pectoribus ſedeat, Te admonente etiam ſæpius animaduerti. In quales enim, & quã præruptas errorum uoragines ierint nonnulli, qui temerario faſtu humana tantum ſapientia freti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omniũ Fidelium Matri ac Magiſtræ refragrari, ac minime obedire noluerunt, Tu Cardinalis ampliſſime maxime noniſti, qui amplius ſex luſtrorum curriculo maximis exantlatis laboribus, & Archiepiſcopus, primum a conſilijs Sanctæ Romanæ & uniuerſalis Inquiſitionis, & Cardinalis,

deinde illius officio uigilantiſſime præfuiſti,& antea ab adoleſcentia tua non ſine frequenti uitæ diſcrimine,tum priuatus, tum iudex hæreticorum inſolentem prauitatem ſtudio pietatis,& Catholicæ religionis zelo retudiſti,eorumq. peſtilentiſſimam luem, quæ Prouinciam inuadebat,profligare magnopere elaboraſti. Vt igitur decet Chriſtianum Philoſophum,ac Tui familiarem,& domeſticū,omnia,quæ huc uſque a me decreta ſunt,ut ante dixi, & iuuat ſæpius repetere,Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio, ac cenſuræ humiliter ſummitto.

In prima igitur ex dictis quæſtionibus oſtendimus Ariſtotelem non ſolum clariſſimis, & diſertiſsimis uerbis pronuntiaſſe, ſed etiam efficaciſsimis rationibus demonſtraſſe,animam intellectiuam immortalem eſſe, & æternam: & hanc concluſionem ratione naturali demonſtrari poſſe.

In ſecunda uero diximus eādem ſenſiſſe Ariſtotelem eſſe undique æternam: at uero ipſam ueritatem docere,quod habeat initium a Deo per creationem: quare ex ſententia Ariſtotelis concorditer ſuæ doctrinæ, & præſertim illi ſententiæ,quam habuit de æternitate mundi,loquentis,uidebatur ſequi,unicam tantum animam intellectiuam eſſe in omnibus hominibus: quam ſententiam Ariſtoteles,qui prudētior fuit Theophraſto, & alijs fautoribus unitatis, numquā diſertis uerbis pronuntiauit. immo,cum uere pro numero hominum ſit multiplicata, hanc multiplicationem in moralibus ex religione ſui temporis cōceſsit,&, ut ueriſimile eſt, credidit Ariſtoteles, ſicut facilius eſt multiplicem eius numerum,quam unitatem credere,&, ſi uelit,ſibi ipſi omnino conſtare,cogitur etiam hunc multiplicem numerum concedere,de quo tamen,ſicut de alijs,quæ ad alium animæ ſtatū pertinet, potius quā de immortalitate ab ipſo efficaciſsime demonſtrata, dubiū aliquando fuiſſe Ariſtotelē dicebamus.

Sed,quoniam ea,quæ de immortalitate dixit, ab ijs, qui eam negarunt, & præſertim ab Alexandro Aphrodiſeo detorquentur ad intellectum agentem, iccirco de natura ipſius diſputauimus, & oſtendimus ipſum non eſſe quidpiam extrin-

extrinſecum animæ noſtræ, ſed eſſe partem, ſiue potentiam ipſius, ratione tantum ab intellectu poſſibili diuerſam.

Quinto loco diſputantes de numero animarum, quæ ſunt in homine, diximus, ſenſiſſe Ariſtotelem, falſo tamen, duas in homine eſſe animas re diuerſas, phantaſiam ſcilicet rationalem ſiue deliberatiuam, ipſamq. animam intellectiuam, at ſecundum ueritatem unam tantum, nempe animam intellectiuam alias poteſtate continentem.

Eamq. non eſſe formam aſsiſtentem, ſed informantem in ſextæ quæſtiouis explicatione demonſtrauimus.

Cum uero de tempore, quo nobis adueniat anima intellectiua, diſputaretur, demonſtrauimus ſeptimo loco, etiam manifeſte ex ſententia Ariſtotelis, eam aduenire fetui, dum adhuc in utero matris continetur, ueriſimileq. eſſe eam maribus circiter tertium, feminis uero circiter quintum menſem aduenire.

Aduenire autem, & acquiri per extrinſecum ingreſſum octauo loco diximus, ita tamen, ut, qui probāt unitatem, putent, falſo tamen, animam, quæ eſt in matre, aduenire fetui, & incipere informare fetum, iam diſpoſitum, & præparatum adi pſam recipiendam.

At uero ſecundum ueritatem dicendum eſſe admonuimus, quod ad octauam, & ad nonam quæſtionem pertinet, eam aduenire per creationem, & infundi a Deo creante: cui laus ſit, & honor per infinita ſæcula. Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

ERRATA SIC CORRIGE.

In Epiſtola pag. 3. in fine.
Collegijs, Collegis.

In eadem Epiſtola pag. 5. circa medium.
impoſterum, in poſterum.

In Indice Capitum in ſexto libro cap. 4. in fine.
Ethicorum, Ethnicorum.

In opere uero hæc continentur.

Pagina 173. in medio.
ſuſcepta ſuſceptiua.

Pag. 208. uerſiculo 4.
poſt uerba (neceſſe eſſet) deficit (uel)

Pag. 292. prope finem.
illius animâ, illius animæ.

Alia non connotantur errata, aut enim non ſunt, aut ſi quæ ſunt, quæ corrigentis aciem effugerunt minimi ponderis ſunt, & parum Auctoris ſententiam immutant; ita ut a quolibet leuiter erudito facile emendari poſſint.

Digitized by Google